a bal b
490 d



BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# M. TULLII CICERONIS
## DE
# OFFICIIS
# LIBRI TRES.

Et in illos

## SAMUELIS RACHELII J.U.D.

Et in nova Holſatorum Academia
Juris Naturæ & Gentium PP.

# COMMENTARIUS,

Quo omnia ad Juris Naturæ principia cumprimis revocantur, cum aliorum Philoſophorum, præcipuè Peripateticorum, placitis conferuntur, illuſtrantur, & partim emendantur:

Veram Philoſophiam non ſimulatam adfectantibus perquam utilis futurus.

*Præmiſſa ſunt Ejusdem* Προλεγόμενα, *quibus natura* HONESTI, *aliaq; ad jus Naturæ ſpectantia explicantur.*

Francofurti & Kilonî
Ex Officina libraria CHRISTIANI GERLACHII,
Et SIMONIS BECKENSTEINII.
*Typis Danielis Fieveti.*

ANNO M D C LXVIII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

*PERQVAM REVERENDIS, ILLVSTRIBVS ATQVE EXCELLENTISSIMIS VIRIS,*

DOMINO

# IOANNI HENRICO KIELMANNO DE KIELMANSECK,

Hereditario Domino in Quarnbeck, Cœnobii Slesvicensis Præpositо, & Cathedralis Ecclesiæ Canonico,

SERENISSIMI SLESVICI ET HOLSATIÆ DUCIS GOTTORPIENSIS

Consiliario intimo, Utriusque Ducatus Procetum Octoviro, & Toparchiæ Gottorpiensis Præfecto:



Digitized by Google

# DN. FRIDERICO CHRISTIANO KIELMANNO DE KIELMANSECK,

Hereditario Domino in Satrupholm & Obdorf, Collegii Cathedralis Lubecensis Canonico,

# SERENISSIMI SLESVICI ET HOLSATIÆ DUCIS GOTTORPIENSIS

intimæ admissionis Consiliario:

DOMINO

Digitized by Google

*DOMINO*

# JOANNI ADOLPHO KIELMANNO DE KIELMANSECK,

Collegii Cathedralis Lubecensis Canonico,

# SERENISSIMI SLESVICI ET HOLSATIÆ DUCIS GOTTORPIENSIS

Camerario:

*DOMINIS, PATRONIS ET FAVTORIBVS meis, multis mihi nominibus venerandis atque suspiciendis,*

Salutem, perpetuam Felicitatem & Observantiam.



Digitized by Google

QUemadmodum omni ævo reperti ſunt boni maliq́ue homines, atque iſti fortè ex minimis vitiis cenſi; ita quoque & nunc & olim docti indoctiq́ue Poëtæ, veri minutiq́ue Philoſophi exſtiterunt, qui ſuis Scriptis rem literariam vitamq́ue humanam vel ornarunt, vel pernicioſo ad poſteros exemplo translato perturbarunt, ut nunquam juſtior, atque hodie, ſit Satyrici querela, - - - *Tenet inſanabile multos Scribendi cacoëthes.*

Neque ſolùm meritò vituperantur, ſi inter doctos nomina etiam ſua indocti aut ſemidocti jactitent, ac veluti anſeres inter olores rauco gutture

Digitized by Google

ture crepent: ſi invita Minerva telam ejus ordiantur Opici, illam ſoloci filo contexant, multaque ſtribligine perplexentur; ſed neque veniam ſibi promittere poterunt illi, qui licet perſonam ſuam ſatis decenter ſuſtinere videantur, dum tamen actum agunt, & operam ab aliis occupatam iterant, aut recoquunt, complures mimi in eodem theatro una induti perſona ineptè ſibi occurrunt. Quæ quidem non eo fine propono, ut Cicero fortè in judicium vocatus patronum inveniat. Ab eo enim quæcunque Scripta profecta ſunt, cum ad Rationis tum ad Orationis præſtantiam plurimum conducunt, adeoque magno in pretio habenda ſunt, quæ vel ad hujus, vel iſtius culturam momentum conferunt; illa autem maximi facienda, quæ utramque paginam implent, & tam Rationem quàm Orationem perficiunt.

Cujus generis & notæ cum ſint Libri Ciceronis de Officiis, mea cumprimis cauſa inſtruenda eſt, ut à criminatione abſolvar, qui poſt tot præclaros Viros novi quid in aureos hoſce libros molitus videri velim. Sed, ſi æquos invenero Judices, illorum cenſuram minimè extimeſco. Quippe hanc ad rem publicè demandati muneris ratione excitatus fui, credidiſque, ea opera illuſtratum iri illos libros, qui ad omnem vitæ civilis uſum præcepta optima continent, adeoque fertili fundo ſpem meam committi. Denique id operam dedi, ne veluti ignavus fucus aliena præſepia ac cellulas delibarem, ſed illa cumprimis perſequerer, & cum aliorum Philoſophorum placitis collata examinarem, quæ ex Juris Naturalis laticibus ſcaturiunt, & à reliquis

Com-

Commentatoribus vel prætermiſſa, vel nonniſi extremo digito tacta, quorum tamen præcipua ratio à Cicerone fuit habita, atque adeò etiam ab ipſius Interpretibus habenda fuerat. Quanquam verò huic operi jam in Academia Julia manum admoveram, & Nobiliſſimi quidam Juvenes copiam ſibi meæ commentationis, pretio etiam non ſpernendo oblato, fieri à me contendebant; non tamen eò adduci potui, quod mea ſpicilegia bonitati fundi minimè reſpondere, omniaque novæ trituræ ſubjicienda eſſe putarem. Qua altera cura cum poſt tot alios labores in hac nova Academia, SERENISSIMI PRINCIPIS Noſtri auſpiciis atque autoritate, VESTRI verò, ILLUSTRES ET GENEROSISSIMI DOMINI,

PARENTIS, VIRI SUMMI ET EXCELLENTISSIMI, consilio, studio ac prudentia constituta, defunctus sim, tantò faciliùs hos Ciceronis Libros ita expolitos in publicum prodire sivi, quò iniquiori malevolorum censura, aut potiùs calumnia, Academia hæc novella vexatur, sicut illam vix supereſſe & sibi & aliis persuasum cupiant. Audivi voculas, vidi literas impudentissimis narrationibus & mendaciis oppletas, quibus Aristius quidam non tam respondere, quàm oppedere nos jubeat.

Quippe Auditoria quotidie, nisi ubi justa datur vacatio, docentium voce personant, suoque illi officio tantò libentiùs funguntur, quò promptiùs procedunt non pœnitenda salaria.

Nec enim, hæc ut impetremus, sup-

ſupplici prece aut interpellatione opus eſt, ſed, ubi dies venerit, à Quæſtore Bordsholmenſi ad nos commeante ſolvuntur, & nova minimè difficilioris ſolutionis ſpe cum die cedente deberi incipiunt. Sunt qui noſtram Academiam frequentiſſimis turbis & homicidiis infamant, cum fortè ipſi ſive cum aliis, ſive ſecum non majorem habeant concordiam, quàm quæ eſt horologiorum. Uno infelici duello apud nos cecidit miſerandus Juvenis; at hujus calamitatis quot quæſo alibi exſtitere exempla, nunquam ſatis in Academiis Germaniæ, nunquam in ipſa Germania animadverſa? Præter hunc alter è fece plebis vim facturus aliis, vim ſibi fecit, ſuoque furore periit. Triſtes hi equidem ſunt caſus; at numquid adeò frequentes, & quorum gratia

Aca-

Academia noſtra, veluti infames ſcopuli Acroceraunia, ſit præternaviganda? Gratulamur potiùs nobis; in dedecore ab ipſa ſtudioſa Juventute noſtra, ceu par eſt, poni, quæ in aliis Academiis nunquam non fiunt, & turbis atque digladiationibus occaſionem præbent longè facillimam, dum maleferiati homines clamoribus ita contendunt, ut cœlum & ſidera laceſſere velle videantur. Alii nos Syncretiſmi ſuſpectos fugiunt & averſantur, quem tamen nos damnamus, deteſtamur & proſcribimus. Certè ſi noſtri res eſſet voti, majorem partium concordiam & æquitatem vellemus, ubi de Religione quæſtiones moventur, ne voce vel ſcriptis diſceptantes tam immanibus convitiis injuriisque

&

& cauſam & exiſtimationem col
lutulent, atque, ubi ita incaluer
animi, ſe invicem hæreſeos dam
natos in Orci barathrum tam
facili impetu præcipitent; Ne
que tamen ea propter nuben
pro Junone, religionum cin
num pro pacis & modeſtiæ ſtudio
amplexabimur. Præterea multò
majori pecuniæ impendio hi
opus eſſe ajunt Juventuti, atqu
in aliis Academiis. Certè cui Hol
ſatica tellus non planè fueri
incognita, illam rerum ad victum
pertinentium feraciſſimam eſſe
adeòque in tanta rerum abundan
tia earum pretia non poſſe ex
creſcere, modò malis hominum
artibus bonis occurratur legibus
facilè intelliget. Pro victu certè hi
plus non perſolvitur, quàm in vici
nis & plerisque aliis Academiis

S

Si quos verò multum & Veneri & Libero litare, genio & comessationibus indulgere, & aliorum æmulatione, quibus fortè neque opibus neque conditione pares sint, splendido vestitu superbire juvet, non minùs fateor hic, quàm alibi, insaniendi locus est. Viderint parentes; quomodo liberi tempus sumptusque collocent. Nam qualem quisq; suum vult esse, ita est: ut si fortè istorum spes decollet, illud profectò neutiquam Academiæ, aut nobis, sed moribus cujusque sit tribuendum: quorum emendationi quamvis etiam non segniter incumbimus, absit tamen ut pertinacem naturam furca expellamus. Nonnulli oppidi hujus situm cœlumque ceu insalubre cavillantur; cum isto nihil sit amœnius, hoc nihil salubrius. Eructat quidem Oceanus

ſalſas craſſasque quandoque exhalationes, ſed cumprimis Occidentalis, ad quem hoc Muſarum domicilium ſitum non eſt, ſed cœli ſoliqúe eximia bonitate & clementia gaudet, morbisque malignis nonniſi rariſſimè affligitur, cum mari occidentali vicina loca, & præter hæc alia ſatis frequenter nova febrium cohorte infeſtentur.

Peſtilente verò ſidere adflatas eſſe has ſedes, vix toto ſeculo compertum eſt. A morbis igitur & morte homines hic non immunes vivere certum eſt, ut tamen iis non magis ſint obnoxii, quàm qui eundem Oceanum accolunt; niſi qui vim facere naturæ ſuis vitiis velint, talive temperamento fortè utantur, cui medendo nullus in orbe locus ſatis ſit commodus: ut adeò impia hæc cavillatio autores procul

dubio

dubio habent homines ingratos, quique orare negligunt, ut ſibi ſit mens ſana in corpore ſano. Miror deniqúe, hanc quoque famam eſſe ditatam, & non paucis fidem factam, SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM Academiam ſuam novellam vel ſtirpitus exſciſſurum, vel ſaltem alio translaturum eſſe. Ergone quod DEI gloriæ, & Patriæ bono conſecratum, à Glorioſiſſimo IMPERATORE DIVO FERDINANDO TERTIO magni beneficii loco impetratum, à Sereniſſimo PRINCIPE DIVO FRIDERICO dedicatum, ab Invictiſſimo IMPERATORE LEOPOLDO PRIMO confirmatum, ab Eminentiſſimo PRINCIPE CHRISTIANO

AL-

ALBERTO ſapienti conſilio multoque labore conſtitutum fuit atque perfectum, ſolo inimico calumniæ flatu proſtratum concidet? Atrocitate belli, aut virulentia peſtis quandoque Academicos cives diſſipatos fuiſſe conſtat: at penitus exſtinctam & abolitam fuiſſe aliquam in Germania Academiam mihi hactenus incompertum eſt, etiamſi harum aliæ ſint lateritiæ, aliæ marmoreæ. Hos igitur mendaces rumuſculos qui longè lateque ſpargunt, animisque hominum inſinuare ſatagunt, OPTIMO PRINCIPI peſſima vitia ipſi revera peſſimi impingunt, impietatem, imprudentiam, & ſummam fortunam æquantis exiſtimationis & avitæ gloriæ turpem neglectum. Interim ni-

hilominus improbi homunciones, *qui hoc non perſpiciunt*, (verbis utor Lampridii) *infami rumigeratione paſcuntur.* Eccur verò mendax Fama aliò translatam velit Academiam non video; niſi fortè ejus autores ſint illi, qui ei minimè omnium bene cupiunt: qui ſi noſtram conſuetudinem & ſocietatem ferre neſciunt, commodiſſima illis ſedes in Solipſorum regno fuerit. Interim cum de loco, ubi domicilium ſatis opportunum habitura eſſet Academia, non minus diligens inſtituta fuerit deliberatio, quàm de aliis ad eam pertinentibus rebus, neque ultrò advolaverimus, ſed clementiſſimè vocati venerimus, fruſtra de noſtra migratione laboratur, eaque

fabula

fabula Dædaleæ Famæ pinnæ onerantur, quæ ad veritatis lucem expanſæ ſubitò liqueſcunt, atque ita Icariis aquis importuna ſpes & frivola conſilia merguntur. Sed quo prolabor? Hoc publicè ſignificare volebam, non ſolùm eſſe noſtratem Academiam, Invidiæ obniti, & cum tempore majus incrementum ſperare; ſed & ſupereſſe ejus SUMMOS PATRONOS: nec non illos, qui, cum impudentiſſimas calumnias aliquandiu æquo animo tulerint, earum verò neque finem neque modum ſtatui videant, malevolorum telis ſe objicere, eaque imperterrito animo retundere auſint. Ego verò cur præ aliis adverſus Academiæ noſtræ hoſtes defenſionem parem, uti VOBIS, ILLUSTRES

ET GENEROSISSIMI DOMINI, ignotum fortè non eſt; ita confido, non minori fide, ſtudio ac favore Academiam hanc VOS proſecuturos eſſe, quàm qua animi contentione DOMINUS PARENS VESTER, VIR EXCELLENTISSIMUS, illius commodum & emolumentum indies promotum cupit. Cum enim SERENISSIMUS PRINCEPS ſummis VOS rebus & conſiliis præpoſuerit, & in ſalute & fortuna Academiæ non minima DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI Gloriæ pars & Patriæ felicitas verſetur, tantò impenſiùs, puto, Academiam quoque Patriam VESTRO Patrocinio complectemini,

mini, ornabitis atque fovebitis. Cujus cum ego quotacunque pars ſim, jam inde à multis annis VESTRAM & virtutem & bonam Mentem & Fortunam veneratus, meæ in VOS obſervantiæ teſtimonium publicè exſtare, & tribus FRATRIBUS germanis, qui officii ſui menſuram tam ſedulò impleverunt, ut SERENISSIMI PRINCIPIS judicio tergeminis Honoribus præfulgeant, Tres Ciceronis de Officiis Libros, mea opera non parùm locupletatos, dedicare atque conſecrare volui, etiam atque etiam rogitans, ut hoc candidi pectoris munus æquo animo accipiatis, & me, fortunam, ſtudiaque mea VOBIS commendatiſ-

 ſima

sima habeatis. Ita Vivite, & Valete.

V. V. V. ILL. G^tum

*observantissimus*

SAMUEL RACHELIUS.

Benevolo

# Benevolo Lectori S.

CUm superioribus annis Sereniſſimorum Brunſuicenſium & Luneburgenſium DVCVM authoritate in Academia Julia Philoſophiam moralem docerem, id operam dedi, ut quanto poſſem ſtudio illam excolerem, decentique obſequio tantam Clementiſſimorum Principum gratiam veneratus, officio meo & deſiderio Juventutis Academicæ ſatisfacerem. Erat vero in laudatiſſima illa Academia legibus prudentiſſimè cautum, ne quisque pro ſuo arbitratu quæ vellet, & qua placuiſſet methodo ac ordine, doceret, ſed ſecundum præſcriptam formulam unusquisque ſuo munere defungeretur. Itaque cum præter alia Philoſophiæ moralis Profeſſori Ciceronis de Officiis libros commendatos eſſe intelligerem, & jam toties Opus Ariſtotelis ad Nicomachum interpretando diſputandoque cum publicè tum privatim excuſſiſſem, conſultum fore duxi, ſi aureorum illorum librorum expoſitionem intexerem, Stoicæ ſectæ placita cum Peripateticis conferrem, utraque examinarem, præſtantiora confirmarem, ſubinde etiam latinæ linguæ nitorem & elegantiam commendarem, atque adeò ſtudioſæ Iuventutis Rationem & Orationem diligenter quantum in me erat, perficerem. Morabatur tamen hoc conſilium nonnihil vulgaris ille error, quô eximium hoc opus unicè ad Scholarum trivialium tenebras eſt damnatum, &

indignum illorum lectione infausto calculo judicatum, quibus præcipuè & prodesse, & delectare eosdem poterat. Ne igitur mea opera ab imperitis vel traduceretur, aut ego ab Auditoribus destituerer, è re esse credidi, si mei instituti rationes publico, quod subjectum vides, Programmate omnibus exponerem. Quæ res adeò feliciter cessit, ut de Ciceroniano Opere recta edocti & commonefacti, eo numero me docentẽ audituri confluxerint, ut, qui vix unquam infrequens auditorium, (quod præfiscine loquar) has lectiones aggressus frequentius habuerim nunquam. Accidit eodem ferè tempore, ut Sereniſſimorum DVCVM Legati ampliſſimi Academiam Juliam visum venirent, & in singulorum labores inquirerent: quorum nonnulli, ævi Caseliani probè memores, Studia humanitatis cum Philosophia conjungi, & Hermathenæ statuas fulciri, gaudebant. His rebus, uti fit, excitatus, diligentiùs in Officiorum explicationem incumbere, meaque ὑπομνέματα in chartam conjicere cœpi, quò omnia ad stateram rationis appensa accuratiùs examinarentur, & in futuros usus, ac fortè publicos, reponerentur. Hoc opere absoluto, cum in gratiam tironum, qui subinde ad nos ventitabant, repetenda esset τῶν ἠθικῶν Aristotelis ἀνάλυσις, consilium inire cœpi, qua ratione & iis gratam rem facerem, qui jam ad sublimiora in hoc studiorum genere fastigia profeciſſent. Non occurrebat hæc agitanti ullum nobilius, & in omnem vitæ usum majori judicio elaboratum opus, quàm illud summi Viri, Hugonis Grotii de Jure Belli & Pacis inscriptum, quod eius est argumenti, ut non solùm ipse frequentissimè Aristotelis & Ciceronis authoritate inde fuerit usus, sed & hinc plurima illustrari optimè possint. Quod ipsum cum pro exasciata eruditione sua & perspicacis judicii acumine

cumine Vir celeberrimus, Joan. Henricus Boeclerus, Academiæ non ſolùm Argentoratenſis, ſed totius Germaniæ lumen, bene monuerit in Præfatione luculentiſſimi ſui in Opus Grotianum Commentarii, non poſſum quin eius verba hic inſeram: *Videtur*, inquit, *Grotius ad hujus operis uſum inprimis legiſſe librum Quintum Ethicorum Nicomach. eiusq; interpretem doctiſſimum Michaëlem Epheſium, cujus etiam locos quosdam latinè vertit. Et ſanè ille liber multa & recondita, & huic argumento propria continet, à nemine prorſus & accuratè explicata. Quanquam & ex cæteris libris, eorumq; interpretibus, Euſtratio, Aſpaſio, tum Andronico (ſive aliud eſt nomen eius Paraphraſtæ) planè eximia ad illuſtrandam hanc materiam peti poſſunt.* Poſt aliqua de Cicerone ita diſſerit: *Latinorum Philoſophorum decus omne penes Ciceronem ſtat: cuius duo opera, de Legibus, & præſertim de Officiis mirum quantum conferre poſſunt huic materiæ. Quanquam nobile illud de Officiis opus illi tantum intelligunt, qui Græcorum Philoſophorum ſententias ex variis ſectis, in antiquitate diſperſas, ingenio & labore conductas perſpectasq; habent. Sicut eius rei ſpecimen fortaſſe alio tempore dabimus. Grotius multa debet his libris, etiam ubi non oſtendit.* Cum igitur utriusque volumina tam ſedulò trivissem, & non ſolùm τὰ ἠθικὰ Νικομαχεῖα ipſa, ſed & Græcos illos interpretes, in ſermonem latinum à Jo. Bernardo Feliciano tanslatos, pridem edidiſſem; his aliisque præſidiis ſuffultus, incomparabile illud Grotii opus feliciter quidem orſus, telam tamen ejus omnino ibi pertexere non potui. Moliebatur enim Reverendiſſimus ac Sereniſſimus PRINCEPS ac DOMINVS, DOMINVS CHRISTIANVS ALBERTVS, DVX Cimbrorum Eminentiſſimus, DOMINVS meus clementiſſimus, du-

 ctu con-

ctu consilioque Perillustris & Excellentissimi Viri, DOMINI JO. ADOLPHI KIELMANNI à KIELMANSECK, Præsidis & Consiliarii sui primarii, novam in suis provinciis Academiam, ad quam cum constituendam tum in partibus administrandam cum & ego clementissimè vocarer, non equidem locus aut conditio, qua hactenus fueram usus, temere mihi displicuit, quam præter alia insigniter commendabat Serenissimorum Brunsuicensium ac Luneburgensium DVCVM singularis gratia, Procerum favor, Collegarum amor & benevolentia, ne quid dicam, animum non parùm ancipitem fuisse redditum, quod magno dispendio res familiaris transportari, nec parvo alibi impendio instaurari soleat; vicit tamen Patriæ amor, impulit Serenissimo PATRIÆ PATRI & DIVO PARENTI EIVS FRIDERICO magnis beneficiis obstricta pietas, confirmavit eximius Herculis nostri Musagetæ, KIELMANNI, favor & autoritas. Re itaque Academica feliciter ordinata & stabilita, cuique curæ fuit, ut de mandato muneri vacaret eique satisfaceret, juxta illud Euripidis : σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει. Mihi cumprimis dulce fuit ad meas redire Musas, quæ animum non tam laboribus fessum, quàm invidiæ & calumniæ telis, quibus, quo quisque boni publici, licet sine aliorum injuriâ, est studiosior, eò magis patet, immeritò compunctum reficerent. Itaque cum Iuris naturæ & gentium doctrina mihi publica autoritate commissa, commendatumque esset Opus Grotii, cujus ductu illam traderem, penitus in hoc studium meumque me museum abdidi, & non solùm publicis Grotium lectionibus, sed & domestico commentario illustravi, eumque haut ita pridem perfeci. Atque hunc ipsum publicæ luci ac lectioni eorum, quibus fortè nostra non displicent, minimè inviderem, nisi gravissimæ causæ nonum,

aut

aut fortè ultra, in annum premi juberent. Notissimum est iis omnibus, qui hæc studia amant, quanto eruditionis apparatu huius Operis illustrationem aggressus sit Vir celeberrimus, BOECLERVS, qui profectò non aliorum exemplo volsellis contendit, sed decretoriis armis decertat. Hunc igitur sollicitent, ut fidem publicè datam liberet, quandoquidem neque mihi neque aliis hoc ipsum hactenus impetrare ab illo licuit. Sed cum cuique suarum rerum rationes optimè constent, & ea (proh dolor!) sint tempora, quibus ad opprobrium nominis & doctrinæ cumprimis Christianæ non minus temere quàm fervidè Marte arbitro disceptetur, sit interim exosa veritas, sic ut illam vix profiteri liceat, cui thesin ad hypothesin applicare minimè consilium est, ipseque Grotius huiusmodi pericula à longis manibus imminentia non solùm providerit, sed & senserit; quid mirum si prudentissimi quique, & qui in rebus humanis ac civilibus plus aliis sapiunt, Harpocratis præcepto tantopere sint addicti, suamque vocem & scripta non solùm premant, sed sæpe abjiciant, ut cum tineis & blattis potius capita colliment, quàm magnatum animos offendant & irritent. Ita multis eadem respondendi ratio esset, quæ quondam Theocrito, qui, uti ex Arictone refert Stobæus *Serm.* 19. quærenti, quare non scriberet, dixit: ὡς μὲν βέλομαι, ὐ δύναμαι, ὡς δὲ δύναμαι, ὐ βέλομαι, *quoniam ut libet, non possum, ut vero possum, non libet.* Grotiano itaque Opere percensito, honestum quærebam otium, à quo, Catonis exemplo, non abesset negotium, quô vires animi corporisque gravi labore attenuatas recrearem: cumque Grotii omnia, quæ istis libris tractantur, mihi in recentissima essent memoria, neque ad aliena à Iure Naturæ studia digredi decrevissem; commodè eorum recordatus, quæ olim in Ciceronis de Offi-

ciis libros commentatus fueram, protinus consilium cepi, illa omnia repetere, & altera lima expolire. Cumque pleraque, de quibus Grotius laudato Opere agit, capita Cicero partim explicarit, partim attigerit ac perstrinxerit, ubique indicavi, quo loco de singulis uberiùs dixerit Grotius: ut Ciceronianum hoc opusculum Grotiani Operis quoddam ausim dicere compendium. Nam in Cicerone evolvendo non ea consectatus sum, quæ jam ab aliis Viris doctissimis fuere occupata aut animadversa, putà quæ vel ad antiquitatis studium, aut φιλολογίαν spectant, nisi illustrandi textus & sententiæ eruendæ gratia illud quandoque, & ὡς ἐνπαρόδῳ, sit factum: at, quæ ipsa concernebant τὰ καθήκοντα, quæque pertinebant ad philosophiam de moribus, & Iuris naturalis interpretationem, si non unicè, præcipuè tamen conquisivi, contuli, examinavi atque explanavi. Et licet Pauli Iovii *in elogiis doct. viror. judicio.* Cœlius Calcagninus Ferrariensis invetecundè in hos Ciceronis libros fuerit invectus, eaque re bilem moverit nobilibus ingeniis; non tamen hæc eius verba temere sunt repudianda, quæ *Disquis. in Off. Cic. cap. 9.* leguntur: *Si*, inquit, *Cicero, quum Officiorum librum scriberet, Aristotelem habuisset in manibus potius, quàm Panætium, non dubito, quin fœcundiora uberioraq; suis civibus præcepta tradidisset, eaq; locupletioribus argumentis & rationibus comprobasset.* Tametsi enim Cicero profiteatur, se non multum à Peripateticis dissidentia traditurum, mox tamen disertè ait, totoque opere idipsum affatim testatuu facit, se potissimum Stoicos secuturum esse. Itaque hæc mihi præcipua causa fuit, cur tam sedulò, quæ fortè in Ciceronе deerant, ex Aristotele suppleverim, quæque falsis Stoicorum hypothesibus ibidem serviunt, ex peripatetica morum Philosophia emendaverim, ac sæpe

παραι-

παραινετικῶς à Cicerone inculcata, δογματικῶς interpretatus, ad genuina principia reduxerim, indeque concluſiones illas ſeu monita arceſſiverim. Præterea cum Cicero Iuris naturæ fontes per varia rerum argumenta à veteribus ICtis derivatos probè noſſet, varias veterum judiciorum formulas legesque congeſſit, quibus tanquam rivulis ad æqui bonique genuinos latices ac ſcaturiginem reductus fuit; ut eo uſus conſilio videatur, quod commendat Comicus: *Qui viam neſcit ad mare, is amnem ſibi quærat comitem.* Omne verò Ius cum ſit vel φυσικὸν, vel νόμιμον, ceu illud rectiſſimè diviſit Ariſtoteles: atque illud ſit æternum, πρῶτον appellat Philoſophus, hoc tempori, loco & utilitati accommodatum, illud immutabile, hoc varium & mutabile, atque illud quodammodo norma ac cynoſura debeat eſſe juris arbitrarii, hoc verò vel eius veſtigia legere, vel ſaltem non in contraria ire; apparet facilè, quanti & ſtudium Iuris naturalis fieri conveniat, quantamque opem ad illud percipiendum Cicero his libris conferat. Hæc verò qui negligunt, aut ſuperbè adſpernantur, ineptam ſuam arrogantiam profitentur, ac ſimul vel alterutrius vel utriusque rei ignorantiam produnt, quàm non dicam utile, ſed omnino neceſſarium ſit, Iuris naturalis diſciplinam ſummo ſtudio & induſtria excoli, & multùm ad eam Ciceronem conferre poſſe: id quod confirmat maximi Iudicii Vir, Eraſmus Roterodamus ad Iacobum Tutorem Iſtum, cuius verba ſubſequenti Programmate recitantur. Atque illud ceu certiſſimum habeo mihi perſuaſum, non aliunde de eadem quæſtione tot naſci diſcrepantes ſententias & opiniones ICtorum, quàm quod neſciant concluſiones, & quidquid in quæſtione eſt, ad genuina revocare principia, absq; quibus ingenia hominum mentesq; fluctuare, ac ſæpe neq; cœlū neque terram tangere neceſſe eſt.

ceſſe eſt. Ad illorum verò principiorum cognitionem quomodo pervenies, niſi per Iuris naturalis ſcientiam & prudentiam? Evenit ſanè non raro, ut ſingulari judicii bonitate verum cernant in ſingularibus quæſtionibus decidendis Iuris Doctores, ſed plerumque illa eſt ſcientia κατὰ συμβεβηκὸς, uti hoc in ſuis Analyticis appellat Philoſophus. Neque dubito, quin idem ſæpe acciderit ICtis Ro. veteribus: unde non ſolùm ſententiis, ſed omnino ſectis ſcholisque fuere diviſi, ac ſæpe parùm ſibimetipſi conſentanea docuerunt. Ita Vlpianus ait, brutanon poſſe dici injuriam feciſſe, quod ſenſu, hoc eſt, ratione careant; & tamen jus naturæ brutis & hominibus vult eſſe commune: quaſi vero minùs requiratur ratio ad participationem juris, quàm injuriæ. Atque hæc tamen defendi à multis videas omni animi contentione, ſpiſſisque libellis, non alio eventu, quàm ut vel ex beſtiis homines, vel ex hominibus beſtias, in grande creatoris opprobrium faciant. Idem ICtus cum non ſatis intelligeret illum Iuris naturalis præceptum, *Non occides*, neque crederet vitæ abrumpendæ arbitrium non nobis ſed ſoli Deo obnoxium eſſe, ſed mentem falſo principio Stoica περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς occœcatam haberet, etiã αὐτοχειρίας caſus varios ceu licitos excepit, quos atro calculo damnat Ius naturæ. Idem ſi cũ Stoicis ſenſit, omnia fato ferri, eiuſque irrefragabili neceſſitati etiam actiones humanas illigari, quo jure pœnas dictare legum transgreſſoribus potuit, imò quid legibus Edictique commentatione omninò opus fuit? Adeò multùm intereſt noſſe, quid diſtent æra lupinis, in promptu habere principia Iuris naturalis, eaque genuina, legitimasque collectiones ex his poſſe nectere. In hoc igitur ſtudium ſi ſedulò incumbimus, illud excolimus, illuſtramus, & præcipuos Scriptores in ſubſidium vocamus, quos inter Cicero non infimum profectò locum meretur, non utique

utique contemnendam aut pœnitendam, aut alienam à munere noſtro impendimus operam. Quæ omnia ut rectiùs intelligantur & dijudicentur, faciliorque ſit textus Ciceroniani perſpicuitas ac perceptio, non poſſum, quin toti Operi præmittam quædam προλεγόμενα, quæ illi exiam lucem fœnerentur. Tu quisquis es, benevole Lector, utere, ſi potes, hoc noſtro labore ac ſtudio; ſi verò nolis, cum poſſis, æquo hoc feremus animo: at ſi alius fueris, & fortè obtrectaveris, aut ei detraxeris, antequam legeris, apud bonos doctosque non nobis, ſed tibi potius tuo indicio veluti ſorex nocebis. Bene interim de quibusque ſentiemus, & ſperabimus. Vale.

# SAMVELIS RACHELII

## Ad Philoſophiæ Moralis & Officiorum cultores in Academia Julia compellatio, cum ille Ciceronis de Officiis libros eſſet interpretaturus.

EX Catalogo lectionum publicè hoc ſemeſtri habendarum me Ciceronis de Officiis libros prælecturum, ſine dubio, Commilitones intellexiſtis. Quia verò hi ipſi apud nonnullos, neſcio quo judicio utentes, vel in nullo, vel in exiguo ſunt pretio, & ferè in trivialibus ſcholis propter dictionis nitorem exponuntur; operæ pretium me omnino facturum putavi, ſi paucis conſignarem, quo loco revera habendi, & à quibus quâque ratione legendi ſint, ne forte me puerorū nænias cantaturum putetis, meque in ipſo limine præter morem veſtrum deſtituatis. Autorem horum librorum non ignoratis eſſe M. Tullium Ciceronem, Virum prudentia & eloquentia inter Romanos ſine controverſia facile principem: de cuius excellenti atque multiplici eruditione hic dicere nil attinet: quantam verò civilium rerum & Philoſophiæ practicæ ſcientiam & uſum habuerit, hinc, ni fallor, proclive erit colligere, ſi confidenter adſeram, neminem Romanorum omnium cum ipſo contendi, & inter tot Græciæ Sapientes in hoc ſtudiorum genere poſt Platonem & Ariſtotelem tertium ei locum meritò adſignari poſſe. Inter Latinos quidem regnat, fateor, in Paræneticâ Seneca: at Dogmaticæ Philoſophiæ moralis palma Ciceroni deferenda eſt. Ariſtotelis propria eſt methodus, incomparabile divini ingenii

genii inventum : reliqua quæ habet moralis argumenti, maximam partem ex Platone ſuo, & præcipuè de Legibus libris, deſumſit, beneficioque τῆς ἐπιςήμης ἀναλυτικῆς ſua fecit. Cicero verò non ſolùm Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicureorum, ſed, uti ego credo, omnium veterum monumenta pervolvit, & quo valebat limatiſſimo judicio expendit; ſic tamen, ut humanæ fragilitatis veſtigia paſſim impreſſa reliquerit. Et, bone Deus! in tam ſpatioſo opinionum circulo quî poſſis ſemper centrum ferire? Inter omnia verò illius Scripta Philoſophica nullum eſt exactius, nitidius, majoriq; eruditione & morum præceptis refertum, hoc Officiorum opere, ut Commentatores aliosque viros doctiſſimos verba deficiant, quibus inſignes hos libros exornare velint. AVREOS ſanè uno quaſi ore appellant, Eraſmus, Wolfius, Camerarius, Voſſius, aliique, manifeſta pretioſiſſimi metalli translatione illorum dignitatem commendantes. Imo Ioachimus Camerarius (at quantus Vir!) eos non dubitat reliquis Ciceronis libris omnibus præferre. Addo ei calculum, ſi opus eſt. Sed jam vos vehementer deſiderare conjicio, qua ex re has laudes & tanta elogia conſequantur. Titulum ipſum inſpicite, eumque ubi perſpexeritis, rem expetitam tenebitis. Laudandum enim in veteribus eſt, quod titulos ſcriptis ſuis plerumque præfixerint, argumentum ſine figura indicantes; ſecus atque hodie à multis fit, qui ingenium ſuum hac in re oſtentaturi, ineptias ſuas mirificè produnt. *Germani inter nationes in hoc genere à nemine ſe vinci patiuntur, & facilè omnes vincunt, & mirifici ſunt artifices non ſolùm elegantium, ſed etiam horribilium titulorum:* Verba ſunt Cl. Salmaſii in prolegomenis ad Exercitationes Plinianas. Egregiam verò laudem! ſed ad rem. Secutus autem

autem eſt in his libris Ciceronis præcipuè Stoicos, & ex Panætii, Poſidonii, Hecatonis Rhodii, Antipatri Tyrii, Diogenis Babylonii, aliorumque iſtius familiæ ſcriptis illos concinnavit, non quaſi in verba ipſorum juraſſet, ſed arbitrio ac libertate ſua uſus. Quos igitur illi περὶ τοῦ καθήκοντος inſcripſerunt libros, Ciceroni *de Officiis* inſignire placuit: de quarum appellationum natura ac ſignificationibus aliàs plura & accuratiora dicendi occaſio erit. Hæc vero Officiorum præcepta ac regulas qua ſubtilitate, quo judicio, qua elegantia & copia à Cicerone ſint tradita, diligenti lectori & paulùm intelligentiori non poteſt eſſe obſcurum. Docet enim, quæ officia ſibi invicem imperantes & parentes, homo homini, civis civi, civis extero vel peregrino, hoſtis hoſti, maritus conjugi, parentes liberis, herus ſervo debeant: quæ officia pace, quæ bello exigantur: qua religione juramenta, qua fide contractus & pacta, qua ſanctitate ac juſtitia fœdera ineunda & conſervanda, quæque huius generis alia ſunt. Hæc quidem Ariſtoteles in Politicis, & cumprimis *lib.* 8. *& 9. Ethic. Nicom.* attigit, multa accuratiſſimè expoſuit, at nonnulla minùs plenè ac luculentè, quàm Cicero fecit, tradidit. Sæpe enim ad fontes ſolùm jurium & officiorum illorum Ariſtoteles nos ducit, quorum uberrimos & limpidiſſimos etiam rivulos Cicero per varios hinc fluentes alveos commonſtrat. Et profectò cum dubitem, an ullus veterum Cicerone noſtro plus vel profecerit, vel præſtiterit in tam nobili argumento evolvendo & illuſtrando, debent nobis de eo ejus libri meritò eſſe inſtar pretioſiſſimi κειμηλίου. Dignitatem, ni fallor, horum librorum ex hac delineatione jam cognoſcitis. Accedo ad alterum caput, à quibus præcipuè ſint legendi. Ariſtotelem noſtis à ſua doctrina morali Iuvenes arcere, quòd non ſint οἰκεῖοι ἀκροαταί. Hi vero qui ſunt? qui & principia huius ſcientiæ plenè adſequuntur, & fidem demon-

demonſtrationibus habent, eamque actionibus ſuis declarant. οὐχ ἵν' εἰδῶμεν, inquit ille, τί ἐστιν ἀρετὴ σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. Cicero idem in hoc opere breviter his verbis profert: *Omnis virtutis laus in actione conſiſtit.* Non jam dicam, quàm belle pueri, adoleſcentes aut juvenes, quibus hi libri vulgò prælegũtur, officia hæc moribus exprimant: hoc ſolùm urgebo, an horum jurium fontes ipſaque illa officia intelligendo ſatis adſequi poſſint. Eſtne enim tenuis hæc notitia, & pro captu juvenili, quid honeſtum, decorum aut juſtum, & quid omninò officii ſit? eſtne illa exigua deliberatio, & pro illa ætate, utrum, propoſitis hinc atque hinc honeſtis vel utilibus, ſit honeſtius, vel utilius, & ſi fortè hinc honeſtum, hinc utile non inhoneſtum in contentionem veniat, utrum ex his ſit alteri præponendum? Sat negocii ad hæc dignoſcenda & dijudicanda datur iis, quibus hæc Philoſophia præcipuè curæ eſt, nedum quod ludimagiſtros, modeſtiæ ſuæ memores, perinde huius argumenti πραγματείαν ſibi arrogaturos eſſe crediderim. Aut ſi hac in opinione fallar, audiant velim Clariſſ. Bœcleri ſententiam de Ciceroniano Officiorum opere, quam ille in Præfatione ad D. Ambroſii de Officiis libros profeſſus fuit: *Quapropter*, inquit, *ſæpe mihi nauſeam attulerunt eorum judicia, qui de* GRAVISSIMO DIFFICILLIMOQVE *opere nihil ſatis præclari potuerunt animo concipere: cum pro comperto habeam, neminem idoneum eius interpretem haberi poſſe, niſi qui cum antiquis Græcorum Philoſophis, eorumq; placitis (quæ ſæpiſſime exſparſis paſſim fragmentis eruenda ſunt) arctiorem familiaritatem contraxerit. Unde nec puerorum iſta præcipua doctrina eſt, ſed* MAGNI ADVLTIQVE *profectus.* Etſi ergo inficias non iverim, multum hos libros juventuti prodeſſe poſſe ad ſermonis latini culturam, ad excitandos eius animos iis, quæ παραινετικῶς inſperſit Cicero,

præceptis

præceptis & exemplis; nemini tamen plus utilitatis horum librorum lectio conferet, quàm qui adfectus habent obsequentes, rerum civilium usu pollent, mala à bonis vero judicio secernunt, & ad debitum finem omnia studia vitæque actiones destinant. Hi enim sunt illi genuini & germani Aristotelici ἀκροατὰι: inter quos uti eminent, qui Reip. & Justitiæ vel sunt præsides, vel ministri, aut interpretes, ita hi fructum ex his libris capere possunt maximum. Plutarchus memorat, Cæsarem Augustum aliquando, cum ad Nepotes, qui apud se instituebantur, fortè venisset, animadvertisse, ex illis alterum aliquid sub veste abscondere: cumq; jussisset quidquid esset sibi ostendi, & libellum prolatum vidisset esse opus Ciceronis, diu ibi adstitisse, & multa in illo legendo percurrisse, reddentemque nepoti dixisse: Hic vir eloquens fuit, & amans Reipublicæ. Lubens illis adsentior, qui illud de Officiis opus fuisse conjiciunt. Inter regiarum curarum studia præcipuum hoc habuisse Alexandrum Severum tradit Lampridius, quod assiduè attentèque Ciceronis Officia legerit. Idem de Ludovico XII. Galliarum Rege Paulus Æmylius Veronensis memoriæ prodidit. Optimo sanè consilio hi libri Principibus his fuerunt commendati: atque utinam non solũ à Principibus, Rerumpublicarum rectoribus, sed & illorum ministris diligenter tererentur, illáq; jura exercerentur. Vnde Vir summus H. Grotius Excellentissimo Galliarum Regis Legato, Benjamino Augerio Maurerio, non dubitat inter præcipuos commendare etiam hunc Ciceronis librum, *hactenus non suo pretio habitum, quòd omnium manibus teritur*. Sed vix videas hodie ullum Principe & viro civili dignum scriptorem haberi, præterquam Tacitum; cujus tamen lectio plus ferè detrimenti quàm emolumenti illorum animis insinuare solet. Est enim ille campus floribus speciosis refertissi-

fertiſſimus, ex quibus uti apibus mel, ita araneis venenum delibare datur peſtilentiſſimum. Qua enim in re, quæſo, politicam ſuam prudentiam, & admirabile acumen conſumpſit, niſi in artibus tyrannicis ac præſtigiis aulicis ſubtiliter depingendis? Qualem igitur laudem meretur hiſtrio, qui decenter exhibet lenonis, Thaidis, Cantharæ, Davi perſonam; ita quoque ſcitiſſimè nobis Tacitus deſcribit Tiberii obſcurum pectus, ambiguam linguam, huius & aliorum monſtroſas voluptates, & infunda crudelitatis exempla, Aggrippinæ aſtutiam, Meſſalinæ portentoſas libidines, libertorum vafritiam, adſentatorum nequitiam, Sejani impotenē potentiam, tot reorum majeſtatis per calumniam delatorum ſupplicia, ejuſque generis alia, non profutura profectò, niſi ei, qui verè fuerit prudens & bonus. Quæ virtus, conſtantia & integritas animi cum in maxima fortuna ſit tariſſima, non dubitem paucas Ciceroniani voluminis, de quo loquimur, paginas toti Taciti hiſtoriæ anteponere, & magnatum animos via plana tutaque quàm ſalebroſa & à latronibus obſeſſa ad veram prudentiam ducere; Juris verò Interpretes quanto cum fructu hos libros legere poſſint, ex incomparabilis Viri Eraſmi Roterodami verbis ad Jacobum Tutorem ICtum ſcriptis cognoſcite: *Quanquam*, ait, *à Jurisperitorum latiſſimis campis opimam frugem demetis, tamen hic agellus licet anguſtus, ſi eum diligenter excolueris, omnia unus ſuppeditabit. Hinc efficacis ſucci herbas legas licebit, quibus per media monſtra ad vellus aureum penetres. Neque alibi reperies Homericam illam herbam, quam Moly nominant, repertu difficillimam, contra omnia Circes veneficia præſentiſſimam antidotum. Hinc vel laureum ſurculum, qui conſilia tua bene fortunet, vel aureum ramum decerpere poteris, quò tutus etiam inferos adeas.*

*Hic*

*Hic fons ille divinus honestatis in quatuor rivulos se dividit, qui potus nonsolum vocalem, ut Aonius ille, verùm etiam immortalem faciat, cuius undis si subinde mentis artus tinxeris, velut Achilles alter ad omnia fortunæ tela impenetrabilis evades.*

Quid multa? Non est quisquam hominum, cui horum librorum lectio & cognitio non possit esse maximo usui, quandoquidem nemo se officiorum juri ac obligationi omnino eximere potest. Et si fortè quis supra Naturalis Iuris decreta exactiores etiã regulas requirat, adeat D. Ambrosium, qui ad exemplum Ciceronis suum quoque de Officiis opus composuit, vel ipsos potius fontes Israëliticos, eorumque mystas, indeque affatim suam sitim explebit. Denique, quo consilio ac ratione in his libris legendis versari debeamus, paucis etiam edisseram. Nulla propemodum re Homo brutis præstat, nisi Ratione & Oratione. Vtraque illi concessa est ad societates sanctiùs ac commodiùs colendas, ut jurium, rerum, bonorum officiorumque communio esset certa atque expedita. Nihil igitur Homini æquè incumbit, quàm ut utrumque hoc donum pro virili exornet atque perficiat. Rationem perficit Philosophia, & quidem practicam, Prudentia. Oratio tum erit recta si antè, distinctè, eleganter, ac cum quadam emphasi animi notiones exprimere, & quasi manibus portare possis. Prius quod attinet, notum est, quàm variis opinionum gyris circumacti fuerint veteres, & quàm impeditis labyrinthis ipsam Honestatem intricaverint. Omnes illos Cicero noster legit, gravi judicio expendit, & eversæ Reip. curis omissis, huic studio supremam ætatem & adultæ prudentiæ oracula unicè consecravit, nobisque optima quæque dogmata ex præcipuorum Philosophorum scriptis, Stoicorum cumprimis, concinnata reliquit. Quia verò scientiam moralem veterum nemo rectius tradidit, quàm Aristoteles,

ideo

ideo omnia Ciceroniana dogmata ad hunc lydium lapidem examinabimus, non diſſimulaturi etiam, ubi ipſo Ariſtotele ſuperior videatur Tullius. Idem ſuperiori ſeculo ſe facturum Vitus Amerbachius pollicitus fuit, ſed lectorem inanem à ſe ferè dimittit. Vtinam verò Panætii aliorumque Stoicorum nobis ſuppeterent libri, ex quibus ſuos præcipuè conſarcinavit Cicero, quantum illi adjumentum nobis adferrent! Iam ex paucis iisque diſperſis per veterum ſcripta laciniis commentatio noſtra ægrè conquirenda eſt; quem tamen defectum reſarcit & ſupplet ubique penè copia & ubertas Ariſtotelis. Oratio item linguaque Latina, cuius uſus & dignitas latiſſimè patet, mirificè ex his libris ornari ditarique poteſt. Ea enim præcipua erat cauſa, qua inductus Cicero pater filio ſuo hoc opus dedicaret, ut orationem latinam illorum lectione pleniorem atque elegantiorem efficeret. Si itaque ipſe Latinitatis princeps tantopere hoc æquabile & temperatum loquendi genus commendat, & proprietatem, elegantiam, copiamque horum librorum pro norma quadam imitanda venditat, ecquis dubitabit, ea quoque cauſa illos nobis debere eſſe chariſſimos? Scio equidem à multis Linguæ latinæ culturam negligi, ceu indignam generoſis mentibus, & ad ſublimia natis, ſed nec hoc neſcio, ab imperitis hoc ipſum fieri, & quos non rarò ſanæ veſaniæ graviter, quamvis ſerò nimis, pœnituerit. Cur enim ſegnes eſſe velimus etiam in illo præcipuo Naturæ dono, linguaque latina excolenda, qua non ſolùm utuntur doctiſſimi quique, ſed & nobiliſſimi, qui rebus gerendis præſunt aut interſunt, & cuius miniſterio ſeu uſu liberæ gentes ſua commercia, legationes, aliaque negotia expediunt? Et vero Cicero ipſe cui familiarior eſt, is videbitur hoc opus legenti, ut qui penè ſemetipſum vincere, & in illud omnem latini Sermonis nitorem & opulentiam congerere voluerit: idque laudabili

dabili prorſus inſtituto; morum enim atque officiorum cultura humano appetitui ferè inimica hiſce cõdimentis erat temperanda. Cum igitur tantum decus tamque eximium ſplendorem & Rationi & Orationi concilient hi libri, ratam habeamus Plinii ſecundi ſententiam, Veſpaſiano Imp. illos in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ Naturalis his verbis commendantis: *Quæ volumina Ciceronis ediſcenda, non modò in manibus quotidie habenda noſti. Noſti*, inquit; ut neque locus ſit dubitationi, neque opus argumentis. Supereſt, ut verbo moneam, de commentariis & annotationibus in illa exſtantibus, multorum ſanè, (nec enim omnium vel memores vel ſcientes ſumus) Omniboni, Petri Marſi, Franciſci Maturantii, Eraſmi, Melanchthonis, Viti Amerbachii, Xyſti Betuleji, Petri Balduini, Hier. VVolfii, Aldi Manutii, Georg. Cracovii, Jo. Mariæ Bonelli, Martini Philetici, Aſcenſii, Caroli Langii, VVolfgangi Anemœcii, aliorumque. Exſtant etiam in eadem Cœlii Calcagnini Diſquiſitiones, cui ſe oppoſuerunt Marius Nizolius, M. Anton. Majoragius, & Jacobus Grifolus. Ex his optimè rem geſſiſſe videtur VVolfius, quo etiam nonnunquam uſi ſumus, pro ipſius operis dignitate & primario ſcopo, nemo. Ipſius textus Ciceroniani integritatem quod attinet, deprehenderant viri docti, illam plurimis mendis eſſe corruptam. Nec mirum, tale quid accidiſſe operi tot manibus tamque frequenter trito, & à librariis toties deſcripto. Non tamen dubitat Eraſmus Lectori ſpondere, nullum exemplar propius ſuo ad archetypum accedere. Tanta ille diligentia MSSa exemplaria inter ſe contulit, aut in conjectando ſibi divinus fuiſſe videtur. Nec parvam operam hac in re poſuit Manutius, qui tredecim MSSis libris, ex univerſa Italia ære ſuo ſibi adquiſitis in hoc opere emendando ſe uſum fuiſſe profitetur. Quantumvero eruditionis ac veteris Philoſo-

phiæ

phiæ in his libris lateat, nemo ex illis rectiùs perſpexiſſe videtur Joach. Camerario, cuius eruditiſſima prolegomena in eos lectu ſunt digniſſima. Ego vero enixè operam dabo, ut dextrè illos interpreter, ex propriis & genuinis fontibus arceſſita doctrina, non quod ſexagenarios de ponte dejicere, aut cornicum oculos configere, cogitem, ſed ut muneri meo ſatisfaciam, & periculum faciam, quatenus & mihi in tam præclaro argumento progredi liceat. Vti enim non temere res ardua tentanda fuerit, ita nec protinus ſibi quisquam diffidat; nam, uti Theocritus inquit, πειρῶντες εἰς Τροίην ἦλθον Ἀχαιοὶ. Valete, frequentes adeſte, &, quid noſtri ſit in vita humana officii, mecum cognoſcite. Scribebam in Acad. Jul. Anno clɔ Iɔc LXI. a.d. XXV. Aprilis.

# PROLEGOMENA,

## In M. Tullii Ciceronis de Officiis Libros tres, quibus natura HONESTI, aliaque ad Jus Naturæ ſpectantia explicantur.

### §. 1.

PErpulchra eſt Platonis ſententia, quam in Phædro, ſeu *de Pulchro* legimus p. m. 346. edit. Lugd. ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθησεων, ἣ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινὰς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἰ τοιοῦτον ἑαυτῆς ἔναργες εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. *Oculorum eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus Prudentiam non cernimus.* Reliqua Cicero noſter 1. *Offic.* & 2. *de Finib.* ad Honeſtatem translata ita exprimit, ut, formam ipſam ſeu faciem Honeſti, ſi illa oculis cerneretur, mirabiles ſui ardentesque amores excitaturam eſſe, exiſtimet. Si enim corporum formoſitas, membrorum concinnitas, & pulchra lineamentorum diſpoſitio ac ſymmetria amatur, quidni Animus admirabili Honeſtatis ſplendore ac decore exornatus in ſui amorem pellicere poſſit quemvis hominem, qui aliquo ſaltem modo animum ad bonitatem excultum habeat? Quamvis etiam ſæpe ſecundum Eumenium in *Paneg. Conſtant.* accidat, *ut ipſa Natura magnis mentibus domicilia corporum digna metatur, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſit, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrarit habitator*; Rectè tamen Xanthus ab Æſopo deriſus eſſe fertur, cum à deformi eius corpore abhorreret: atque admonitus, non corporis, ſed animi formam eſſe inſpiciendam. Notior quoque de Socrate eſt hiſtoria, quàm

ut

ut hic debeat commemorari: Si itaque *augustissima quæque species plurimùm creditur trahere de cœlo*, uti inquit Latinus Pacatus *Paneg. Theodos.* magnum operæ pretium erimus facturi, si & Honestatis, quam Cicero tantopere commendat, & ex eius fonte quatuor rivos derivat, aliaque huc spectantia capita, quorum explicatio lucem fœnerari queat toti operi Ciceroniano, per quandam ὑποτύπωσιν & σκιαγραφίαν adumbremus. Etsi enim non exactè formam omnium exprimamus, liceat tamen hac in re imitari Apellem nostrum, cuius hæc sunt, *Nicom. 7. §. 48.* δεῖ ἴσως ὑποτυπώσασθαι πρῶτον, εἶθ' ὕστερον ἀναγράφειν. *Primum fortè oportet rem rudi calamo informare, post debitis coloribus expolire & illustrare.*

§. 2.

Rem ipsam antequam aggrediamur, principiò notandum venit, non una significatione sive à bonis autoribus, sive Philosophis, vocem Honesti usurpari, nostri verò instituti esse, cumprimis de propriè & κυρίως dicto Honesto, eique cognatis rebus hic differere. Alia namque Honesta dicimus, quod Virtuti vel sint vicina & adfinia, vel ad illam haut exiguum adiumentum vel ornamentum adferant. Si artes ingenuas solemus Honestas appellare, nõ quod vir bonus aut honestus esse nequeat, qui iis destitutus sit, sed quod talem virum valde deceant, cum Virtute amicè conspirent, illi adminicula aut ornatum suppeditent. Ratione non absimili educationem dicimus Honestam, quod illa teneros mores fingat, formet, & ad Virtutis culturam instruat, idoneis præceptis ac monitis firmet imbuatque. Alia Honesta appellamus, quod Virtutes sint quædam sive signa, sive effecta: sic famam, nomen, existimationem honestam dicimus, & quidquid ex aliorum de nostra virtute opinione proficiscitur. Vnde lactea venæ Pater 3. *Instit. c.* 1. Honestatem definivit, *Honorem perpetuum ad aliquem secundo*



Digitized by Google

*populi rumore delatum.* Alia Honesta nuncupamus, quæ non sunt inhonesta, hoc est, quod à Virtute seu genuina honestate non abhorreant, & cum illa jungi & subsistere possint. Ita multas artes, quamvis viles, honestas dicimus, quod à viro honesto non sint alienæ: quin ipsum etiam Lucrum bonis artibus & industria, non ex fœnore, rapinis & similibus flagitiosè quæsitum, honestum vocamus. Quod tamen rerum genus præ omnibus aliis ægrè hujus nominis dignitatem sustinere potest. Germanum autem Honestum; quod proprio velut jure nominis huius possessionem sibi vendicat, & inter cætera, quæ hoc nomine insigniuntur, eminet, illud est, quod in virtute morum, & actionibus inde pendentibus cernitur. Hæc enim sua natura sunt honesta, ut in horum neglectu omnis vitæ turpitudo consistat: cætera Honesti nomine venditari consueta precario quasi jure in illius communionem admittuntur.

§. 3.

An vero ejusmodi naturâ Honestum detur, non solùm ex veteribus multi, sed & recentioribus, in dubium vocarunt. Hem! accipe, ipse quid tradat Aristoteles 1. *Nicom.* 3. §. 3. *Est vero in rebus, quæ honestæ & justæ sunt, quas Politica considerat, tanta varietas, tantaq; in eis versatur erratio, ut hominum placito solùm, non autem naturâ constare videantur.* Etsi enim pro patria, pro libertate, pro aris & focis pugnare, ceu honestissimum factum inculcaretur; ubi tamen multos ea ratione mortem oppetere vidissent, de honestate illa dubitabant, atque ita ferè disputabant, non videri hominem ad talia munia obligatum, quæ finem & exitium omnibus rebus adferrent. *Omnium rerum nihil horribilius est morte; nam ea omnium rerum est extremum. Nihilq; reliquum mortuo esse videtur, neque bonum, neque malum.* En abominandum vocem summi aliàs Philosophi l. 3. *Nicom.* 6.

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. Sic cum alii viderent, divitiis & opibus non minus alios abuti, quàm uti, imò plerumque illas ſtultitiam pati: cum item viderent, improbos ferè his affluere, probos vel in tenui vel in nulla eſſe fortuna; dubitabant, an Divitias ullo pacto eſſent bonæ, aut ullùm bonis actionibus ſubſidium præberent. Imò Deum tanquam injuſtum diſpenſatorem rerum ſuarum accuſabant, ſi lautiori fortuna mali præ bonis uterentur. Audi iterum Ariſtotelem 2. M.M. 8. *Numquid ſecundæ fortunæ Dii aliquam habent curam? an id minimè videri debet? Talium ſiquidem dominũ facimus Deum, ut bona malaq́ meritis diſtribuat. At Fortuna, & quæ à Fortuna ſunt, prorſus ut nomen indicat, ut fors tulerit, fiunt. Quod ſi huiusmodi diſtributori Deo adſcripſerimus, malum ipſum judicem faciemus, neque juſtum. Id nefas Deo imputare.*

§. 4.

Nolo plura ſingularia perſequi, quomodo vel olim vel hodie homines circa honeſta & juſta dijudicanda fluctuaverint; illa tamen attingere & paucis explicare viſum fuit, quod eorum & Philoſophus, 1. *Nicom.* 3. §. 4. & Cicero cum hoc Opere, tum aliàs paſſim mentionem faciat. Hoc ſolùm velim conſideretur, unde illa immanis Opinionum diverſitas, unde tanta Sectarum diverſa ſequentium multitudo exſtiterit, niſi quod circa naturâ Honeſtum Iuſtumq́; hæſitaverit omnes, & tanquam ad pernicioſum ſcopulũ impingerent ſuæq́; ſalutis & felicitatis naufragium facerent. Hinc operæ pretium habitum eſt, diverſas omnigenûm Philoſophorũ ſententias ſcriptis ſedulò mandare: quod fecere non modo Laêrtius, Plutarchus, Heſychius Mileſius, aliiq́;, quorũ lucubrationes ſuperſtites ſunt; verum etiam Philoſophorum coryphæus Ariſtoteles in libris de Architæ, Speuſippi, Xenocra-

tis, Timæi, Pythagoræ, aliorum placitis, à Laërtio memoratis, qui cum aliis ejusdem non paucis monumentis perierunt. Ne quid dicam de iis, qui περὶ αἱρέσεων, *de Sectis*, περὶ δογμάτων, *de Opinionibus*, περὶ βίων, *de Vitis*, περὶ διαδοχῆς, de successione Philosophorum, eorumque disciplina scripserunt, Laërtio, Eunapio, aliisque memoratis, nuspiam amplius exstantibus.

§. 5.

Eadem causa summos impulit viros, ut plurimarum gentium ac Rerump. leges, instituta, moresque cum Barbariæ tum Græciæ veteris diligenter conquirerent, memoriæque mandarent: si forsan ex eorum, utcunque diversissimorum, rationibus ritè perpensis certum quid de rebus moralibus, & verè semperque Honesto ac Iusto elici & constabiliri posset. Nec tamen hoc ita de omnibus simpliciter acceptum volo, ac si non multa ex iis planè ad jus gentium aut certas Respp. speciatim pertinuerint. Nam omnia hæc ad Iuris Vniversalis de Honestate indagationem plurimùm conferre arbitrabantur. Inde est quod Aristoteles volumen conscripserit, Νόμιμα Βαρβαρικὰ, *Mores seu Instituta barbarica*, seu populorum extra Græciam qui habitabant, opus dudum perditum, sed quod citatur ab Apollonio *Histor. mirab.* 2. & à Varrone 6. de *Ling. Lat.* cujus hunc locum rectè restituit Adr. Turnebus *lib.* 23. *Adverss. c.* 25. Idem Aristoteles memorat συνηγμένας πολιτείας, *Respp. congestas*, quæ Laërtio πολιτείαι πόλεων *civitatum regimina* dici videntur. Harum Rerump. in unum volumen compactarum numerus erat centum quinquaginta octo, teste Laërtio Anonymus vitæ Aristoteleæ scriptor ducentas quinquaginta fuisse ait: quibus alias quinque etiam adjicit Philoponus. Ex quibus sine dubio τὴν περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφίαν, hoc est, *doctrinam moralem & civilem* in partibus reliquis perficere voluit. Mitto eius δικαιώματα πόλεων, *civitatum forensia*: de quibus videri

utiliter poterit Isaac. Casaubonus ad Laërtium. De hoc eiusque discipulo ita loquitur Cicero 5. *de Fin. Omnium ferè Civitatum, non Graciæ solùm, sed etiam Barbariæ, ab Aristotele mores, instituta & disciplinas: à Theophrasto leges etiam cognovimus.* Eiusdem Theophrasti quatuor libros πολιτικῶν ἐθῶν, *morum civilium*, inter id genus alios exprimit Laërtius. Non dissimili consilio Dionysius Metathemenos librum περὶ βαρβαρικῶν ἐθῶν, *de moribus barbaricis*, composuit, teste eodem. Et Nymphodorus Amphipolites περὶ νομίμων τῆς Ἀσίας, *de moribus atque institutis Asiæ*, cuius Clemens Alexandr. meminit *Strom. a.* qui idem opus in Protreptico videtur appellare Νόμιμα βαρβαρικὰ, *Barbarorum ritus ac instituta.* Anacharsis Scyta etiam volumen de Moribus cum Scytharum tum Græcorum scripsit teste Laërtio. Et Hecatæus de Ægyptiorum Philosophia, quod opus tam theologiam, quàm Jurisprudentiam eorum complectebatur. Sed hæc, uti multa alia, temporum injuria interciderunt: quemadmodum & maxima pars πολιτειῶν, *Rerumpublicarum*, Heraclidis Pontici, qui sedulam huic Philosophiæ navavit operam.

§. 6.

Si igitur tot Sectæ tantam opinionum diversitatem nobis pepererũt, dubitari possit, præstetne omnino hasce scholas præterire, quàm in illarum pulvere desudare, hæsitantesque magistros audire, illarumque ancipiti nulloque fere loco consistenti disceptatione immorari? Placet nobis simile, quocum Clemens Alex. *Strom. a.* horum philosophiam confert, καθάπερ τῶν καρύων ὃ πᾶν ἐδώδιμον, *quemadmodum nucum totum non est comedendum*; ita putamina, veluti ἀκαταληψία, ἀῤῥεψία ἐποχὴ, ferrea τῆς εἱμαρμένης necessitas, aliaque ullo pacto ad ἀθεϊσμὸν abducentia, secernenda sunt à genuinis Philosophiæ nucleis & fructibus. Etsi enim à Tertulliano ceu patriarchæ

triarchæ Hæreticorum traducantur, aliisque nominibus probrosis infamentur, ipsi tamen nascentis Ecclesiæ Doctores diligentissimè veterum Philosophorum placita congesserunt, quod ipsam hanc varietatem opinionum interse collisam aliquam veritatis lucem spargere posse existimarent. Testes huius rei præter alios adduci possunt Epiphanius, Philastrius, Justinus, Clemens Alex. Tertullianus, Lactantius, Minutius Felix, Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus. Sentiebant scilicet cum Lactantio *lib. 7. de div. præom. c. 7. nullam Sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quempiam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero: & totam veritatem, & omne divinæ religionis arcanum philosophos attigisse, sed, aliis refellentibus, defendere id quod invenerant nequivisse, quia singulis ratio non quadravit.* Latet enim Veritas sæpe in profundo Democriti puteo, ut plurimis sanè subsidiis opus sit, quibus illam eruas, iis certè omnibus, quæ quoquo modo huc facere possint. Hinc ipse methodi artifex non semel monet, expendenda esse omnia argumenta, diversa etiam, & contraria, quò scias, quid ex his repudiare, quid comprobare debeas. Hac de causa ipsorum Mathematicorum ψευδάρια seu *Aberrationes* singulari congessit volumine Euclides teste Proclo. Mutuas itaque quasi operas tradunt, symbolasque conferunt Veteres, in hac Opinionum indagine, & Veritatis inquisitione, τὰ λείπες ἀλλήλοις ἀντιπαρεχόμενοι, *alii aliis quod deerat invicem subministrantes*: quod *lib. 1. Anthol. c. 4.* de cœco & claudo Leonidas dicit. Atque hinc fuit nata illa Secta, quæ dicebatur ἐκλεκτικὴ, omnium, Clemente Alex. judice, præstantissima, qua Potamo Alexandrinus primùm usus est, ἐκλεξάμενος τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων, *qui selegit, quæ sibi in singulis placuerunt sectis*: Verba sunt Laërtii in proœmio, cui addi poterit *Suidas* in Potamo-

Potamone. Atque huic etiam addictus fuisse videtur Cicero, ceu facilè ex scriptis ipsius Philosophicis apparet, etsi pronior ferè ubique sit in Stoicos.

§. 7.

Quàm pulchrum autem, quam utile, quàmque necessarium est scire, quid in vita sequi, quid fugere debeas; tam difficilis est in hisce sciendi ratio. Illis sanè, quibus nulla gratiosa voluntatis divinæ revelatio facta est, tam difficilis redditus est τῆς πρακτικῆς ἐπιστήμης τρόπος, ut per saxa & salebras quasi incedentes passim impegerint, & in plurimos eosque sæpe absurdissimos errores mentis oculis capti se præcipitarint. Operæ pretium itaque fuerit, omissis compendiis, ut & nos regias nonnullas vias, à plurimis tritas, ingrediamur, & dispiciamus, an illæ ad solidam honestatis cognitionem & arcem sint ductura.

§. 8.

Primùm itaque considerabimus illorum methodum, qui ex aliorum animalium actibus & simulacris de Iure Naturæ, cum quo sociata est Honestas, colligere solent. Notissima est illa I Ctorum definitio, Ius Naturale esse, quod natura omnia animalia docuit, atque Ius istud non humani generis esse proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune esse: atque hinc descendere maris atque feminæ conjunctionem, quam nos Matrimonium appellamus: hinc liberorum procreationem, hinc educationem. Videmus enim cætera quoque animalia istius juris perita censeri. His gemina sunt, quæ sui defendendi, seque suosque conservandi causa bruta faciunt, formicarum divisæ operæ, apium respublica, & id genus alia.

§. 9.

Verum enimvero hæc μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, uti loquitur Aristoteles 9. *Hist. anim. c.* 7. Virtutum simulacra Cicero appellat 2. *de Finib.* non nisi similitudinem quandam illius, quod pro jure normaque Honestatis homines observant, exhibent: unde nonnunquam hæc similitudo communionem quandam Juris & Honesti inter hominem & bruta inducere videtur. Non est igitur, cur quenquam moveat vel veterum ICtorum, vel nonnullorum Theologorum Christianorum autoritas, qui eum in modum locuti sunt. Haut enim mihi persuadere possum, seriò hos omnes propriè dictum Jus inter hominem & bruta commune esse voluisse. Si qui tamen omnino ita statuant, haut difficulter ea sententia hoc principio elevabitur, quod, in quos non cadit injuria, illis quoque nullum jus competat: Si nullum jus, nihil quoque honestum iisdem tribui potest. Jam vero ICtus l. 1. §. 3. ff. si quad. paup. fecis. dic. disertè negat, bruto ullam injuriam imputari posse, quod *sensu* h. e. ratione careat. Et *l.* 1. *ff. de iniur.* dicit, Injuriam ex eo dictam esse, quod non jure fiat: quod Theophilus κακούργημα, *maleficium*, appellat. Præterea nulla eiusmodi libertas moraliter agendi est in brutis, veluti in homine; itaque tantum abest ut Iusta aut Honesta sint, ut ne quidem capacia sint ullius juris vel honestatis. Si hoc verum est, nec obligari ullatenus possunt, cum tamen ad Ius naturæ & Honestatem omnes homines sint obligati, ut Iuris propriè dicti vocabulum sine obligatione ne quidem intelligi queat. Cumque jus omne obliget hominem vel ad honestum faciendum, vel ad turpe fugiendum, tum, si ex hoc præscripto non ita vixerit, secundariò obligatus erit ad pœnam; sequitur nec juris, quod brutis falsò tribuunt, præmium; nec injuria; si qua ab illis patrari posset, ullam esse pœnam. Iam vero

bene

bene factis subtrahere præmia, quàm malefacta impuritatis illecebra alere, æquè impium est & absurdum. Quod igitur malè, aut turpiter quidquam facere nequit, quamnam cum homine communionem habebit juris, obligationis, officii, præmii aut pœnæ? Hinc alii recentioris ævi insignes viri docti & ICti communionem illam juris prorsus explodunt; id quod dudum faciendum monuerat Laur. Valla *lib. 4. Eleg. c.* 48. Ex his Io. Crasius celebris ICtus Tholosanus, cum vulgarem illam distinctionem Iuris naturalis primævi & secundarii esset amplexus, istud commune brutis cum homine esse adseruit in Opere *de Iure civili in artem redigendo*: quam sententiam suam exactiùs perpendens, in *Iuris civilis Miscellaneis* expressis verbis damnavit, Plutonisq; familia dignam judicavit. Rectè igitur Hesiodus ἔργ. καὶ ἡμερ. inquit, animalia cætera, præter homines, quibus pura sint condita,

Ἔδμεναι ἀλλήλους, ἐπεὶ ἦ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς.

h. e. *se mutuò vocare, quod nullum illis jus sit.* Paucis rem omnem complectitur Hugo Grotius *lib. 1. de I. B. P. c. 1. n. 2. Si quando*, inquit, *brutis animantibus justitia tribuitur, id fit impropriè, ex quadam in ipsis umbra rationis atque vestigio. An verò actus ipse, de quo Ius Naturæ constituit, sit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio, an nobis proprius, ut Dei cultus, ad Iuris ipsam naturam nihil refert.*

§. 10.

Sed his rationibus plurima adversari videntur cum exempla, tum maximæ autoritatis testimonia. Si enim nulla est brutis juris aut honestatis ratio præscripta, si nulla obligatio, si nulla propriè dicta pœna, quomodo cum textu sacro has adsertiones conciliabis? Sic enim legitur *Genes. 9. v. 5. Sanguinem vestrum de animabus vestris requiram, à manu nullius non animalis.* Levitici 12.

v 15.

*v.* 15. 16. *& c.* 18. *v.* 23. sic edicit Dominus: *Vir qui cum bestia concubuerit interficiatur, & bestiam quoque occidetis. Mulier verò quæ se bestiæ junxerit, pudicitiamq; illi prostraverit, occides mulierem & bestiam. Morte interficiantur. Sanguis eorum sit super eos.* Ita ex decreto divino bos cornupeta, qui hominem interemisset, lapidandus erat, *Exod.* 21. *v.* 28. D. Ambrosius *l.* 5. *Hexaem. c.* 3. asinorum & equarum submissionem *adulterina contagia, & vera adulteria naturæ*, & *adulterium jumentale* appellat. Capite 16. homines vult discere ex avibus *hospitalia jura*, multaque de ciconiis, hirundinibus, cornicibus, turturibus, apibus, aliisque animalibus congerit, moresque hominum ex illorum proprietatibus fingi & refingi jubet. Capite 17. hæc habet: *Aves non scripta, sed nata lex stringit.* Aristophanes *in Avibus* lepidè dicit, πολλὰς εἶναι ὀρνίθων νόμους, *multas esse avium leges*: & Ciconiarum κύρβεις seu legum tabulas festivè memorat. D. Hieronymus *in Epist. ad Ephes. l.* 3. *ad c.* 5. *Quod in animalibus & bestiis ipso Naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coëant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.* Camelos matrum coitum aversari præter alios memorat Aristoteles *lib.* 9. *hist. anim. c.* 74. adeo ut, cum stragula à peroriga matri injecta camelus quidam fuisset deceptus, scelere suo intellecto, mordicus interemerit hominem. Idem de equo refert Varro *l.* 2. *de RR. c.* 7. Ælianus *lib.* 4. *hist. anim. c.* 8. de Scytharum regis equo simili arte ad matris congressum inducto ita loquitur: Vtrique præcipites se agentes morte tam impium flagitium expiabant, τὸ ἀσέβημα διέλυσαν θανάτῳ. Namque & cognationis intellectus in iis est, inquit Plinius *lib.* 8. *Hist. nat. c.* 42. Idem *l.* 8. *c.* 16. ita loquitur: *Odore pardi coitum sentit in adultera leo, totaq; vi consurgit in*

*pœnam.*

*pœnam.* En Theſei argumentum, quo graviter incuſat Hippolytum, inceſtus in Phædra noverca falsò inſimulatum: *Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas:* apud Senecam *in Hippol.* Agathias παιδεραςίαν ita inſectatur:

Δέρειο τῶν ἀλόγων ζώων γένος. ὃ γὰ ἐκείνων
Φύσις ἀτιμάζει θέσμια συζυγίης.
Ἄρσενι γὰρ θήλεια συνάπτεται.

In Capitolii veſtibulo Canes excubare ſolebant: ab his cum Galli non eſſent animadverſi, ſed anſerum clangore ac ſtrepitu M. Manlius cum ſuis militibus demum eſſet excitatus, *ea de cauſa*, inquit Plinius *l.* 29. *hiſt. nat. c.* 4. *ſupplicia annua Canes pendunt inter eodem Iuventutis & Summani, vivi in furcas ſambucea arbore fixi.* Palumbium gregem velut ſolenni judicio morte adficere ſui generis adulteros ſcribit Philo *c.* 19. Pythagorei quoque de Iure ac juſtitia hominum brutorumque communi multa paſſim inculcant. Ex recentioribus *Guil. Alvernus*, Pariſienſis Epiſcopus, multa de belluarum Iuſtitia & Iure, uti ipſe vocat, recitat. Et *Hieronymus Rorarius* in eo eſt, ut perſuadeat hominibus, bruta melius ratione uſi, quàm homines. Mitto alia aliorum teſtimonia.

## §. II.

His jam reſpondeamus neceſſe eſt. Primum quod attinet de ſanguine humano à beſtiis requirendo, diverſas quidem Hebræorum ea de re eſſe ſententias, tales tamen omnes, quæ Iuris aut Honeſtatis communionem inter bruta hominesque nullam adſtruunt, certum eſt. Vetuſta & receptiſſima apud illos interpretatio hæc eſt, denotari cædem humanam à bruto ab homine aliquo inſtigato factam: Deum ſcilicet non ſolùm vindictam ſumpturum de cæde ab homine, ſive manu,

manu, ſive quovis alio telo, patrata, ſed & quæ fit à beſtia ab homine incitata. Comprobat hoc Solomonis Jarchii gloſſa ad Geneſin, qua meminit, tantam fuiſſe impietatem hominum ante diluvium, ut nocentiſſimas beſtias nutriverint, quo earum miniſterio commodiùs dominarentur. Hinc etiam Ioſephus interdictum de Homicidio non niſi ad homines pertinere cenſet : cuius hæc ſunt verba *lib.* 1. *Archæol. c.* 4. *Iubeo ut ab cæde humana abſtineatis, & ab homicidio ſitis puri, atque eos, qui eiusmodi quid patrarint, punitatis; aliorum autem animalium omnium uſum vobis permitto.*

§. 12.

Alterum quod concernit, nefarium illum cum beſtia concubitum, in tanti facinoris abominationem bruta cum homine comburi aut lapidari jubentur, non quod illa proprie peccaſſent, ac veram pœnam luerent. Homines enim, qui ex commiſſo ſcelere reatum contraxerunt, & ex lege interdum ſic puniuntur, ut ſæpe res etiam aliæ ſive animatæ ſive inanimatæ in loco ſceleris commiſſi repertæ ex eadem lege cum hominibus ſint comburendæ. Ita non ſolùm incolæ urbium apoſtaticarum ob ſua ſcelera erant mactandi, ſed etiam jumenta & pecora deleri, reliquaque bona comburi jubebantur. Sic Cananæorum ſculptilia & luci diis gentium dicati igni addicebantur, ut nulla idololatriæ ſupereſſet memoria, illiusque novandæ occaſio, non ſanè ac ſi hæc tanquam genuina his rebus pœna irrogaretur. Hinc ita Auguſtinus apud Gratianum *c.* 15. *qu.* 1. 1. 4. *Quæritur quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationale, nec ullo modo legis capax? An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ Græcè appellatur Metaphora, ab animali ad inanimale? Sicut dicitur improbus æſtus, veliratũ mare, ita hic translatum & rationale ad irrationale? Nam pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata refricant*

*fricant facti memoriam.* Hanc cauſam ex Hebræis interpretibus complures comprobant, exſtinguendas ſcilicet fuiſſe beſtias offenſionis vitandæ ſtudio. Vnus illorum ita loquitur: *Quamobrem præcipitur in lege etiam beſtiam* ( cui ſe quis miſcuiſſet ) *occidendam eſſe? Ne ea per plateas tranſeunte dicant homines, Hæc eſt beſtia, cujus cauſa aut propter quam lapidatus eſt* N N. Idem videtur indigitare Philo, quando pecoris occidendi hanc primam facit rationem, ὅτι τοιούτοις ἐνεδρεύσιν ὑπηρέτησε, *quoniam tam fœdo facinori operam dedit:* quod ex hominis ſcelere tam infame ſit redditum pecus, ut & ipſum ſit abolendum. §. 13.

Nec diſpar eſt ratio, cur bos cornupeta, qui hominem occidiſſet, lapidandus eſſet: non ſanè ob jus aliquod violatum, ſed ut dominus in re ſua puniretur, quòd negligentiùs illum cuſtodiviſſet. Hinc Fl. Joſephus Archæol. l. 4. cap. 8. Lapidetur, inquit, bos, μὴ δ' εἰς τροφὴν εὔχρηστος εἶναι κατηξιωμένος *quem nec in alimentum ſumi æquum exiſtimabatur*; Sic enim in domini commodum cederet. Non igitur fuit hæc Pœna bruti, ſeu uti Græci ICti loquuntur, ἁμαρτήματος ἐκδίκησις, *culpæ vindicta*, uti olim cenſuerunt Sadducæi, contra quos ita ſcribit Maimonides: *Quod beſtia occidi debuit, quando hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam ab illa exigendam, quemadmodum improperant nobis Sadducæi, ſed ad pœnam exigendam ab hero. Atque inde erat, quod prohibebatur ei uſus carnis bovis huiusmodi, ut ſcilicet etiam boum domini majorem in eis cuſtodiendis diligentiam adhiberent.* Quemadmodum autem in Iure Ro. ex lege, *ſi quadrupes pauperiem fecerit*, actio utilis competit, ubi non quadrupes, ſed aliud animal damnum dederit; ita Hebræi Interpretes legem de bove cornupeta etiam ad cæteras beſtias volucresque extendunt, quoties ad cædem humanam aliquid contuliſſent.

§. 14.

Quæ ex Ambrosio aliisque allata sunt; partim μεταφορικῶς propter aliquam similitudinem, quam brutorum actiones cum nostris habent, partim καταχρηστικῶς ita dicuntur. Hinc brutorum quorundam constantes propensiones & naturales instinctus Juris ac legum vocabulis insigniuntur. Proinde coitus illi, de quibus Ambrosius loquebatur, homini revera sunt vetiti, non item brutis: atque etiam hoc videtur velle, hominem propter suam obligationem, ne quidem delectari debere iis coitionibus, & ad illas adigere aut proritare bestias. Eadem ratione inducti ICti veteres Iuris communionem inter bruta homines que statuebant. Exempla vero allata tanti ponderis non sunt, ut hoc evincant. In specie quod de Camelo narratur, illum *commissi sceleris memorem* camelariũ interemisse, est vitiosa planè textus Aristotelici à Gaza facta translatio. Ipse Aristoteles his verbis rem narrat: μικρὸν δὲ ὕστερον δακὼν τὸν καμελίτην ἀπέκτεινε. Nulla hic mentio sceleris commissi. Consurrexisse leonem in pœnã adulterii, eleganter à Plinio dictum, sed similitudine ex actibus humanis petita. Præterea undenam scimus, quid sit bestiis Veneris nefas, seu, qui coitus illis sua natura sint liciti vel illiciti, honesti aut turpes: Poëticum igitur est, non verè philosophicum illud Thesei dictum. Nec fuit propriè dictum supplicium, quod de canibus sumptum narrat Plinius. Sed anseribus uti aliquis honos fuit habitus, ita canes supplicia quædam impropriè dicta subierunt, ut diligentioris custodiæ & beneficiorum erga Remp. præmia, tum ignaviæ socordiæque pœna velut in schemate seu apologo quotannis civibus repræsentarentur. Pythagoreorum opinio unicè niti videtur ipsorum μετεμψυχώσει seu παλιγγενεσίᾳ. Mitto reliqua, & repeti velim, quæ supra ex Grotii *lib.* I. *de I. B. P. c.* I. §. 11. excerpsi.

§. 15.

§. 15.

Cum itaque Jus Honeſtumque non ſit niſi inter illos, qui ſocietate vitæ certa ratione & ordine inita continentur, uti docet Philoſophus 5. *Nicom.* facilè apparet, harum rerum communionem inter homines & bruta minimè intercedere. Vbi illud velim obſervari, ratione originis indagandæ ſine ullo vitio Honeſtum & naturaliter Juſtum poſſe conjungi, non tamen planè eſſe idem. Honeſtas enim abſtractè & in ſe ſpectatur, uti illa voluntati divinæ noſtræque rationi rectè conſtitutæ conforme eſt: Iuſtum vero ſemper intelligitur cũ obligatione & reſpectu erga illos, quibuscũ ſocietatem talem, ubi officia Honeſtatis exercenda ſunt, colimꝰ. Ex his igitur brutorũ ſimulacris & παραδείγμασι: uti Plutarchus nuncupat *lib.* πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, nõ poteſt nobis de Honeſtatis & Juris natura cõſtare. Quo de argumento plura poſt Seldenum diſputavit, & contraria cum ab aliis, tum potiſſimum Cl. Morſtertio allata argumenta refutavit peculiari libello nobis à ſe liberaliter è Batavis transmiſſo, de Subjecto Iuris Naturalis, Vir Cl. Jo. Frid. Hornius.

§. 16.

Hinc alii illa ex hominum gentiumque conſenſu ponderant. Vnde perfrequenter Ius naturale & Gentium promiſcuè à ICtis Romanis uſurpatur: atque idem Græci ſæpe ἐθνικὸν adpellant. Unde nata eſt diſtinctio inter Ius gentium primarium & ſecundarium: de qua quid ſit ſentiendum, ex ſequentibus puto colligi poſſe. Hunc conſenſum videtur etiam Ariſtoteles fuiſſe ſecutus. Cum enim 1. *Rhet.* 13. Ius tribuiſſet in ἴδιον, *proprium*, & κοινὸν, *commune*, quod κατὰ φύσιν, *ſecundum naturam*, ſeu *naturale*, explicat, ſubjicit, ἔστι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη. *Eſt enim aliquid, quod omnes profitentur naturâ commune jus & injuſtum, etiamſi nulla inter ipſos communio, nullaque pactio intercedat.*

ubi Commentarius græcus Anonymi illud πάντες interpretatur, καὶ οἱ Κελθοὶ, καὶ οἱ Ἕλληνες, καὶ αἱ Σκῦται. Licet enim Græcis cum Celtis, Schythis aliisque barbaris nulla sit communio ex disciplina aut pacto, hos tamen omnes cum Græcis & similibus in quibusdam Iusti & Injusti, Honesti & Inhonesti, capitibus consentire, & easdem de iis anticipationes (προλήψεις appellabat Epicurus, alii κοιναὶς ἐννοίαις) habere. §. 17.

Vberiorem textus Aristotelici explanationem nobis suppeditet Optimus Commentator Alexander Aphrodisiensis *lib. 2. de Anim. c. 42.* *Si*, inquit, *naturâ sociales ac communicabiles sumus, impossibile autem est, durare societatem sine justitia, necesse est jus quoque Naturâ esse. Quod si quoniam apud alios aliud jus est, propterea negent ipsum esse natum, certè id Natura dicent esse, quod apud omnes idem est. Et si jus scriptum, quoniam scriptum est, per Constitutionem & non Natura esse dicent, certe necesse erit, ut Natura non Positione fateantur id, quòd non in scripto vim habet. Sunt quæ eiusmodi pleraque, quæ appellare solemus ex ipso adfectu leges non scriptas, quæ communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excæcati. Revereri enim seniores, colere Deum, honorare atque observare parentes & præstantiores viros, sunt jura quædam non scripta, & communia, quæ naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges sanciunt, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsa Natura.* Sed & plura in eandem sententiam ibi scripta legas. Audiamus iterum Aristotelem. *Nec vero*, inquit 1. *Top.* 11. *edit. Pac. oportet omne problema aut omnem thesin in quæstionem vocare, sed eam, de qua quispiam dubitare possit egens rationis, non pœnæ, aut sensus. Nam qui ambigunt, utrum oporteat Deos colere, & parentes diligere, nec ne, pœna: qui verò dubitant, utrum nix sit alba, nec ne, sensu indigent.*

*digent.* Obiter notetur, quàm egregiè hoc annotatum telum in Academiæ Mediæ & Pyrrhoniæ ſcholæ ſectatores torqueri poſſit.

§. 18.

Ad hunc Gentium conſenſum recurrunt etiam principes Romanorum Philoſophorum, Cicero & Seneca. Ille 2. *Quæſt. Tuſc.* ita docet: *Omnes eſſe vim & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut conſenſus efficit. Non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium, Lex Naturæ putanda eſt.* Hic *Ep.* 117. ita diſſerit. *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri; tanquam Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt, nec ulla gens uſquam eſt adeò extra leges mores q́ projecta, ut non aliquos Deos credat. Cum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet Conſenſus hominum aut timentium inferos, aut colentium.* Hujus generis alia apud alios paſſim reperias.

§. 19.

Ex his jam quodammodo intelleximus, quanti faciant nonnulli hunc univerſalem Conſenſum. Hinc Ariſtoteles 10. *Nicom.* 2. §. 23. inquit: ὃ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναι φάμεν, *Quod omnibus videtur*, ſeu, in quo omnes cõſentiunt, illud ceu verũ recipitur. Cuius pronuntiati hanc licet petere rationem ex 1. *Nicom.* 8. §. 2. τῷ μὲν ἀληθεῖ, πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές. *Quod verum eſt, cum eo congruunt omnia, quæ exſtant inter homines: à falſo autem citò verum diſſidet ac diſcrepat.* Operæ etiam pretium eſt, cognoſcere Interpretum veterum hac de re ſententiam. Τὸ ἐξηγητὸν jam accepimus. Huic addo Euſtratium, qui ad *lib.* 1. *Nicom. c.* 7. §. 25. ita commentatur: *Vtitur verò in hoc*



Digitized by Google

*communi consensu, utpote ex se fide digno, nulloq; extrinsecus ad confirmationem indigente. Nam ubi quid communi consensu probatur, quid in eo opus demonstratione est? De quo omnium Natura consentit, id verum esse necesse est:* inquit iterum Cicero, *de Nat. deor.*

§. 20.

Hæc quæ de consensu attuli, talia profectò sunt, quæ non sunt nullo ponenda loco, quin magni facienda. Quando vero fit provocatio ad omnium, aut plerorumque, aut meliorum consensum, nondum satis planum atque expeditum videtur, quanto in pretio ille Consensus sit habendus, quantamve autoritatem in moralibus habeat, ut ad hæc facienda, illa fugienda te obligatum esse scias. Consensus itaque omnium vel intelligi possit omnium omnino hominum, uti genus humanum ex suis individuis tanquam totum constat: vel quatenus illud in varios populos, civilibus societatibus distinctos, dispertiri licet. De posteriori notione prius.

§. 21.

Vbi protinus præmonendum est, Honestatem cum parendi necessitate intellectam semper in se complecti Obligationem: unde aliis dici solet Ius Naturæ Obligativum: atque hoc propriè tale Ius est. Vel sequiùs accipitur Honestum, quod non est inhonestum, nec injustum, seu, quod Honesto aut Iusto non adversatur; quale est omne id, quod licitum esse dicimus, distinctè tamen à verè Iusto & Honesto usurpatum. Etsi enim omne Honestum sit licitum; non tamen reciprocè inferre licet, omne licitum esse honestum. Quid quod hic Honestum & Iustum cum obligatione ac parendi necessitate consideremus, Licitum vero in nuda permissione consistat: unde nonnullis illud appellare placet Ius naturæ permissivum; sed ἀκύρως.

§. 22.

Iam tu mihi expende illum gentium consensum, quantam utrobique vim habeat, nec ne. Mihi quantum videtur, si liberè dicere licet, ita statuerim, Gentium, potissimùm moratiorum, consensum, tanquam bonorum virorum suffragia, plurimis illius, quod Liciti ac Illiciti notione venit, capitibus egregium perhibere testimonium, magnaque nos autoritate confirmari, non repugnare hoc aut illud honestati, quandoquidem vel hoc fieri vel omitti ab iis videamus, qui ipsius honestatis non parvam rationem habent. Tales enim sanè sunt Moratiores populi. Natura igitur, quæ constans est, cujus item leges æternam ac perpetuam obligationem implicant, si à cultioribus gentibus existimentur non in contrarium obligare, quod tu facis, aut actum tuum ad aliud, aut aliter, faciendum revocare aut restringere, sanè non poteris aliter colligere, quàm illum actum licitum esse. An vero ille Consensus æquè firmum testimonium ferat de præcipuo Honesto, seu Iure naturæ obligativo, meritò dubites. Non nescio plurimos ita docere, Ius Naturæ esse, si tale judicaverint gentes cumprimis politiores: sed an hæc adsertio subsistere ac sufficere possit, eò, ut ego me convictum intelligam, & obligatum ad facienda aut fugienda alia, & quidem neutrum fieri omittive sine peccato posse, id verò admodum est spissum.

§. 23.

Dixi nos hic considerare jam primò genus humanum per gentes divisum, quæ distinctis civitatibus seu Rebusp. reguntur, interque hac moratiores. Cum vero juxta Philophum. 8. *Nicom.* passim legamus, omnem societatē jure aliquo regi, & quidē naturæ seu fini cujusq; societatis accommodato; sine dubio societas civilis & ipsa aliquo jure proprio administrabitur, quod Aristot. appellat πολιτικὸν, civile. Atq; hoc *l.* 5. *Nicom. c.* 7. *pr.* dicit esse vel Naturale,

vel Legitimum. Cum enim Natura non omnibus actionibus humanis leges dictaverit, sed plurimum arbitrio hominum reliquerit, nullo jure determinatum ac circumscriptum, hinc nec civilis societas solo Jure naturali propriè dicto, cum primis ut nunc res hominum sunt, commodè regi potuit, sed etiam νομικῶ, legitimo. Tam varia enim sunt hominum ingenia, tam varia vivendi genera, tam variæ necessitates, & tam multiplex indigentia, ut non solùm non unico lure naturæ, sed nec unius generis legitimo regi potuerint: adeoque pro harum rerum diversitate plurima jura legitima nata sunt, quæ non solùm unius civitatis membro nunc, sed integrarum gentium ac Rerump. diversarum utilitatibus consulerent. Huc pertinent varii generis commercia, fœdera, pacta, ἐπιμαχίαι, συμμαχίαι, & similia. Unde etiam Aristoteles speciatim meminit συμμαχιῶν, easque inquit videri constitui inter civitates non aliam ob causam, quàm ἕνεκα τῦ συμφέροντος, *utilitatis gratia.* 8. *Nicom.* 4. §. 17.

§. 24.

Etsi igitur in societatibus gentium civilibus jura Naturæ exerceri, aut exercita fuisse, negandum non sit; tot tamen illa legum positivarum involucris convestita sunt, ut has ab illis secernere summi, ne dicam desperati ferè laboris sit. Exemplo sit Resp. Hebræorum, de qua ita disserit, quem in multis his secuti sumus, Io. Seldenus in eruditissimo Opere *de Iure nat. & gent. juxta discipl. Hebræor. lib.* 1. *c.* 3. *Et sanè*, inquit, *quale de Atticis ac Romanis legibus diximus, eorumq; philosophis ac moribus, tale de Gentibus, quantum scio, universis aliis est dicendum, præter Ebræos unicos. Nullibi scilicet ex alius cujusquam gentis instituto seu philosophia, seu Theologia, seu Jurisprudentia in ea recepta, certa haberi atque subtilius sic definita Juris Naturalis seu omnium mortalium communis capita, ac seorsim à cæteris sic consensu publico distincta,*

ut

*ut ejusdem velut corpus singulare, simplex, & perpetuò sibi simile tum Nomine tum Usu per se tam autoritate dignoscatur, quam disciplina publica, & in publica rerum administratione sigillatim ac solum, atque eo nomine à cæteris disterminatum, adhibeatur. Commiscentur passim, in libris quos vulgo teritus, capita, qualiacũq; sunt ea, cũ civilibus, è Mosaicis translatis, Evangelicis, Ecclesiasticis, Gentiũ &c.* Quanti verò laboris ac difficultatis sit probè hæc secernere, *eod. cap.* suprà multis declarat. Cum enim gravissimum consilium de Veteris Fœderis lectione ex *Constit. Apost. lib.* I. *c.* 6. attulisset, ἔςω σοι πρὸ ὀφθαλμῶν γινώσκειν τὶ νόμος Φυσικὸς, καὶ τὶ τὰ τῆς δευτερώσεως, *Sit tibi ante oculos propositum, ut cognoscas quid sit Lex Naturalis, & quid deuteroses*: qua posteriori voce ea, quæ Iudæis singularia fuerunt, manifestò notantur; ita subjungit. *Verum cum in Corpore illo legum Ebræis in deserto præscriptarum, Naturalis seu Universalis nomine verbis expressioribus & apertis nullæ appellantur, atque in historia quæ scriptarum hanc legum lationem præcedit, seu Genesin, Diluvium, & sequentia continet, inter dictum habeatur, præter illud in paradiso primis parentibus datum, unum tantum & alterum quod integro hominum Universitati traditum est, atque è virorum sanctorum qui ibi occurrunt exemplis jura cætera quæ in universum obligant indicare (quod ut faciant perquam anxiè sunt aliqui soliciti) sit plusquam difficile; fieri sanè nequivit, quin Jura seu Officia illa Universalia ac Naturalia atque Philosophia illa, quam tractamus, Barbarica, non aliter ferme in Corpore illo Mosaico, atque inter Civilia illa atque Ritualia scriptis mandata latuerit, quàm aurum purum in corona illa Diis vovenda, quàm ex solùm auro puro locaret faciendam Hiero. Historia notissima est. Fuisse certè in ea aurum, argentum etiam fuisse non omnino dubitabatur. At quantum auri, quantumq; argenti ab artifice simul commistum*

 esset,

Digitized by Google

*esset, res erat perquam difficilis dignoscere. Ea quidem res summo Archimedis ingenio tandem est deprehensa, Hominis scilicet, qui ponderum, magnitudinum, ac proportionum, id est, rerum citra quas frustra de quantitate auri in Corona, nisi denuo liquata fuisset, quasi erat quis, erat callentissimus. Absque mathematico ejusmodi fuisset, tale est verisimilius tunc evenisse Syracusis, quale dudum Romæ. Admisti monetæ argenteæ nimii æris accusabatur monetarius. Is ab iis qui rebus præerant impetravit, ut duo constituti judices seorsim causam attentius examinarent, sententiamq; seorsim proferrent. Id ipsi juxta fecere, atque eodem die uterque ex eisdem actis causa atque libellis cognitis, & confessione rei audita, sententiam quidem protulit; sed prorsus absolutoriam alter, alter eousque damnatoriam, ut plurima aureorum millia Reip. adulteratæ monetæ nomine, à reo refundenda censeret, & tum bona eius cætera fisco addicenda, tum capitale insuper supplicium. Ingens hic discrimen. Et à vero forsan uterque, licet pariter diligentissimus, immane quantum recessit. Alterum manifesto scimus. Atque aliis in rebus discernendis simile non rarò accidit. Perplexa rite explicare, confusa invicem distinguere, veri ac falsi confinia horumq; sinuosos anfractus sortis haberi exploratos, & demum ex eis quæ superstruuntur de fundamentis seu principiis rectè conjicere, res est perquam ardua, penè inaccessa, & mortalium paucissimorum. Id quod in quæstione de Jure Naturali ex Civili aliquo simul & Naturalis Juris corpore secernendo, jam memorata inprimis etiã obtinet. &c.* Ain tu Seldene? adeone difficile, imò plusquã difficilè ut tu inquis, est, posse jus positivũ à Naturali secernere, atque illud quod licet à propriè dicto Jure & Honesto, in Pentateucho; quãta igitur quæso erit difficultas, illius præcepta, tanquã recta cæsa in Philosophorũ, ICtorum aliorumq; tam diversè sentientium scriptis sparsa; & comista distinguere, aurumque hoc ab argento separare.

§. 25.

§. 25.

Præterea quando de omnium gentium consensu sermo est, tripliciter hoc accipi videmus. Vel enim hoc intelligendum de omnibus omnino gentibus per universum orbem dispersis: vel iis omnibus, quæ nobis innotuerunt: vel denique de iis, quæ ex cognitis politiores sunt cultioresque. Primo igitur modo si usurpes, ne recentiorum quisquam hodie, nedum veterum, omnes in universum populos habebit cognitos. Etsi enim aliquem eorum numerum ineant Ptolemæus, Marcianus Heracleotes, Ethicus, & id genus alii, nemini tamen non manifestum est, quàm hoc frustra ab iis fuerit tentatum. Atque esto nominetenus cuiquam Cosmographorum fuerint cognitæ gentes, habuit ne idem exploratos, & quidem accuratè & distinctè, illorum mores & instituta? ex quibus tamen unicè judicium in his est capiendum. Et quamvis proximis seculis utraque nobis India patefacta, aliæque terræ commercio fuerint junctæ, nondum tamen omnem globum habitabilem, inhabitabilem veteribus creditum, circumivimus. Si igitur veterum quis ad Consensum omnium Gentium seu hominum provocet, tam lata significatione, nihil certè proficiet, quin potius ludibrium debebit iis, qui abditissimas Asiæ, Africæ, Americæque partes perscrutati sunt, cum veteribus præter Europæ areolam & maritima Africæ loca nihil admodum fuerit cognitum; cumprimis quod ad testimonium ac comprobationem Iuris Naturæ faciat. De tali igitur omnium gentium consensu si verba facias, in aëre piscabere, sive nostra sive antiquissima secula spectes.

§. 26.

Sin altero modo Omnium Gentium consensum inspicias, atque hinc jam Iuris & Honestatis normam ac testimonium petere instituas, videlicet quod per hi-

perhibent omnes gentes à nobis cognitæ ; nova dubitatio & difficultas oritur, ex varia veterum narratione historica huic interpretationi adversante. Suggerit enim nobis protinus Aristoteles 7. *Nicom.* 5.§.20. quasdam esse Barbarorū procul dissitorum nationes, ἐκ φύσεως ἀλόγιστοι, καὶ μόνον τῇ αἰσθήσει ζῶντες, θηριώδεις, *naturâ planè stupidi, sensu duntaxat, & ferino more viventes.* Quod Scholiastes Græcus de Scythis eiusq; generis aliis, Averroës Arabs de populis versus Austrum & Septentrionem remotioribus capit. Quin ipse Magister eiusmodi nonnullos nobis commemorat 8. *Polit.* 4. *Multæ*, inquit, *sunt gentes, quæ ad cædem & humanas carnes comedendas pronæ sunt, quemadmodum Pontum incolentium Achæi & Heniochi,* καὶ τῶν ἠπειρωτικῶν ἐθνῶν ἕτερα: quæ postrema alii de Epiroticis, alii generalius de Asiaticis, alii de mediterraneis accipiunt: *ex quibus*, addit, *alii his sunt similes, alii etiam immaniores.* Plures eius notæ aliis recensentur. Quid Andromacha de Astyanacte præcipitato apud Senecam in Troade ?

*Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha*
*Commisit ? aut quæ Caspium tangens mare*
*Gens juris expers ausa?*

Sed non solùm eiusmodi occurrunt gentes barbaris planè moribus in veteri, sed & recentissima rerum Geographicarum , aut itinerum longinquorum descriptione historica.

§. 27.

Cum igitur plurimæ gentes nobis cognitæ Cyclopum more vivant, ubi εἷς ἑνὸς ἀκούει ἕδεν, age illarum cognitarum gentium mores videamus , quæ certis legibus & institutis civiliter reguntur. De harum Iure ita canit πολυγραφώτατος Michaël Psellus in *Synopsi legum* :

Νόμιμον ἐθνικόν ἐστιν, οὐχὶ τὸ βαρβαρῶδες.
Τὸ γὰρ τοῦ ἔθνους ὄνομα νομικῶς εἰρημένον
Γένων συλληπτικόν ἐστι νόμοις ὑποκειμένων.
*Ius gentium est, non illud quod est barbaricum.*
*Scilicet gentis nomen legitime hic acceptum eas*
*Nationes complectitur, quæ legibus subsunt.*

Verumenimvero nec hoc fundamentum satis esse firmum illa arguunt, quæ suprà de variis sectis scholisque allata sunt. Quid quod multæ ex his gentes, dum magis Iucundum, & cumprimis utile spectarunt, eò vesaniæ prolapsi sunt, ut Iuri Naturæ & Honestati planè repugnantia instituta moresque observaverint, veluti in consanguineorum quorundam, coitu in exponendis liberis, cædibus, idolomania, aliisque. Huc enim pertinent Persarum μητρομιξίαι, portentosa Ægyptiorum superstitio Phænicum aliorumque ἀνθρωποθυσίαι multaque Græcorum, Romanorum, aliarumque ejusmodi gentium instituta, quorum benè multa congessit suprà invidiam positus Calixtus nostras *Epit. Theol. mor. tit. de Legib. p. m. 49. seqq.*

§. 28.

Quomodo verò τὸ Vtile detrahere sæpe soleat Honesto, jam suprà attigi, & pluribus à Cicerone his Libris explicatur. Iam vero non mihi quisquam ullam tam moratam adferet gentem, quæ utilitatis sive veræ sive apparentis rationem præcipuam non habuerit, sicut Poëtæ credita fuerit *Vtilitas justi prope mater & æqui.* Et cum Ius legitimum, quod præcipuè Vtilitati servit, &, uti Aristoteles 5. *Nicom.* 7. §. 11. ait, mensuris simile sit; quæ uti pro locorum conditione, meritum vel abundantia vel penuria, miris modis variant, ita quoque Ius illud pro vario Rerump. statu & ὄρῳ variat, ac non rarò

-- -- -- *Sidera terra*
*Vt distant, & flamma mari, sic Vtile Recto;*

ut apud

ut apud Lucanum Pothinus inquit : Hoc ſcilicet argumento ſubnixus Carneades omne Ius Naturale ridebat, vel, ut rectius dicam, nullum eſſe tale Ius & perpetuò Honeſtum omnibus hominibus contendebat. Audiamus Lactantium *Inſt. diu. c.* 17. *Eius diſputationis ſumma hæc fuit. Iura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eosdem ſæpe pro temporibus mutata, Ius autem Naturale nullum eſſe. Omnes & homines & alias animantes ad utilitates ſuas, natura ducente, ferri; proinde aut nullam eſſe juſtitiam, aut, ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultiam, quoniam ſibi noceret alienis commodis conſulens.* Etſi vero hæc diſputatio abſolutè ſpectata falſa ſit, ſi tamen ex gentium moribus aut uſu Ius naturæ metiri velis, valde vereor, ne illi in plerisque concedendum ſit, propter rationes jam adductas. Perinde uti Medicus conſultus, quæ ſint ſalubria, operam luderet, ſi vel è vulgari hominum victu, aut opiparis lautiorum hominum menſis ac ferculorum ſtruicibus illa diſcenda eſſe moneat.

§. 29.

Sed nec hoc diſſimulandum eſt, Naturæ perſonam ſæpe qualemcunque conſuetudinem induere, ſuaque larva multos fallere, ut quod ex hac originem ceperit, pro Naturæ dictatis venditetur. Hinc enim Alexandro Aphrod. *lib. de Fato*, Hominum δαίμων, & Philoſopho in Rhetoricis ipſa altera Natura dicitur. Qua de re elegans exſtat exemplum apud Herodotum *in Thalia*. Darius græcæ originis ſubditos in ſua ditione habitantes convocavit, & ex iis quæſivit, quanta pecunia defunctis parentibus, Indorum more, veſci vellent: qui cum negaſſent ſe ad ejusmodi immanitatem ullo pretio adduci poſſe. Indos accitos rogavit, quo pretio illi poſſent placari, ut Græcorum more defunctos patres in rogo comburerent, nec deinceps ſuis ventribus tanquam ſepulcris conderent: qui anxiè reclamantes meliora illum vel ro-

gare vel ominari jubebant. Credebant hi ſcilicet deteſtandum per ſe morem niſi retinerent, tum Naturæ & Officio ſe adverſaturos eſſe. De variis igitur talium gentium inſtitutis ſive legibus ſive conſuetudine introductis licebit forſan non immeritò illud uſurpare Maximi Tyrii *Diſſert.* 1. *Leges & jura pro cuiusque placito in partes ita diſtrahuntur dilacerantur q́, ut non modò gens cum gente, ſed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum ſecum ipſo conſentiat.*

§. 30.

Sed videamus jam poſtremo modo intellectum Conſenſum, qui eſt Gentium moratiorum. Etſi enim proximè dixerimus de gentibus, quæ legibus quibusdam civiliter reguntur; eo ſolum id nomine factum eſt, ne ex cognitis gentibus extremè barbaras ſeligere videremur, qui nullo jure utuntur: hic vero illas intelligimus, quæ non ſolùm Legibus uſæ fuerunt, ſed Reſpp. habuerunt florentiſſimas potentiſſimas q́ue, quæ item præ aliis virtutis ac ingenii excellentia ac laude eminuerunt. Cæterum hoc dum paro, quæ quæſo Gens primas, quæ ſecundas, atque ſic deinceps tenebit? Quæ non principem ſibi locum vindicabit, vel ſaltem pari loco ac dignitate volet haberi? atque ita quotquot moratiores cupiunt eſſe gentes diverſis caſtris continebuntur, & de loco ubi depugnandum fuerit, Græci adverſus Latinos, & adverſus iſtos Ægyptii, Perſæ, Chaldæi, Æthyopes, Iudæi, aliiq́ue adverſus alios ſuas copias ducent. Vt jam hinc manifeſtiſſimè appareat, ægerrimè etiam poſſe ſuperſtrui Ius Naturæ & Honeſtatem illi moratiorum gentium conſenſui, quandoquidem adhuc ſub judice lis eſt, quænam ſint ille moratiores: nec enim una alteri cedere vult, ſed plæræque ſub ſignis adhuc commorantur. Hæc cauſa inductus videtur Conſtantinus Harmenopulus, ut in Prochiro ſuo *lib.* 1. *tit.* 1. Jus gentium

nihil

nihil aliud esse voluerit, quàm quòd distributè habetur apud qualescunque gentes, utcunque invicem discrepans. Ita enim ex translatione loquitur: *Ius gentium est, quo gens gentesq; utuntur aliquæ. Vt non miscerι matribus apud Sauras* (*Sarmatas* substituit Ioannes Mercerus) & Græcos: contraque iis misceri apud Persas.

§. 31.

Sed esto, fuerint sive omnium in universum, sive omnium à nobis cognitarum, vel ex his moratiorum mores in aliquot capitibus, commerciis, conjugiis, successionibus & similibus sibi cõsentanei, unde mihi ex his de Iure Naturæ & Honestate constabit nisi Obligationis originem, vim atque autoritatem videam? Nec enim Ius hoc sine Obligatione intelligi potest aut debet, quod Natura sit constans, adeoque tale Ius nobis dictet, quod *πανταχῆ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν*, uti Philosophus ait, *ubique eandem ac perpetuam obligandi vim habens.* Nos vero cum hic consideremus Gentes civilibus societatibus ac imperiis discretas, non videtur una esse alia superior, ac per consequens, nec alia aliam obligare poterit. Quid enim est Obligatio? est juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad aliquid faciendum, præstandum, observandum aut fugiendum. An vero gens suis moribus liberè utens aliam æquè liberam & *αὐτόνομον* sibi ita devincire poterit? non meliori sanè ratione, quàm si dicas, crapulam in moribus esse Germanis, Polonis, Danis, Moschis, aliisque, nec recedere ab eo more licere Germanis, quod idem à reliquis non fuerit abrogatus.

§. 32.

Quid vero si forsan dubium quem redderet illa Iuris regula? *Refertur ad universos, quod fit per majorem partem. l.* 160. *ff. de R. I.* adeoque plures gentes quod statuerint, eidem parendi necessitatem imponi reliquis? Sanè ubi ejusmodi sunt partes, quæ ad sui totius essentiam

consti-

constituendam requirantur, sic ut imperio, vel pacto aliave ratione in unum corpus illæ coaluerint, locum suum hæc regula habet: quemadmodum videre est in *l.* 19. *ff. ad munic.* Grotius 2. *de I. B. P. c.* 5. *n.* 17. Gentes verò non hic eo modo consideramus, una Rep. tanquam partes continuas comprehensas, sed liberas, & seorsim sua quamque ditione secretas. Etiamsi igitur duæ pluresve gentes aliquod Jus sanxerint; aut à moribus communibus recesserint, numquid hoc exemplo reliquæ ad idem faciendum erunt obligatæ? Non paret.

§. 33.

Rectius igitur forsan Honestatis Jurisque naturalis originem & capita elicere licebit ex Rationis humanæ, illius inquam, quam Rectam appellant, usu & dictamine. Ne quid dicã de illo Paulino ad *Rom.* 1. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. *Illud quod de DEO cognosci debebat, manifestum illis est redditum. Ipse enim Deus illis manifestavit*, h. e. *manifestum est ex eo, quod in illis est, id est, ex lumine intrinseco*: uti ad hunc locum Doctor Angelicus commentatur. Ipsi gentiles Scriptores passim profitentur κοινὰς ἐννοίας καὶ προλήψεις, *communes notitias & anticipationes* homini inesse, & tantum non connasci, quibus veluti principiis Mens practica usu ad plurimas conclusiones sine errore descendere queat. Ejus generis sunt, Bonum expetendum, Malum esse fugiendum: Honesta esse facienda, Turpia fugienda. Cui non dictus Hylas, ὁ νόμος ἐστὶν λόγος ὁ ὀρθὸς *Lex*, cumprimis naturalis, *est recta ratio*. Ita scilicet inclamat nemo non, etsi sectis vel maximè alter ab altero dissideat.

§. 34.

Hinc quoque ipse Aristoteles Jus Naturale ita describit, τὸ πανταχοῦ, τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή. *Quod ubique eandem vim obtinet, & non quia*

*ita videtur, vel non.* 5. *Nicom.* 7. §. 2. Constans igitur sibi hoc jus est, nec obnoxium est ulli mutationi aut arbitrio hominum, quod illi adhibent in Iure Legitimo, ex variis gentium opinionibus, aut diverso civili bono orto; sicut si aliter visum fuerit, aliave ratione suis utilitatibus rectius prospectum, liceat ab eodem recedere. Vbi notandum illud παντα̃χου̃ *ubique* à Paraphraste Græco ita exponi, παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθω̃ς κ᾽ ὑγιω̃ς ἔχουσι, κ᾽ οὐδὲ τοῖς νοσου̃σι τὰς φρένας κ᾽ διεστραμμένοις, *Apud homines qui rectè & ut oportet sapiunt, non apud eos, quibus laborat mens aut perversa est.* Atque in eandem sententiam loquitur Michaël Ephesius ibi: παρὰ τοῖς πλείστοις, κ᾽ οὐδιαφόροις, κ᾽ κατὰ φύσιν ἔχουσιν, *apud plurimos, qui tamen perversi non fuerint, sed secundum naturam se habuerint. Nam apud eos (ita enim pergit) qui ferinum in morem vivunt prorsusq; excæcatam mentem habent, ac solùm brutorum voluptatem sectantur, nullum Naturale Ius est.* Verum quid de hac utriusque commentatione sentiendum sit, pòst pluribus declarabo. Adhibeamus adhuc testem Iuris Naturæ & Honestatis perpetuæ omnium Romanorum veterum eruditissimum Philosophum practicum, Ciceronem, qui 1. *de Legg.* docet: *Est unum Ius quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una. Quæ lex est Recta Ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nuspiam.* Et paulò pòst: *Nos legem bonam à mala nulla alia nisi naturali norma dividere possumus. Nec solùm Ius & Injuria à Natura dijudicantur, sed omnino omnia Honesta & Turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit ea, quæ in animis nostris inchoavit, ut Honesta in virtute ponantur, in vitiis Turpia. Hæc autem in Opinione existimare, non in Natura posita, dementis est.* Quid clarius dici

potest?

poteſt? & eius generis complura apud Platonem, Senecam, Plutarchum, ICtos, aliosque reperies.

§. 35.

Hæc ut exacta lance expendantur, duo inveſtiganda antè ſunt: primùm quid ſit Recta Ratio: deinde an uno hujus Rationis uſus modo, an pluribus conſiderari poſſit. Poſterius enim ſi verum eſt; incredibile eſt, quantum alterum ab altero diſtet. Prius quod attinet, ſciendum eſt, per Rationem ſeu Rationale nos intelligere illam facultatem, quæ illam eſſentialiter habet ac poſſidet. Ipſa hæc ratio, ſeu facultas ratiocinandi à Natura eſt. Recta ut ſit, per ſuam virtutem conſequitur; hoc enim Virtus præſtat, ut illam facultatem, cuius virtus eſt & dicitur, perficiat, & illam ad munus ſuum rectè, promptè ac facilè obeundum inſtruat. Hæc igitur Rationis ὀρθότης, non ut ipſa Ratio, nobis connaſcitur, ſed induſtria adquiritur. Cumq; Ratio vel in Neceſſariis, vel in Contingentibus verſetur, atque his vel πρακτοῖς vel ποιητικοῖς, *activiis vel effectivis*; non ſanè in tam diſſimili materia ut rectè ſe gerat, una Virtute perficitur, quin potius omnibus iis, quibus licet in neceſſariis & contingentibus ἀληθεύειν, *verum colligere*. Enumerantur in hunc uſum ab Ariſtotele *6. Nicom. 3. §. 2.* quinque: Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Tres priores perficiunt Intellectum Theoreticum, ut debito modo in neceſſariis poſſit ἀληθεύειν: Prudentia Intellectum Practicum, ſtrictè jam hic acceptum; nam aliàs ſolet ſæpe Effectivum comprehendere, ut in rebus agendis, ſeu quid in vita ſequi quid fugere conveniat, rectè ſe gerat. Hinc ita legas licet 6. *Nicom. ult. §. 17. Recta Ratio eſt ea, cui Prudentia moderatur.*

Et §. 21. *Recta de talibus rebus Ratio est ipsa Prudentia.* Denique Ars perficit intellectum Effectivum, ut in effectivis dextrè suo munere fungatur. Adeoque si accuratè hæc examinare velimus, Recta Ratio triplex fuerit, Theoretica, Practica, Effectiva. Si igitur cui absolutè Recta Ratio tribuatur, necesse est, ut omnibus his virtutibus mentis polleat, & quidem in summo gradu. Quia enim omnis Moralitatis, ita & Virtutum omnium gradus sunt, ac per consequens ipsius quoque Rectæ Rationis gradus erant, sic ut alius alio majorem illius ὀρθότητα habeat. Quando igitur ab allatis Scriptoribus & plurimis aliis Recta Ratio ferè unicè ad τὰ πρακτὰ *res agendas*, refertur, illud sanè non fit satis recta ratione.

§. 36.

Illustrari hæc ipsa haut parùm poterunt egregia explicatione Adovardi Gualandi, Pisani, Episcopi Cæsenatis, qui *lib.* 4. *de civ. facul. cap.* 11. ita scribit: *Cum Ratio suapte natura recta non sit, & ad reliquas animæ potestates, propriasq; actiones dirigendas illam rectam esse sit necessarium: quippe quam hujus humanæ vitæ vitæq; solam ducem habemus; quærendum omnino videtur, quonam pacto etiam primùm dirigere, ac reddere rectam possimus. Rectam vero tum fore existimandum est, cum hominem recta ad eum finem perducere poterit, quò est ei perveniendum. Hic autem is est, ad quem illum Natura condidit, nempe Felicitas. Tunc igitur Recta Ratio erit, cum erit apta hominem ad felicitatem sine ulla ambage & errore perducere: ut bonus gubernator navim in portum, & auriga vehiculum, quò est perventurum. Aptam vero eiusmodi ductui habendum censemus, cum Arte* (habitu seu virtute) *felicitatis adsequendæ fuerit instructa: hæc autem est Civilis Facultas.* h. e. Prudentia. Plura ibi sequuntur lectu dignissima: quia vero quædam inspergit θέσει δ' ἁλεύοντα, nec forsan ex asse omnino

conve-

conveniant cum iis, quæ infra dicturi ſumus, paucis his contenti erimus. Tantum igitur de priori.

§. 37.

Deinde Ratio eiuſque uſus videtur dupliciter intelligi poſſe. Aut quà in ſe ſpectatur, ſine ulla relatione ad humana natura ſupetiorem facta, cuius autoritate ad Boni Malique diſcrimen, illius perſecutionem & hujus fugam, obligatos nos eſſe agnoſcamus. Alter modus eſt, qua ad Superiorem Ratio refertur, atque inde omnem vim, robur, ipſamque originem & effectus conſecuta intelligitur. Si quis priori jam modo Rationis, & quidem utcunque Rectæ, uſum conſideret, nondum apparet, quomodo hinc de Iure Naturæ perpetuaque Honeſtatis obligatione certior eſſe poſſis. Quod tamen non ita accipi velim, ac ſi nullum planè ſubſidium variarum, moratiorum præprimis, gentium ac prudentiorum virorum rationes ac argumenta vitæ adferre queant. Nam jam ſuprà dixi, plurimum fidei facere hunc conſenſum cumprimis in iis actionibus ſuſcipiendis aut fugiendis, ubi quæſtio eſt, licitæne ſint an illicitæ. Nec non aliquod momentum addunt adſtruendo Iuri Naturæ Obligativo, dum ex tuæ & multiplici aliorum rationis uſu ac diſſidentibus hominum ſententiis ac diſputationibus probabiliter aliquid colligis: quemadmodum complurimum virginum pulcherrimarum, quas ſeligendi copiam Crotoniatæ celebri pictori Zeuxi dederant, formæ invicem ſatis diſſimiles id ei præſtiterunt, ut unicam Helenæ faciem ac formoſitatem, quæ magno pretio propoſita penicillo exprimenda erat, velut excerperet. Sed hoc ſolùm urgeo, an inde ita certus eſſe & convinci poſſim, ut ſine peccato vel hoc omittere, vel agere illud nequeam, & utrobique vel ad omiſſionem, vel ad actionem me ita obligatum ſciam, ut, ſecus ſi à me quidquam fiat, pœnæ obnoxius ſim. Nuda enim illa probabilitas

bilitas ad hæc non ſufficit, uti infrà pluribus demonſtrabitur.

§. 38.

Hoc ut tantò manifeſtius reddatur, &, quid ſtatuendum ſit ſciamus, omnium veterum Philoſophorum principem Ariſtotelem adibimus, contemplabimurque, quibus principiis ac demonſtrationibus ſuffultus ille in Honeſtatis origine & natura indaganda utatur. Cum enim ſapientiſſimos quosque veteres vel legerit vel audiverit, ipſeque omnis methodi, quæ ad veritatem ducere poſſit, ſummus magiſter & artifex ſit, vel apud hunc genuinam de Honeſtate diſputationem legitimasque demonſtrationes inveniemus, aut fruſtra aliorum ſcrinia & loculos excuſſerimus. Hic enim uti pluræ rivus aquæ fluit: reliqui (Platonem ſemper excipio, nec non Ciceronem) veluti *cavæ tepido ſudant humore lacunæ*. Si tamen præter hos & alii aliquid lucis huic diſputationi adferre poterunt, non penitus ſunt negligendi.

§. 39.

Flaminius nobilis certè Philoſophus Honeſtatem ex Ariſtotele ita definire inſtituit: *Honeſtas*, inquit, *veritas eſt, quam ſequatur & admittat appetitus*. Non malè, modò ſatis perſpicuè hoc dictum ſit. Ariſtoteles τῆς εὐπραξίας ſeu actionis honeſtæ duo conſtituit principia, Rationem & Appetitum: quæ neceſſe eſt ut amicè conſpirent, ſiquidem velis verè honeſtè agere: quod fiet, ſi illa lucem præferat rectèque dijudicet à malo bonum, hanc vero ut Appetitus ſequatur; ſic enim & in animo, & in actionibus ipſis εὐπραξία illa elucebit. Quemadmodum autem Ratio veritatem inquirit & commonſtrat, hæc affirmando, iſta negando: ita Appetitus vel cupiditate ſua adfirmationi, vel negationi fugâ reſpondet. Si itaque quod Ratio adfirmat, Appeti-

tus

tus perſequatur: &, quod illa negat, hic quoque averſetur, tum oritur illud quod quæritur Honeſtum. Neutrum tamen fieri poteſt rectè, niſi & Ratio & Appetitio ſuis virtutibus ſint perfectæ. Præclarus hanc in rem exſtat textus 6. *Nicom.* 12. §. 16. & 17. *Ex Prudentia atque ex ea Virtute, quæ ad mores pertinet, totum Honeſtatis opus abſolvitur. Virtus enim ſcopum propoſitum agenti rectum efficit: Prudentia vero ea, quæ ad ſcopum ducunt.* Hæc eleganter παραφράζει Andronicus quondam doctiſſimo Heinſio creditus. *Præterea*, inquit, *ad omnem actionem honeſtam conducit Prudentia, & per eam quodlibet tale opus perficitur. Virtus quippe moralis ad finem voluntatem dirigit bonum, ſcopumq; rectum efficit. Prudentia verò ea, quæ ad rectum tendunt finem, quærit: ſed & deliberat, quibus potiſſimum mediis optimè façillimeq;, & ut oportet, finem adſequi poſſit ſuum.* His addatur *cap.* 2. *lib.* 6. *Nicom.* ubi de Veritate practica prolixiùs agitur: & quæ diximus *Examine Probabilitatis Jeſuiticæ cap.* 9. *ad regul.* 9.

§. 40.

Vbi igitur eſt ejusmodi Rationis & Appetitus diſpoſitio, atque concordia, ibi animus veris ad Honeſtatem dotibus eſt inſtructus, ſic, ut illa non ſolùm externis actionibus ſe prodat, ſed quoque ipſis habitibus honeſtatis animum imbuat perficiatque. Hinc eſt, quod Ariſtoteles ipſius Virtutis definitioni προαίρεσιν inſeruit, quæ nihil eſt aliud, quàm vel ὀρεκτικὸς νοῦς, vel ὄρεξις διανοητικὴ, uti loquitur 6. *Nicom.* 2. §. 18. h. e. ſecundùm Paraphraſtem: *Quia appetitus principium eſt Mentis agitatio, præelectionis autem Appetitus; erit aut mens quæ appetitu, aut appetitus qui tali mentis agitatione utitur, ipſa præelectio. Hæc autem ſoli animali illi competent, quod ratione eſt præditum.*

*Is autem est homo. Planius idem dicit ipse Magister 3. Nic. 3. §. 40. Quoniam id de quo consilium capitur, sub deliberationem & appetitionem cadit, cum sit ex numero earum rerum, quæ in nobis sitæ sunt; consilium (προαίρεσις) erit earum rerum, quæ in nostra potestate sunt, appetitio ex consultatione proveniens.* Omnis itaque Honestatis decor, qui in virtute micat, in hoc Rationis & Appetitus consensu consistit, ut illa verum bonum ab apparente vel planè falso discernere sciat, hic facili obsequio illi pareat. Si enim Ratio pravis opinionibus dementata Appetitum in suum obsequium abripiat, non Honestas hinc, sed Turpitudo existit.

§. 41.

Nemini vero non apparere existimo, in Flaminiana Honestatis definitione non theoreticam, sed practicam designari veritatem, uti jam tum innui. Illa etenim consistit in consensu seu adæquatione, uti loqui nonnulli amant, intellectus cum re ipsa. Hac igitur licet multi sint præditi, nihil tamen impedit, quò minùs flagitiosissimè, uti sæpe fit, vivant. Hæc verò, quam quærimus, Practica in eo consistit, ut, quod Ratio rectum judicaverit, tanquam præceptum ab Appetitu sine ulla morositate sit faciendum, & quod pravum judicaverit eadem, ceu prohibitum sine ulla renitente libidine ab Appetitu intermittatur & vitetur. Quemadmodum vero istius veritatis, quæ unicè ad theoriam pertinet, norma & mensura ipsa illa res est, cujus naturam contemplatione nostra perquirimus, ita forsan Veritatis Practicæ etiam quædam erit amussis & norma. Hanc Cicero constituit *excellentiam & dignitatem humanæ naturæ, & finem illum nobilissimum*, propter quem videmur à Natura in huius Universi possessionem immissi: sic ut quidquid cum illa excellentiæ & finis nobilitate, in actionibus, adfectibus & consiliis nostris consentiat, illud omne Honestum: quidquid ab iis dissentiat, Turpe sit habendum.

§. 42.

Si itaque ad hanc regulam Honestatis articulos explorare velimus, duplex denuo Honesti notio nobis obrepit. Vel enim ipsum factum in se spectatum cum hominis dignitate & fine conveniet, vel etiam facti qualitas & modus cum iisdem conspirabit. Aliud igitur est genere ipso honestum, aliud non solùm genere, sed & modo honestum est, seu, quod etiam honestè fit. Aristoteles breviter hoc ita distinguit, quando inquit, multum discriminis esse inter Iustum factū, & Iustè factū: ita quoq; plurimùm distat Honestum factum ab honestè facto. Hoc enim perfectius est, & illud in se continet. Nihil enim honestè fieri potest, quod non per se sit honestum, aut, si latiùs hoc porrigere allubescat, saltem quod non sit inhonestum aut turpe. Non item istud hoc complectitur; nec enim quod per se honestum est, semper honestè fit. Sic absolvere innocentem judicio, per se honestum est: illud tamen si à te fiat, quæstus causa, odio adversarii singulari, simili ve ratione inducto, nullam inde honestatis laudem, sed vituperationem potius, & pro re nata pœnam mereberis. Sublevare inopiam pauperum valde honestum est: si vero minùs des, quàm conveniat, aut si de alieno liberalis sis, aut gloriolam inde captes, aut miseris convitia immeritò ingeras, aut ad illicita studia tibi obnoxios reddere velis, tantùm abest, ut honestè hæc fiant, ut potius decentissimam Honestatis faciem polluas, multaque fuligine deformes. Sed in re manifesta non est laborandum. Addat cui lubet 2. *Nicom. cap.* 4.

§. 43.

Vt igitur Honesti natura perficiatur, necesse est, non tantùm ipsum factum per se cum fine & excellentia naturæ nostræ conspirare, sed & modum facti. Modus ille in observatione singularium seu circumstantiarum,



Digitized by

quæ in ſingulis actionibus occurrunt, ejuſque moralitatem ac meritum variant, conſiſtit. Illas circumſtantias enatrat 3. *Nicom.* 1. §. 44. Quis agat, quid agat, ἢ ἐν τίνι πράττει, *& qua in re verſetur actio*, adde quo in loco aut tempore: *interdum vero & quo, putà inſtrumento, & cujus rei cauſa, & quo modo. Ea autem*, inquit §. 49. *videntur* principem locum obtinere, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, καὶ οὗ ἕνεκα, *in quibus & actio conſiſtit, & id, cujus gratia actio ſuſcipitur.* Atque in his conſiſtit illa decantata Ariſtotelis Mediocritas, quam neſcio cur nonnulli ita carpant ac vellicent. Ita enim ille definit Virtutem 2. *Nicom.* 6. § 26. quod ſit habitus προαιρετικὸς, in Mediocritate illa, quæ ad nos eſt, conſiſtens, definita ratione, pro judicio viri prudentis. Quid enim aliud eſt Mediocritas ad nos relata, quàm ea, cuius regula & norma noſmet ipſi ſumus, & ea, quæ vel in nobis, vel circa nos exiſtunt?

§. 44.

Cum enim Mediocritate Philoſophus Virtutem conſtituere vellet, quæ inter Nimium & Parum eſt interjecta, ſimulque ad hoſce tres terminos, Exceſſum, inquam, Defectum & Medium, actiones & adfectus noſtros intendi & remitti poſſe demonſtraſſet, duplex facit Medium, alterum rei, alterum πρὸς ἡμᾶς. Illud ſemper ab extremis ſuis æqualiter diſtare, unum idemque eſſe omnibus, nullamque ſive extemporum ſive perſonarum aliorumve ſingularium varietate mutationem recipere docet. At Medium ad nos relatum convenientem ubique modum tenet, ut neque exceſſu neque defectu exorbitet, ſed decorum in actionibus diligentiſſimaque circumſtantiarum obſervatione religioſè ſemper conſectetur. Eandem, inquit Ariſtoteles, rationem Gymnaſiarcha in exercitatione corporis, eandem Aliptes in victu athletarum præſcribendo ſequitur; nec enim idem erit

demenſum

demensum & alimentum tironis alicujus, & Milonis ταυροφόγυ. Ejusmodi enim Mediocritatem non solùm Virtutes, sed etiam Artes, quæ dicuntur σοχαστικαὶ, majoremque propter materiæ inconstantiam prudentiam, qua dispensentur, requirant, intendunt; quanquam in aliis rebus hæ, in aliis istæ illã indagent. Ita medicus si viderit sex drachmas nimiũ, duas parum esse, non protinũs quatuor præscribit, ac, si plures eodẽ morbo adfecti decumbant, non æqualem δόσιν omnibus propinabit, sed constitutionis, temperamenti, virium, ætatis, sexus, victus, vitæ generis variam rationem habebit. Ita quoque non promiscuè omnibus eadem diæta præscribenda fuerit; sæpe enim quod huic prodest, alteri obest, quod huic pharmacum, illi venenum est. Idem in vita Vir bonus observare debet, ut omnia dicta, facta & consilia, ad naturæ suæ dignitatem & finem adtemperet, atque ad hanc lancem omnibus actionum attributis appensis τὸ καλὸν in tali Medio consectetur. §. 45.

Nec cuiquam ex his obscurum amplius esse poterit, hanc virtutis mediocritatem, seu ipsam Honestatem, non hærere puncto aliquo mathematico, sed satis magna amplitudine, & per varios moralitatis gradus, diduci: ut non dubitet in hanc sententiam scribere Philosophus 2. *Nicom. ult.* §. 16. *Qui paulùm à perfectione deflectit, sive modum aliquantulum superet, sive etiam aliquantulum eum deserat, non vituperatur; Sed is tantum, qui longiùs, quàm par sit, ab eo discedit.* Eadem etiam repetit 4. *Nicom.* 5. §. 28. Certum itaque est, Honestatem quidem esse unam essentia, ex multis tamen quasi partibus conflari; & per varios gradus amplificari: quemadmodum corporis pulchritudo ex diversarum partium aptè consentiente συμμετρία resultat. Alexander Aphrodisiensis Honestum circuli centro æquiparat, quod cum reipsa sit unum, pro varieta-

varietate tamen linearum, in diverſas partes atque regiones ex eo productarũ, ſit quod ammodo varium & multiplex, & nunc huius nunc illius lineæ terminus appellatur. Eadem prorſus ratione Honeſtum, cum natura ſua ſit unum, pro varietate tamen adfectuum, actionum & tot ſingularium, quæ prudenter moderatur, varium quaſi redditur ac multiplex. Atque hinc etiam haut incommodè illa, quæ non minus Stoicis quàm Peripateticis placuit, Virtutum ἀνταικολούθησις ſeu connexio colligi poterit, ut ubi una ſit perfecta Virtus, ibi ſint reliquæ omnes. Talis enim cum ab Honeſtate ſeparari nequeat, hæc ſua latitudine omnes Virtutes animo vel genere ſaltem, ſi forſan ipſarum actionum opportunitates aut inſtrumenta deſint, complectitur.

§. 46.

Idem etiam eleganter Seneca comprobat & illuſtrat, quando Honeſtatem in animo & actionibus inde prodeuntibus *pulchritudinem* eſſe pronuntiat. Atque idem Græci combinata τῦ καλῦ ſignificatione videntur innuere, quod & *honeſtum* & *pulchrum* ſignificat. Pulchritudo autem vel in concinna extremitatis diſpoſitione, ſecundum I. Cæſ. Scaligerum, vel in partium variarum eleganti ordine, harmonia & conſenſu conſiſtit. Sed quorſum hæc? Rem cognoſce ex Tullio noſtro 1. *Offic.* &, ut ſpero, eam amplectêre: *Nec vero*, inquit, *illa parva vis naturæ eſt, rationiſq́, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis, dictisq́, qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem Natura Ratioq́, ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factisq́, conſervandum putat: caretq́, ne quid indecorè effeminatéve faciat: tum in omnibus & opinionibus & factis ne*

quid

*quid libidinosè aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur, & efficitur, idquod quærimus Honestum.* Atque hinc, quos libros alii de Officiis inscripserant, Nicolaus Damascenus, de eodem argumento conditos *de interiore Pulchritudine* insignivit: teste Simplicio *ad Enchir. Epict. cap.* 37. Quemadmodum item suavitas concentus musici maximè in consensu & proportione diversorum sonorum, quæ Harmonia dicitur, sita est: eodem modo hæc animi Pulchritudo, quæ Honestas est, in convenienti quodam adfectuum, consiliorum, actionumque omnium ordine, consensu & harmonia cernitur, cuius ratio *ex Naturæ nostræ dignitate ac fine* sumitur. Si itaque ad hanc cynosuram, quæ quasi Honestatis norma est, respexerimus, & ex ea actionum nostrarum rationes moderati fuerimus, observatis omnibus, quæ circa factum occurrunt, circumstantiis, & adfectus rationis imperio obsecuti fuerint, actiones denique ministerio corporis perfectæ, cum hoc animi proposito, ipsaque adeo natura rationali ac sociali consenserint, oritur pulcherrimus & suavissimus Honestatis concentus: Si quid discrepat in his, & hanc harmoniam turbet, oritur Turpitudo.

§. 47.

Idem alia quadam ratione nobis demonstrare student Stoici, quando Honesti naturam in Decoro consistere adserunt. Ita enim Cicero ex illorum mente 1. *Offic. Huius vis est ea, ut ab honesto non queat separari. Nam & quod decet, Honestum est: &, quod Honestum est, decet.* Constituit deinde duplex πρέπον seu Decorum, unum tàm latè patens, quàm ipsius Honestatis ambitus se porrigit: alterum particulare, quod potissimum ad Temperantiam ejusque actiones restringit. In Honestatis igitur natura investiganda facilè apparet τὸ πρέπον universale seu generale esse intelligendum. Differentiam vero,

Digitized by Google

verò, quam diſertiſſimus Romuli nepotum inter hæc conſtituit, nec ſatis explicavit, Ariſtoteles ſanè neglexit. *Qualis autem*, ait iſte, *differentia ſit Honeſti & Decori, facilius intelligi, quàm explanari poteſt. Quidquid enim eſt quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas.* Philoſophus vero, uti dixi, hæc nuſpiam ſeparavit, aut diſtinxit, quin potius ceu ejusdem naturæ res conjunxit. Ita enim ille loquitur 10. *Nicom.* 8. §. 2. δίκαια καὶ ἀνδρεῖα, καὶ τἆλλα τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς πρὸς ἀλλήλους πράττομεν ἐν συναλλάγμασι, καὶ χρείαις, καὶ πράξεσι παντοίαις, ἔν τε τοῖς πάθεσι τὸ πρέπον ἑκάστῳ διατηροῦντες. *Juſtitiæ, & fortitudinis, & aliarum virtutum actiones exercemus inter nos in contractibus, neceſſitatibus, actionibus omnis generis, in perturbationibus item, cuiq; competens Decorum attribuentes.* Hiſce eleganter ſubjicit Paraphraſtes: Ταῦτα δὲ πάντα, τὴν σύνθετον ταύτην συντηροῦσι ζωήν. *Hæc omnia illam, quam commodè ordinatam diximus, conſervant vitam.*

§. 48.

Sed videamus amplius quæ ſit natura Decori, ut ita de Honeſto quoque nobis diſtinctiùs conſtet. Cicero igitur procul dubio ex Panætio ita ſcribit: *Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat.* Atque hanc deſcriptionem colligit ex eo, quod Poëtis πρέπον eſt. Hi igitur, cum vel dici vel fieri, quid quaque perſona dignum ſit, ſeu illi conveniens, fingunt, πρέπον obſervare dicuntur. Si Juvenis ferox, monitoribus aſper, inconſtans & prodigus inducatur, Davus callidus & verſutus, leno impudens & ſordidus, ſenex querulus, difficilis, tardus, cenſor & caſtigator minorum, indulgens Mitio, durus Chremes, vinolenta Canthara, ejuſque generis alia. *Nobis autem*, ait Cicero, *Offic. perſonam impoſuit ipſa Natura, magna cum excellentia præſtantiaq; animantium reliquo-*

*reliquorum. Quocirca Poëtæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt. Nobis autem cum à Natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint: cumq; eàdem Natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus; efficitur, ut & illud, quod ad omnem Honeſtatem pertinet, Decorum, quàm latè fuſum ſit, appareat: & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc Decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum.* Peregregiè.

## §. 49.

Atque hoc eſt, quod Stoici, & cum illis Cicero, paſſim dicunt, *ſecundum Naturam vivere: Naturam ducem ſequi; nihil magis eſſe ſecundum Naturam quàm Honeſtum; nihil æquè illi adverſari quàm Turpe: Naturæ rationem eſſe legem quandam, quam omnes ſequi debeant:* qua de re pluribus agit Cicero 2. *de Legg.* ubi adſerit, Virtutem nihil eſſe aliud, quàm in ſe perfectam & ad ſummum perductam Naturam. Et Seneca, præcipuum Stoæ columen, omnia vitia contra Naturam pugnare, debitumque ordinem deſerere ait. Per Naturam itaque intelligunt illam Animæ noſtræ excellentiam, qua à beſtiis diſcreti ſumus, quam ſequi in vita, eſſe virtutem colere, in qua felicitatis humanæ apex conſiſtat. Vt miret tam ſiniſtrè hoc à Lactantio *lib. 3. c. 8.* fuiſſe acceptum, ut hinc conſecuturum dicat, belluarum more nobis eſſe vivendum; quo tamen nihil ab huius ſectæ placitis eſt,

alienius,

alienius. Nam ex ſuperioribus facilè patet, Stoicos, quando Naturam ducem ſequi jubet, non intelligere animalem illam, communem nobis cum brutis, eamque ad varii generis libidines proclivem. Vnde etiam inter Chriſtianos Stoici ſuos defenſores nacti ſunt, atque inter alios Hieronymum Oſorium *de Chriſtiana Nobilit.* qui Naturæ nomine à Stoicis intellectum adſerunt, quod hominis eſt proprium, & quod eum â belluis diſpeſcit.

§. 50.

Hæc igitur ejuſque generis complura alia nonne optima ratione proferantur? num ovum ovo ſimilius eſſe poterit, quàm hæc ſunt ſive Peripateticorum, ſive Stoicorum, ſive Ciceronis Eclectici dogmata, Honeſtatem ullo modo attingentia? ſunt ſanè non ſolùm ſibi hæc conſentanea, etiamſi alio atque alio modo idem dicant, ſed & veriora, quàm ſi ex tripode fuiſſent profecta. Sed hac in re potiſſimum totius negotii jam cardo vertitur, quod nondum ſint tã evidentis & cõſtringentis Intellectum veritatis, ut omnino ad facienda honeſta, fugienda turpia, me OBLIGATVM profiteri cogar. Stoici quidẽ nonnihil roboris ſuis hiſce ſcitis addunt, quando nonnunquam Naturam ad Deum referunt. Sed nos jam illam exercitii & veritatis indagandæ gratia ſine ea relatione ad ſuperiorem conſideremus, uti feciſſe videtur Ariſtoteles, qui in tota ſua Philoſophia practica rariſſimè Dei, & non niſi obiter mentionem facit. Hinc eſt, quod in Iuris Naturalis definitione, ὃ πανταχῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, κ᾽ ὐ τῷ δοκεῖν, ἢ μὴ, *quod ubique eandem vim obtinet, & non quia ita videtur, vel minimè*; Paraphraſtes & Michaël Epheſius illud πανταχῦ, ceu ſuprà vidimus, ad moratiores gentes reſtrinxerint: videlicet non niſi apud has illius *obſervationem & uſum* vigere. Id quod Ariſtotelis menti ſatis convenienter explicatum videtur,

detur, cum ille ſupra Rectam Rationem nihil quidquam conſtituerit, quod huic Juri *Obligationis* vim adderet. Revera autem illud παντάχοῦ ratione Obligationis intelligendum eſt, ad Honeſtum Juſtumque ſcilicet omnes omnino homines eſſe adſtrictos; eam enim eſſe illius vim, ut non minùs omnes in univerſum ſingulosque obliget, quàm ignis & hic & apud Perſas reliquosque populos urit. Et quamvis hac ſimilitudine ſeu inductione & ipſe ad *Obligationis* vim videatur reſpicere, eoque nomine hoc Ius ἀκίνητον, *immobile* ſeu *immutabile* pronuntiet §. *Nicom.* 7. §. 5. mox tamen ad *Obſervationem* illius relabitur, apud ſolos Deos illud ἀκίνητον eſſe adſerens, neq; apud hos perinde uti apud homines mutationem pati.

§. 51.

Si itaque nuda, uti dictum eſt, Ratio in κριτήριον adhibeatur, primò obſervandum eſt, æquè aut magis etiam omnem de Honeſto diſputationem incertam reddi, quàm ubi de conſenſu moratiorum gentium quæſitum fuit. Quis enim ſuam Rationem ceu minùs rectam patietur rejici? Quis non, ex Philoſophis præſertim, ſuam Rationem & de moribus doctrinam rectiſſimam eſſe venditabit? De Bono enim & Malo eorumque finibus numeroſiſſimas fuiſſe olim etiam illorum, qui Rectam Rationem & doctrinam profeſſi fuerunt, diſceptationes & ſententias, ſed mirum in modum diſcrepantes, ſuprà jam intelleximus. Et quis eorum tantas potuit componere lites? Excreverat ſcilicet dogmatum opinionumque multitudo *ac varietas*, pro diſquirentium viribus ac ingenio ad CCLXXXIIX. ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibitis quibusdam differentiis, uti jam olim obſervarum eſſe à Togatorum doctiſſimo, M. Terentio Varrone, ex Auguſtino diſcimus *lib.* 19. *de C. D. cap.* 1. Cum igitur quilibet ſuis rationibus ſubnixi Veritatem ſibi vendicarent, pereleganter ita

conquerentem eam inducit Boëthius de *Conſol.* 1. *proſ.* 3. *Epicureum vulgus, ac Stoicum, cæterique me reclamantem renitentemq; velut in partem prædæ trahebant, & veſtem, quam meis texueram manibus diſciderunt, abreptisq; ab ea panniculis totam me ſibi ceſſiſſe credentes abiere. In quibus quoniam quædam noſtri habitus veſtigia videbantur, meos eſſe familiares Imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ multitudinis errore pervertit.* Si igitur illi, qui principia bene vivendi totam vitam & tam ſedulò inquiſiverunt, tantis intervallis inter ſe diſſident, quî certi eſſe poterimus, cui ex his Rectæ Rationis palma ſit deferenda?

§. 52.

Non ero multus in pravitate Rationis, quæ erat in multis, oſtendenda; hoc tamen diſſimulare nequeo, quàm ſingularis illa inſigniter corrupta nonnullis fuerit, ut quæ tantum non ab omnibus turpia & Naturæ diſplicentia, eiſque planè contraria credita, illa ab iis non inhoneſto loco poſita fuerint. Sic Zenoni & Chryſippo, ceu Perſarum Magis, *μητρομιξία*, *maternus concubitus*, nec non filiæ, imò & maſculi licitus habebatur, teſte *Sex. Empirico Pyrrhon. hypot. l.* 3. *cap.* 24. & 25. Theodoro philoſopho (ſi hoc nomen illius farinæ hominibus competere poteſt) furtum, ſacrilegium, adulterium, in nullo erat crimine. *Laërt. in vita Ariſtippi. Heſych. in Theod.* Theodorus etiam & Diagoras Melius, aliiſque peſſimis ſententiis famoſi, nullos Deos adſeverando, omnem religionem venerationemque qua humanam vitam regi neceſſe eſt, ſuſtulerunt: unde etiam ἄθεοι cognominati fuerunt. *Minut. Fel. in Octav.* An autem Athei appellandi fuerint, diſſerentem hac de re videre licet maxima induſtria & eruditione celebrem Jo. Ger. Voſſium *de Orig. & Progreſſu Idolol. lib.* 1. *c.* 1. Memorat quidem Tatianus contra Græcos, Diagoram Athenienſem, quem eundem eſſe cum illo Melio putat Voſſius, ſcripſiſſe Sermones

Phry-

Phrygios, quibus hiſtoriam complexus fuerit, quæ ad Cybelen ejuſque ſacra pertinuerint; ſed eo id ab ipſo fine factum eſſe, ut homines à ſacris illius averteret, ſcribit ad Minutium Jacobus Onzelius: cui addere licet Cl. Elmenhorſtium, qui plurimos congeſſit Scriptores, qui horum Atheorum meminerunt. Quid dicam de Platone, minime Divino, cum uxorum communionem, & coitum ferme promiſcuum inculcavit 5. *de Reb.* cujus tamen ſententiæ illū poſtea videtur pœnituiſſe, eamque emendare voluiſſe 6. *de Legg.* His adde Archelai, Ariſtippi, Carneadisque placita, qui nihil natura honeſtum aut juſtum eſſe adſerebant, ſed ex arbitrio hominum eorundemque utilitate illud omne natum profitebantur: de quibus videatur Laërtius. Hac de re ex Platonis Phædro hæc quoque ſunt notanda: Soc. *Cum quis argenti aut ferri nomen protulerit, nonne univerſi idem intelligimus?* PH. *Id verum quidem eſt.* Soc. *Quid verò cum Juſti aut Boni nomen uſurpaverit, nonne alius aliò fertur, & tum inter ſe ipſi & à nobismetipſis diſſentimus?* Nil dicam de Pyrrhonis, Academiæ Mediæ ſectatoribus, ejuſque generis aliis Scopticis, qui nullibi conſiſtebant, Veritatem ne adſequerentur ulla in re, omni ope ac ſtudio connitebantur, ſublatis omnibus κριτηρίοις, ut nullo jure Philoſophis accenſendi, nec rationibus, ſed pœnis refutandi ac contundendi fuerint. Etiamſi igitur undiquaque perſonet illa vox, ὁ νόμος ἐστὶ λόγος ὁ ὀρθὸς, *Lex eſt recta ratio*, nec tamen vel in primis Principiis, nedū in Concluſionibus cōveniunt, ſed triformes imo multiformes chimæras, & neſcio quas μεταμορφώσεις nobis producunt. Crepent itaque licet Rectam Rationē, cum non magis inter illos de ea cōveniat, quàm de guſtu: aut perinde ac ſi de menſura nomine tenus veluti pedis aut ulnæ ſatis ſint concordes, de utriusque interea quantitate mirè diſcrepent. Rectè igitur de hac Gentium Philoſophia

Rectam Rationem nunquam non obtendente, Tertullianus *lib. de Anima: Nihil divinæ licentiæ ſervat, Leges Naturæ ſuas opiniones facit.*

§. 53.

Manifeſtum, ut puto, eſt redditum illud Rationis incertum. Si tamen fingas, illius uſum & διάνοιαν ſibi ſimillimam & conſtantiſſimam, numquid igitur hinc Obligationis autoritas (quæ caput & anima omnis propriè dicti Iuris, adeoque & Naturalis, eſt) erui poterit? Non ſanè videtur fieri poſſe. In ſtatu enim naturali, ſepoſitis civilis imperii aut ſocietatis pactis, uti toties dictum eſt, hic Homines jam conſideramus, quo omnes ſunt æquales. Tunc igitur Recta Ratio vim habet me obligandi, an mea te? aut an unius aut paucorum ſapientiſſimorum habitorum Ratio eam habet autoritatem, ut gentes integras, imò univerſum genus humanum ad facienda fugiendaque in vita obligare queat? Tu quid ſentias neſcio, ego hautquaquam id fieri poſſe exiſtimo. Vt verò hoc rectiùs percipiatur, fingamus cum nonnullis veteribus, Platone 2. *de Rep.* Lucretio *lib.* 5. & Cicerone 1. *de Invent.* fuiſſe quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio vel cognita erat, vel colebatur: nemo legitimas norat nuptias: non certos quiſquam alebat vel educabat liberos, non jus æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat. Fingamus, inquam, porrò, ferinam hanc vivendi libertatem illos paulatim diligentiori Rationis uſu, eoque ſimplici, nec ad ſuperioris alicujus autoritatem relato, ſeorſim impulſos exuiſſe, ac unanimes, non tamen ab æqualitate recedentes, certa quædam vitæ præcepta ceu Iuris Naturalis formulas agnoviſſe: numquid hinc mihi de veri Iuris effectibus, de

officio-

officiorum obligatione, neceſſariaque præſtatione ſolidè conſtabit? Idem planè videtur de hac obſervatione, utcunque univerſali, ex libero rationis uſu nata, nulla tamen autoritate præeunte, dicendum, quod ſuprà de Gentium ſeorſim conſideratarum Juris obſervatione annotatum eſt. Ratio enim ſimplex ſuadet quidem, & demonſtrat, jubere aut obligare non poteſt, ſine ſuperioris autoritate.

§. 54.

Sed progredere mecum paulò ulterius, ac finge, univerſos homines in unum corpus civile conſociatos eſſe, ſuóque conſenſu non ſolùm certã rationem vivendi, ſed & imperii modum, quo regere hi, alii huic parere debeant, conſtituiſſe: adeò ut jam ſit ordo imperantium & parentium, atque illi his præſtent, quibus etiam in immorigeros pœnæ jus competat, ſi quid deliquerint, ex nuda ratione ab illis inſtitutum. Quod ſi & ab hoc Corpore & ſtupenda Republica univerſorum hominum, iis ſuperiorem autoritatem ſemoveris, nullum inter illos perpetuò Honeſtum aut Iuſtum eſſe poterit, quale certè illud Naturale eſſe par eſt. Vt enim paris in parem imperium eſſe nequit; ita nec qui pares fuerint, ex jure aliquo inter ſe ſancito certorumque officiorum pactione inita, adeò impares ſe factos eſſe exiſtimabunt, ut nulla illis ſuperſit libertas renuntiandi illi ſocietati & juribus conſtitutis; niſi, inquam ſuperior adſcita in ſubſidium fuerit autoritas, cujus illa apud omnes vis ſit, ut omnino ſe obligatos eſſe intelligant, fidem pactis conſtitutam eſſe præſtandam, poteſtati civili parendum, reliquaque omnia, quæ ſocietatibus humanis firmandis inſerviunt, religioſè eſſe obſervanda. Multò magis ſi Omnes ad certam ſocietatis ac imperii formulam ſe obligaverint, Omnes ab eo pariter, ſi idem omnibus placeat, recedere poterunt, niſi humana ſuperiorem autoritatem ſuppoſueris.



Digitized by Google

§. 55.

Ex quibus omnibus liquidiſſimè apparet, & colligitur, omne omnino Ius principem obligandi vim, & parendi neceſſitatem à Deo conſequi. Quod etiam Ius Naturæ attinet, illo vel continentur & conſervantur ſocietates naturales ſimpliciores, vel illa humana univerſalis omnium hominum: adeoque illo cum omnes obligentur, neceſſum eſt illa autoritas à Deo proficiſcatur, qui iis omnibus ſolus eſt ſuperior. Arbitraria jura quod attinet omnia, illa quoque proximè à legislatorum & paciſcentium placito originem juris conſequuntur, ſed ſolidum effectum parendi neceſſitatem item in Iure Naturæ fundatam præcipuè habent, putà, Magiſtratibus & poteſtati civili, vicem Dei in terris repræſentanti, eſſe parendum, &, Pacta fidemque datam eſſe ſervandam. Quam obligandi autoritatem parendique neceſſitatem ut ſciant homines ſibi ſanctiſſimè eſſe colendam & obſervandam, meminerint divinæ Providentiæ opus eſſe, quod naturam non ſolùm rationalem ſed & ſocialem acceperint: cumque ſocietatum fines minimè teneri poſſint absque Iuris ordine & vinculo, hujus temeratores graviſſimè Deum offendere, ejusque iram in ſe provocare. Hæc enim eſt Dei Providentia, ut quo quidque ordine æterno Ejus decreto deſtinatum, & pòſt fuit conditum, eodem conſervetur, adeoque homo, intelligens animal, omni fide, ſtudio & obſequio ad illos naturales fines contendat, neque ulla actione contraria vel his vel ordini illo divino refragetur. Sicuti enim morigeros præmia, ita immorigeros ſuæ apud divinam Providentiam manent pœnæ: quæ licet fortè, dum vivitur, differantur, penitus tamen illas effugere nunquam ſinet Animæ Immortalitas. Hinc in Paganorum diſciplina veteri ipſi Dii, ut ad certa pacta & promiſſa ſervanda ſe ita obligatos eſſe ſcirent, nec ſatis rite à ſe violari poſſe intellige-

intelligerent, palude Stygia, (*Dii cujus jurare timent & fallere numen*) tanquam ſuperiori aliquo Numine, invocata adſtringebantur. Nec pœna aliqua à Diis hiſce aberat, ſi quidquam ſe indignum deſignaſſent, Ambroſiæ & Nectaris, Deorumque conſortii temporalis interdictio. Sed de his tribus Iuris omniumque Officiorum primariis fundamentis aliàs plura diximus: atque jam de Honeſto Iuſtoque hactenus dicta, Præfationis loco ſufficere poterunt.

M. TVL-

# M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCUM F.

## LIBER I.

(1) *Quamquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare*

## IN LIBRUM PRIMUM OFFICIORUM COMMENTARIUS.

(1) *Quamquam te)* Erat Populus Romanus & rei militaris & eloquentiæ perstudiosus. Atque hanc quidem ut magis magisque excolerent, & pacis belliq; artes majori dexteritate in tanto Imperio tractarent, solebant Optimates generosique Viri Athenas se conferre, urbem sapientiæ, eloquentiæ, bellique studiis clarissimam, ibique familiariter agere cum Philosophis, ac præcipui nominis Rhetoribus, ex quorum ἀκροάσει & institutis perficerentur. Hinc Cicero sub persona Varronis 1. *Acad. Qu. Meos amicos, in quibus est studium, in Græciam mitto: id est: ad Græcos ire jubeo, ut ea è fontibus potius hauriant, quàm rivulos consectentur.* Nonnullos

*abundare oportet præceptis, inſtitutisque Philoſophiæ,*

ex his tantus propter hæc ſtudia Philoſophiæ Athenarum amor inceſſerat, ut ſæpè, expeditionibus bellicis peractis eò diverterent, animumque acroamatibus variis paſcerent, reficerentque: ceu de Pompejo M. legimus. Cicero itaque cum ſciret, quanti ſibi & ad doctrinam & prudentiam comparandam profuiſſet vixiſſe Athenis, eò filium quoque ſuum miſit, & cumprimis Cratippo (quem Cicero alibi virum optimum & Peripateticorum omnium, quos ipſe quidem audierit, facilè Principem appellat) commendavit. At ille, licet ſpem bonæ Indolis olim oſtendiſſet, à patris tamen virtute cumprimis poſt ejus obitum penitus degeneravit, ſuoque exemplo comprobavit, Heroum filios eſſe noxas. Tergilla enim, uti refert *Plin. nat. hiſt. l.* 14. *c. ult.* ipſi objecit, quod binos congios uno impetu (ἀμυϛὶ) haurire ſolitus fuerit, & M. Agrippæ à temulento Scyphum impactum. Eſſe verò hunc perquam immodicum hauſtum, vel ex illa colligi poterit hiſtoria, quam ibidem recitat Plinius. Novellio enim Torquato Mediolanenſi, cum tres congios uno hauſtu, adſpiciente Tiberio Cæſare, extraxiſſet, Tricongii nomen fuit tributum. Prætereà commendatur Cicero Filius à jocandi feſtivitate, virtute homiletica non prorſus mutili quidem, at ſolidam laudem non merente. *Ariſtot.* 1. *M. Mor. c.* 33. *&* 7. *Eudem. ult. Add. Gifan. ad* 4. *Nicom. c.* 8. *circa fin.* Fuit tamen Auguſti Cæſaris Collega in conſulatu, factus quoque deinde Aſiæ Proconſul. Putant nonnulli tributum hoc fuiſſe Patris memoriæ, non filii merito. Quam quidem conjecturam ſuo loco relinquo. Sanè cum Antonii autoritas, quem capitalem habebat hoſtem Cicero pater, imminente Triumviratu creſceret, quibus potuit ſtudiis Auguſto præſto fuit, & quotidianis cohor-

*phiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem, & au-*

cohortationibus ac conſiliis in Antonium, concitavit. Forſan igitur hanc ob cauſam, feliciter tandem etiam oppreſſo Antonio, Ciceroni ejuſque pòſt Filio æquior fuit Auguſtus. Quidquid ſit, ſimulacrum ſolùm ſupererat Magiſtratuum, imprimis Majorum, rebus Civilibus jam ad Cæſares devolutis. Julius enim Cæſar jam ante tyrannidem occupatam conſul collegam habebat M. Bibulum: qui cum omnia propriſtina dignitate agere vellet; edicta figeret, refigeretque, fruſtra moliebatur omnia; premente atque evertente omnes ipſius conatus præcellente collegæ autoritate calliditateque. Hinc vulgò jactitabatur, res fuiſſe geſtas Julio & Cæſare Coſſ. Suetonius *in I. Cæſ. cap.* 20. apud quem etiam hi leguntur ibi verſus:

*Non bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt;*
*Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.*

Quantò magis veroſimile fit, Cæſares ipſos eosdemque Conſules omnem Conſularem poteſtatem ad ſe, nomen, hoc eſt, umbram ſolùm Collegis ſuis communicaſſe. Sed & hæc potuit eſſe ratio aſtutiſſimo Principi, Ciceronem filium Collegam adſciſcendi, quod Imperium illud Monarchicum uti recens, ita Populo & nobiliſſimis quibusque valdè erat exoſum. Cicero verò pater, propter ingentem patriæ ac libertatis amorem apud omnes erat in ſummo pretio, atque exiſtimatione. Itaque Auguſtus hunc Collegam Conſulem oſtentans, atque ipſe interim ſe maxime invitum regnare ſimulans, tanto facilius Populo imponere, & ejus favore paulatim impetrato ſecuriùs dominari potuit.

*& urbis*; (1) *quorũ alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis*; *tamen, ut ipſe ad meam utilitatẽ ſemper cum Græcis Latina conjunxi, neq; id in dicendi exercitatione ſolum, ſed etiam in Philoſophia feci: idem tibi cenſeo faciendũ, ut par ſis in utriusq;*

(1) *Quorũ alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis*) Ut ſcias quomodo rectè in vita Civili vivere, integritatemq; animi conſervare poſſis, & Univerſaliũ & Singulariũ requiritur cognitio ac peritia. Vtraq; n. hæc ad prudentiam pertinent: uti docetur plurib. 6. *Nicom.* 7. §. 23. & c. 8. §. 22. Dicitur etiam illa univerſalium cognitio ſcientia, ſingulariũ Experientia. Quatenus verò illa univerſalia ut πρακτὰ conſiderantur, & ad ipſam πρᾶξιν diriguntur, Prudentiæ opus eſt. Non igitur ſe dubitare ait Cicero pater, quin filius exactam à Cratippo univerſaliũ cognitionem perceperit: quam ſcientiam rectè appellat; docentis enim eſt certis allatis rationibus rem demonſtrare, qualis doctrina ſeu diſciplina ipſa eſt ſcientia: tum etiam magnum rerum uſum atq; experientiam ex rebus ſingularibus atq; exemplis frequentiſſimæ urbis collegerit, quæ cum olim ἑλλὰς τῆς ἑλλάδος, hoc eſt, compendium quoddam Græciæ, dicta fuerit, non potuit non plurimarum rerum factorumque copiam ſuppeditare. Qui itaque tempore & loco rectè uti novit, is dabit operam, ut in talibus urbibus degens, diligenter & ſimul cautè quæ geruntur, rimetur, obſervet, & quid prudentiores de iis judicent, expiſcetur. Deinde hic notandum eſt, delectum eſſe habendum à parentibus, quò mittant ſuos liberos, & ad quos. Videlicet eò mittent, ubi diſcendi, exemplorumque ad experientiam colligendam ſit copia. Iis verò Doctoribus commendabunt, qui optimè fideliſſimeque ſcientia inſtructi docebunt, & quoq; præ aliis prudentia valent, ſingularia dijudicandi, & ad ſimiles caſus rectè applicandi. Nam περὶ τὰ πρακτὰ & circa officia noſtra cumprimis verſatur commentatio. Cumq; in Europa multæ ſint conſtitutæ Schole

*orationis facultate.* (1) *Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris: ut non modo Græcarum literarum rudes, ſed etiam docti aliquantum ſe arbitrentur adeptos & ad dicendum, & ad judicandum. Quamobrẽ diſces tu quidẽ à principe hujus ætatis Philoſophorũ, &* (2) *diſces, quàm diu voles: tamdiu autem*

tus non tam legib. quàm libidini ſuæ pareat, & quoq; ſtudia ubiq; ac diſciplinę non æquè ſolidè ac fideliter tradantur, ſed ſæpè pro nucleis caſſę nuces venditentur, maximè ſollicitos eſſe decet parentes, quam Academiam, & quos in ea præcipuè Doctores filiis ſuis deligere conſultũ ſit. In Academiis enim faſtigium ſuæ eruditioni imponere jam ſolent diſcentes, & ab his ad honores properare resq; gerendas capeſſere. Si ergò non rectius uſi fuerint tempore, loco, informatione, quàm Cicero filius, parentibus dedecori, & patriæ ſæpè ſunt onęri & damno. Bonis enim artibus qui uti ac niti nequeunt, malis deinceps ad ſua compendia & honores graſſantur. (1) *Quam quidem ad rem*) Quid in Eloquẽtia Romana vel Gręca præſtiterit Cicero, dicere nil attinet: Philoſophiam practicã latino ſermone tanto ſtudio excoluit, ut omnib. Romanis palmam præripuerit Omnes n. veteres Græciæ ſapientes, etiam quorum monumenta dudũ perierunt, legit, nulliq; ſectæ addictus optima quæq; delegit, literisq; mandata dogmata nobis reliquit. (2) *Diſces quamdiu voles*) Egregium præceptum Didacticũ. Hoc erat ſtudium, hic animus Edicti perpetui, conditoris Juliani, cujus hæc memorabilis vox fertur. *κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. Etiãſi alterum pedem jam in ſepulcro habeam, utiq; adhuc diſcerẽ.* Si igitur quæras, quamdiu diſcendum tibi ſit, ex profectus tui exploratione mẽſurã capies, cavebisq; ne falſo perſuaſum habeas, te jã ad ſummã perveniſſe. Nã ὄτι σοί ἐστι τῆς προκοπῆς ἐμπόδιον, rectè dicebat Bion, *Perſuaſio eſt impedimen-*

*autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen noſtra lègens,* (1) *non multum*

(1) *Non multum à Peripateticis diſſidentia*) Tantò cariores nobis debent eſſe hi libri, quod proximè accedant ad ejus ſententias, qui in Civili Philoſophia principatum ſine controverſia obtinet. Is enim eſt Ariſtoteles, Peripateticorum Princeps. Qui igitur feliciter in his ſtudiis progredi vólet, illos eliget magiſtros, qui in tanta de rebus practicis opinionum varietate veritati maximè conſentanea docent. Cæterùm cum Cicero in hoc opere ferè ſequatur Stoicos, eoque fine uſus fuerit Panætii, Poſidonii, Hecatonis Rhodii, Stoicorum, libris, de officiis, nec non Antipatro Tyrio, Diogene Babylonio, aliisque Stoicis, indicandum erit paucis, quibus in rebus vel ille conſenſus, vel illud diſſidium Peripateticorum & Stoicorum conſiſtat. Præcepta igitur officiorum ex Stoicorum fontibus hauſit, Illa verò ipſa honeſtate fundari infrà docet, atque hanc ex quatuor virtutibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, ac Temperantia arceſſit. Docent præterea Stoici, ſummum bonum unicè in virtute conſiſtere: Bona verò corporis & fortunæ nolebant appellare ἀγαθὰ ἢ καλὰ, ſed προηγμένα, hoc eſt, ipſo Cicerone libris de Finibus interprete, *Producta* ſive *Prælata*, horumque contraria ἀποπροηγμένα *Rejecta*. Peripatetici verò, in virtute quidem ſeu εὐπραξίᾳ Summum bonum collocabant, & ipſi, ſed plura etiam ad ejus complementum, non tamen eſſentiale, ſubſidia requirebant, quibus tanquam Inſtrumentis, aut ornamentis, verè Beatus indigeat. Qua de cauſa Princeps ἐξηγητῶν Peripateticæ Scholæ, Alexander Aphrod. ſ. ſcripſit Commentarium, ὅτι ἡ ἀρετὴ οὐκ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν, *Quod virtus non ſufficiat ad felicitatem.* Cicero igitur etſi in his libris

apertè

*multum à Peripateticis dissidentia, (quoniam (1) utrique & Socratici, & Platonici esse volumus) de*

apertè præ se ferat, non quidem Peripateticorum Honestum à se improbari, Stoicorum tamen quàm maximè probat. Interim sæpius etiam ab eorum decretis eum declinantem deprehendas; melius enim sentit de opibus, honoribus, amicitiis, reliquisque vitæ adminiculis, quàm isti solent.

(1) *Utrique Socratici & Platonici esse volumus*) Si hæc cum Manutio interpretari, aut potius mutare velis, res foret plana. *Videtur*, inquit ille, *Cicero hoc dicere: Et Stoicos & Peripateticos sequi volumus, ut ab his non valdè dissideamus, cum tamen illos probemus maximè.* Mihi quidem hic locus semper mendi alicujus suspectus visus est. Quia tamen veteres Codices constanter ita legunt, (nam Manutius; qui tredecim MStis exemplis in hoc opere emendando usus est, non aliam quandam lectionem allegat) textus ita retinendus est, & mea sententia sic explicandus. Vult Cicero rationem tradere, cur non multùm dissidentia à Peripateticis sua sint dogmata, adeoque minori cum periculo filius à Cratippo Peripatetico forsan aliter institutus in horum librorum lectione versari possit. Nam, inquit, utrique hoc est, & ego & Cratippus Socratici & Platonici esse volumus, q. d. non ita addictus est uni Peripateticæ sectæ Cratippus, ut omninò respuat Socratem & Platonem, quorum ille de rebus moralibus multa præclarè dixit, hic gravissimè scripsit: præterea ego Academicos magnifacere soleo etiam propter illam disputandi libertatem εἰς ἑκάτερον. Quemadmodum igitur, inquit, Cratippus Peripato addictus est, ut tamen non penitus fastidiat Academiam, ita ego Peripateticos item sequar, cum libertate disputandi,

(1) *de rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio. Orationem autem Latinam profecto legendis noſtris efficies pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum exiſtimari velim, nam Philoſophandi ſcientiam concedens multis, quod eſt oratoris proprium, apte, diſtincte, ornateq; dicere, (quoniam in eo ſtudio ætatẽ conſumpſimus) ſi id mihi aſſumo, videor id meo jure quodammodo vendicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non ſolũ orationes meas, ſed hos etiam de Philoſophia libros, qui jam (2) ſe illis fere æquarunt, ſtudioſe*

& Stoicorum placita, ubi viſum eſt, præferendi. Nam utrique Socratici & Platonici eſſe volumus, hoc eſt, probabilia ſequi volumus, & amplecti opinionem Socratis, qui in ſola virtute Felicitatem ponebat, quam ſententiam pòſt Stoici arripuerunt. Et Platonici eſſe volumus, ut animi bona quidem præcipua putemus, non tamen ſola: ex qua ſchola cum Peripatetici prodierint, hanc ſententiam & ipſi tenuerunt, quæ non multum diſſidere ab illa Socratis & Stoicorum Ciceroni hic videtur.

(1) *De rebus ipſis utere tuo judicio; nihil enim impedio.)* Ipſa dogmata quod attinet, à me propoſita ſive omninò probes, nec ne, nihil repugno. Nolo enim ab illis præceptis, quibus te Cratippus imbuit, avocare, aut dubium in iis reddere, aut certæ alicui ſectæ mancipare. Apparet hinc, quomodo Cicero nec filio quidem ſuo velit obtrudere illud veritati inimicum, αὐτὸς ἔφα. Deinde obſervandum, ſi bono magiſtro quis fuerit uſus, contrariis præceptis eum non eſſe turbandum.

(2) *Se illis æquarunt*) cum mole ac magnitudine, tum laude ac dignitate, nec non orationis elegantia & copia.

Stu-

(1) *ſtudioſe legas. Vis enim dicendi major eſt in illis: ſed hoc quoque colendum eſt æquabile, & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utroque in genere laboraret, ſequeretur q; & illud forenſe dicẽdi, & hoc quietũ diſputandi genus, niſi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parũ vehemens, dulcis tamen,* (2) *ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autẽ quantum in utroq; profecerimus, aliorum ſit judicium: utrumque certe ſecuti ſumus. Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus id forenſe dicendi tractare voluiſſet, graviſſime, & copioſiſſime potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa, quæ à Platone didicerat, tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornate, ſplendideque facere*

(1) *Studiosè legas.*) cum propter dicendi copiam & elegantiam, tum incomparabilem civilis doctrinæ, qua Cicero excelluit, & in ea tot præclaros veteres Philoſophos adjutores habuit, quòrum nonniſi ſpicilegia reliqua in Ciceronis ſcriptis legere licet, gravitatem.

(2) *Ut Theophraſti diſcipulum agnoſcas.*) Græci operam navantes diſciplinis linguæ jam erant periti, rerum adeò cognitioni unicè intenti. Qua de cauſa complures annos uni præcipuè adhærebant Magiſtro, cujus ſæpè dicendi genus non minus quàm placita condiſcebant. Suavitatẽ dictionis verò in Theophraſto commendatã ipſum indicat nomen; Θεόφραστον γὰρ αὐτὸν διὰ τὸ τῆς φράσεως θεῖον Ἀριστοτέλης μεταθέσθαι, *Ariſtoteles enim mutato nomine eum Theophraſtum appellavit propter divinam eloquentiam*, cum antea Tyrtamus diceretur, teſte Strabone *l. 13. p. m. 299.*

*facere potuiſſe, eodemque modo de Ariſtotele, & Iſocrate judico: quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contempſit alterum. Sed, cum ſtatuiſſem aliquid hoc tempore ad te ſcribere, & multa poſthac, ab eo exordiri volui maxime,* (1) *quod & ætati tuæ eſſet aptiſſimum, & auctoritati meæ gra-*

(1) *Quod & ætati tuæ eſſet aptiſſimum, & autoritati meæ graviſſimum.*) Qui docere vult, ea adferet, quæ & docenti & diſcenti conveniunt. At verò diſciplina de moribus cui ætati aptior quàm juvenili, tot tantisque adfectibus æſtuanti? Cui magis convenit illius doctrina, quam cui à Deo & Natura educationis cura præcipuè impoſita eſt? Hinc ita Noſter ad Atticum *l.15.ep.13. Nos hic φιλοσοφῦμεν. Quid enim aliud? & περὶ τῦ καθήκοντος magnificè explicamus. Ciceroniq; προσφωνῦμεν. Qua de re enim potius pater filio?* Imitatus ſcilicet eſt Cicero exemplum Ariſtotelis, qui præcipuum Opus Morale Nicomacho filio, inſcripſit: & Iſocratis, qui, cum aureas ſuas παραινέσεις Demonico & Nicocli offerret, his uſus eſt verbis: *ἡγησαίμην ἂν ταύτην καλλίστην γενέσθαι δωρεὰν, καὶ χρησιμωτάτην, καὶ μάλιστα πρέπουσαν ἐμοίτε δοῦναι, καί σοι λαβεῖν. Optimum utiliſſimumq; hoc eſſe donum crediderim, maximè conveniens, quod à me detur, & à te accipiatur.* Sed, inquias, quomodo convenit hic inter Ciceronem & Ariſtotelem, cum ille quidem dicat, hanc doctrinam juvenili ætati eſſe aptiſſimam (quamvis Cicero filius non videatur tum fuiſſe admodum juvenis) hic verò id videatur negare 1. *Nicom.3.§.11. ſeqq.* Huic dubitationi non ita difficulter occurritur: Non enim Ariſtoteles adſerit, juvenem nullatenus audire aut percipere poſſe moralem ſcientiam, ſed non eſſe illum

*graviſſimum.* (1) *Nam, cum multa ſint in Philoſophia & gravia, & utilia, accurate, copioſeque à Philoſophis diſputata; latiſſime patere videntur ea, quæ de officiis tradita ab illis, & præcepta ſunt. Nulla n. vitæ pars, neq́ publicis, neq́ privatis, neq́ forenſibus, neq́ domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neq́ ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt:* (2) *in eoq́ colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis,*

illum οἰκεῖον ejus ἀκροατὴν *genuinum ſeu germanum auditorem*, dicit. Quis verò eſt οἰκεῖος ἀκροατὴς; qui & magnum rerum civilium accuratumque uſum, adfectusque planè habet compoſitos, ut demonſtrationes ex debitis principiis collectas rectè intelligat, intellectis adſenſum præbeat, easque vita ipſa & moribus exprimat. Quia verò per ætatem juvenes nec rerum periti eſſe poterunt, 1. *Metaph.* 1. nec adfectus compeſcere, non immeritò ait, illos haut eſſe οἰκείους ἀκροατάς. Fuerunt tamen ἀκροαταὶ hujus doctrinæ & Nicomachus & Cicero filius, quatenus ſcilicet hanc Ideam ac normam Honeſtatis & Felicitatis cognoſcentes paulatim diſcebant, quid ſequi in vita, quid fugere eos oporteret.

(1) *Nam cum multa.*) Commendat jam hos libros à materiæ dignitate, nullum enim totius Philoſophiæ argumentum latius patere inquit, quàm hoc de officiis. Quid ita? Quia officia comprehendunt omnia illa jura, quæ homo homini naturâ debet, quacunque illa ſocietate, tempore aut loco exhiberi invicem conveniat: breviter, quid per ſe honeſtum ſit, & in univerſum quid quemque deceat, ſive ſit homini negotium cum aliis, ſive ſibi ſecum, officii neceſſitudine continetur.

(2) *In eoq́ colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo*

*omnis, & in negligendo turpitudo.* (1) *Atque hæc quidem quæstio communis est omnium Philosophorum. Quis est n. qui nullis officii præceptis tradendis Philosophum se audeat dicere?* (2) *Sed sunt nonnullæ disciplinæ, quæ præpositis malorum, & bonorũ finibus,*

*gligendo turpitudo.*) Est hæc quædam delineatio generalis officii, nec non illius, quod est contra officium. Cum enim bonitas moralis partim consistat in faciendis iis, quæ honestati sunt consentanea, partim in omittendis iis, quæ illi repugnant. Hinc rectè dicitur, in officio colendo consistere vitæ honestatem, & in illo negligendo turpitudinem.

(1) *Atq; hæc quidem quæstio.*) Alia hujus argumenti commendatio. Estne, inquit, qui se Philosophum profiteri ausit, aut nomen hoc tueri queat, qui doctrinam de moribus neglexerit? Etsi enim olim nonnulli hoc nomine fuerint insigniti, post Socratem tamen, qui Philosophiam è cœlo in terram devocavit, Philosophi nomen ac pretiũ consequi nequivit, qui τὰ ἠθικὰ seu καθήκοντα docere insuper haberet. Etsi enim nonnulli variis opinionum dissensionibus circa moralia fuerint disiuncti, hactenus tamen consentiunt, disciplinam moralem à Philosopho docendam esse.

(2) *Sed sunt nonnullæ disciplinæ.*) Plerique Philosophi, si non omnes, qui doctrinam moralem attigerunt, Actionum humanarum esse aliquem ultimum finem, in quo Summum Bonũ consisteret, rectè prospiciebant, quarũcunq; etiam illi essent, disciplinarum, h. e. sectarum, αἱρέσεων. Eadem judicii integritate adsequebantur, actionum malarũ diversum esse finem atq; extremam in eo latitare miseriã. At qua in re seu quo bono ille ultimus finis sit collocandus, mirificè hallucinãtur, multiq; ex his parùm sibi constant. Qua errorũ periculosissima perplexitate effectũ

*finibus, officium omne pervertunt*, (1) *Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis, non honestate, metitur; hic si sibi ipse consentiat, & non interest*, ut & nobilissimam hanc doctrinam, & omne officium naturæque jura perverterint. Ubi enim recta de Fine vitæ humanæ non fuerit constituta ratio, non etiam de actionibus & officiis, eò ducturis, certi esse poterimus.

(1) *Nam qui summum bonum.*) In genere videtur adhuc de opinionũ varietate differere. Si qui sint, qui Summum Bonum non Honestate, sed solâ utilitate definiant, & his dogmatibus ac Hypothesi consentaneam vitam vivant, hi quidem sublata omni bonorum, jurium atque officiorum communione ad civilem aliamve societatem ineptissimi sunt. Hæ enim sunt probrosæ φιλαυτίας notæ, ut ubiq; sibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ, & honoris vindicet partem: hæc bona seu præcipua admiretur, deque iis omni studio contendat. 9. *Nicom.* 8. §. 16. 17. *seq.* Qui igitur hac ratione est φίλαυτος, quî quæso amicitiam, justitiam aut liberalitatem exercebit, sine quibus tamen nulla prorsus societas salva esse potest. Quod si tamen interdum accidat, ut alteri benefaciat, non tamen ex proæresi hoc fit & constanter, sed potius fortuitò, & potentiori naturæ impulsu monitus, quæ omnibus consulendum esse instat, quibuscum societatem aliquam habes. Apparet hinc: quàm imprudenter hanc opinionem recoxerint, & civilis societatis fundamentum constituerint utilitatem Thomas Hobbes, quique ei adstipulantur fortè alii. His addantur, quæ contra ejusdem sententiæ antiquiorem patronum Carneadem disputat Grotius in Prolegomenis, libris de I. B. & P. præmissis.

*Fortis*

*interdum naturæ bonitate vincatur, fit, ut neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem,* (1) *fortis verò, dolorem summum malum judicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quæ, quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, sunt tamen à nobis alio loco disputata.*

*Hæ*

(1) *Fortis verò.*) Hic videtur aggredi in specie φιληδόνες & ἀπολαυστικούς, quales fuerunt Epicurei. Epicurei inquam; nam licet Epicurus in voluptate collocaverit Felicitatem, nondum tamen decisa lis est an promiscuè de omni voluptate hoc ipse magister adseruerit: Quod sanè fieri non potuit, si ex animi sui sententia hoc effatum protulit, οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. *Suaviter vivere non licet, nisi item honestè ac justè vivas.* Sed de Epicuro ejusque Schola plura aliàs. Si quis ergò voluptatem in genere summum credat bonum, quomodo Temperans erit? Temperantia enim naturales ac necessarias cupiditates ad amussim Honestatis determinat, sequioris generis penitus damnet. E contrario, si quis Dolorem summum esse malum statuat, quî ipse fortis erit? Fortitudo enim ad quævis mala, etiam maxima, animum confirmat, ut pro Patria, aris focisque aut alius honesti finis gratia non dubitet mortem oppetere. Sed, inquit, hæc tam manifesta sunt, ut non opus sit ipso hujus operis initio prolixis te, Marce Fili, Disputationibus intricare. Remittit verò Lectorem harum rerum cupidum ad libros suos de *Finibus bonor. & malor.* & eum, qui inscribitur *Lucullus*, estque Academicarum Quæstionum IV.

(1) *Hæ*

(1) *Hæ disciplinæ igitur, si sibi consentaneæ esse velint, de officio nihil queant dicere, neque ulla officij præcepta firma, stabilia, conjuncta naturæ tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendã.*

*Itaq;*

(1) *Hæ disciplinæ igitur.*) Qui igitur Doctrinam moralem his similibusque Hypothesibus superstruunt, & secundum illas *πυεῖας δόξας* vitam instituunt, illi neutiquam de officio veri quid tradere poterunt. Suppositio enim non vero fine neque satis benè constitutis mediis seu virtutibus, qualia erunt quæso officia? Quapropter qui solidè velint de hoc argumento tam necessario disputare, necesse est, ut verba actionibus, & hæ illis, utraq; Honestati consentiant: idque obtinebunt non Epicurei, sed forsan illi, qui solam Honestatem dicant esse expetendam, Stoici nimirum: aut qui illam maximè dicunt esse per se expetendam, quemadmodum docuerunt Academici veteres, ac Peripatetici. *Sed quænam per se bona habenda sunt? Certè erunt talia*, inquit Arist. 1. *Nicom.* 6. §. 18. *ut quæ vel sola relicta & sine cæteris spectata sequimur: quale est sapere & videre, & nonnullæ voluptates & honores. Hæc enim etsi propter aliud quidquam sequimur, tamen & in per se bonis numeranda fuerint.* Jam quodnam est bonum *μάλιστα αἱρετόν*; maximè expetendum? Respondet idem *lib.* 1. *Nicom. c.* 2. §. 11. *ὃ μὴ δι' ἕτερον, μηδ' ἐτέρου χάριν αἱρούμεθα, quod nullatenus refertur ad aliud, neque alterius ullive gratia expetitur.* Hic jam nobis latus aperitur campus, disserendi de hypothesibus ac dogmatibus moralibus præcipuarum sectarum veterum, Academicæ, Peripateticæ, Epicureæ Stoicæ. Sed illa disquisitio peculiarem requirit operam: & aliquid in eo argumento præstitimus alibi.

(1) *Itaq;*

(1) *Itaq; propria est ea præceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum: quoniam* (2) *Aristonis, Pyrrhonis, & Herillijam pridem explosa sententia est: qui tamen haberent jus suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset.*

*Se-*

(1) *Itaq; propria est.*) Ita Cicero 4. *Acad. Quæst. p. m.* 22. ait, Peripateticos & Academicos nominibus differre, re congruere: atque ab his Stoicos ipsos verbis magis quàm sententiis dissentire. Atque hos solos rectè de officiis docere posse ait, quòd de vero vitæ humanæ fine rectius constitutas habuisse hypotheses hi Ciceroni visi fuerint.

(2) *Aristonis, Pyrrhonis, Herylli.*) Præcipuos, inquit, tetigi; nam minutorum illorum opiniones dudum fuerunt rejectæ. Videatur de hisce Laërtius. Aristo Chius ad ἀδιαφορείαν, Pyrrho ad ἀκαταληψίαν, ἐποχὴν & ἀφασίαν confugiebat. Atque Scepticorum quidem sententiam quandam etiam legas 1. *Nicom. c.* 3. §. 3. Heryllus finem dicebat esse scientiam, τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα, verba sunt Laërtii; quamvis Manutius putet non esse hunc Heryllum, cujus Laërtius meminit. Quæ sententiæ quàm fuerint pestilentes videre licet ex *cap.* 6. *Introd. mea* in opus Aristotelis ad Nicomachum, & *Examine nostro Probabil. Jesuit. Lud. Montaltii Epistolis* à nobis editis subjecto *cap.* 1. Potuissent quidem & hi ipsi, si ingenio suo abuti noluissent, etiam ad moralia dogmata tradenda aliquid conferre; sed ipsi sibi aditum præclusserunt, discrimine boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti, certi & incerti sublato, ac si planè nihil interfit utrum hoc sequaris, an illud. *vid. Cic.* 4. *de fin.*

*Seque-*

(1) *Sequemur igitur hoc quidem tempore, & in hac quæstione, potissimum Stoicos; non ut interpretes; sed, ut solemus, è fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum quoquo modo videbitur, hauriemus.*

(2) *Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod à Panætio prætermissum esse miror. Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.*

(1) *Omnis*

(1) *Sequemur igitur.*) In hoc de Officiis argumento explanando dicit se præcipuè secuturum Stoicos, interq; eos nobilissimos, qui scilicet tuebantur dogma Zenonis περὶ τῶν προηγμένων καὶ ἀποπροηγμένων, hoc est, *in mediis momenta quædam reliquerunt*, Cicerone interprete. Non tamen ait se serviturum ipsorum decretis, ut, sicuti Interpretes nonnulli sibi religioni ducunt vel latum unguem à verbis authenticis recedere, ita quoque ipsorum sententiis velit esse addictus, se potius libertate sua usurum, hoc est, verè philosophaturum esse. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Cum utraque chara sint, pium est tamen, antiquiorem habere veritatem*, inquit Arist. 1. *Nicom.* 6. §. 3.

(2) *Placet igitur.*) Hactenus proœmium proposuit, nunc ad methodum accedit, quam à definitione incipiendam esse non incommodè monet. Loquitur autem de qualicunque definitione seu descriptione Dialectica. Nam aliàs genuinæ definitionis concinnandæ gratia multa sæpè disquisitione præmissa opus est: & verò se tantò magis initio protinus

(1) *Omnis de officio duplex est quæstio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum: alterum,*

ad officii definitionem proponendam adduci ait, quod illa à Panætio ipso prætermissa fuerit.

(1) *Omnis de Officio.*) Promiserat Cicero definitionem, cujus loco videtur adferre duplicem divisionem, (quod non simplex hujus vocabuli sit notio) ex qua tamen facilè natura cujusque Officii colligi possit. Cumque *Officium* ex Stoica doctrina morali singularem quandam significationem ac ἔμφασιν adepta sit, ceu ex Cicerone aliúsque apparet, accuratiùs illud explicandum erit, ut constet, quo pacto Cicero non uno his libris modo de Officiis loquens intelligendus, & quam vim aut locum hæc vox in Peripato habitura sit. *Officium* Cicero appellat, quod Græca Lingua loquentes Stoici τὸ καθῆκον vel προσῆκον dicebant: quo primus usus fuit illius familiæ princeps Zeno κατιεὺς, cujus etiam liber περὶ τοῦ καθήκοντος in Indice Laërtiano comparet. Hinc Cicero 3. *de Finib. p.m.* 108. *Primum est officium, (id enim appello* καθῆκον*) ut se conservet in naturæ statu. &c. Et lib.* 16. *ad Attic ep.* 11. *Quod de inscriptione quæris, non dubito, quin* τὸ καθῆκον *Officium sit; nisi quid tu aliud. Sed inscriptio plenior de Officiis.* Quid ergo τὸ καθῆκον denotet, cum ex Stoicorum reliquiis, tum ex Clemente Alexandrino Simplicio & Suida commodè satis intelligi potest, quorum verba pòst subjiciemus. Usurparunt autem τὸ καθῆκον modò latissimè, modò strictiùs. Priori modo acceptum interpretabantur, ὅσα λόγῳ πρέπει ποιεῖν, *quæcunque rationi consentanea sunt, ut facias:* ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, *quæcunque ratio facienda dictat.* Idem quoque ita explicant, τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ, *id quod in vita sequi addecet:* nec non ἐνέργημα τοῖς κατὰ φύσιν κατασκευαῖς

*rum, quod positum est in præceptis, quibus in omneis parteis usus vitæ confirmari possit. Superioris* σπουδαῖς οἰκεῖον, *actionem naturæ statui ac destinationi propriam.* Ex quibus apparet, Stoicos illius vocis compositionem ἀπὸ τοῦ καλά τινας ἥκων, *ab eo, quod ad aliquos veniat,* desumpsisse, ut τὸ καθῆκον omnem illam comprehendat actionem, quæ cuique convenit, seu facienda incumbit. Atque ita Demosthenes totam hanc ῥῆσιν loco à Suida in verbo καθῆκον citato effert, τὰ καθήκοντα ἐφ' ἑαυτὸν ποιεῖν, ea quæ ad se veniunt, hoc est, quæ sui sunt officii, facere. Adde, si lubet, eruditè de hoc differentem Cl. Bœclerum *præfat. in lib. Officior. D. Ambrosii:* Itaque Stoici tam lata ejus vocis significatione totius Philosophiæ practicæ ambitum videntur comprehendisse. Unde ita Simplicius in Epicteti enchiridion c. 37. διὸ καὶ ἠθικὴ ἐναγωγία καὶ ἡ πολιτικὴ περὶ τὰ καθήκοντα ἀναφέροντας, *Hinc & moralis & civilis disciplina tota circa officia explicanda occupata est.* Idemque facilè colligitur ex illis Ciceronis verbis, quæ leguntur *lib. 2. de Divin. p. m.* 381. *Quid de officio? num quis aruspicem consuluit, quemadmodum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad Sapientes hæc non ad divinos referri solent.* Eamque ob causam Officiorum divisiones, quibus eum alii veteres, tum Cicero, utuntur, tam latè patent, ut omnem hominis vitam omnesque actiones complectantur. Dicunt enim alia Officia esse semper facienda, alia non semper: alia esse περιστατικὰ, alia ἄνευ περιστάσεως: alia esse κατορθώματα seu perfecta, alia καθήκοντα, strictiùs jam hac voce accipienda, pro communibus seu mediis officiis. Quod si τὸ καθῆκον latè dictum ad Moralis Philosophiæ regulas

*rioris generis hujusmodi exempla sunt: omniane officia*

examinare velis, ut tamen perfecti officii notio ei tribuatur, nihil differet ab Aristotelis Medio rationis, quod ille τὸ καθ' ἡμᾶς, de quo in Prolegomenis dictum fuit, & sæpe τὸ δέον nominat, à ratione, & quidem quali prudens utitur, hoc est, rectâ definitum. Quæ quamvis ab Aristotele ita generatim explicata sint; non tamen sunt ita incerta relicta ab illo ceu putat Robertus Scharrock *præfat. Hypothes. de Officiis secund. Jus naturæ.* Pluscu-lum tamen etiam involvit τὸ καθῆκον, quam τὸ μέσον καθ' ἡμᾶς Aristotelicum, ut & amplitudinem & respectum ad alium ipsius Justi Universalis exæquare & complecti, adeoque omnia omnino Jura cumprimis naturæ, sive universæ hominum societati, sive aliis primævis ac simplicioribus Naturæ, ut & civilibus societatibus condita, continere videatur. De hoc respectu seu relatione ad alium, quam inesse dixi vocabulo Officii, confirmatur his Epicteti ex Enchiridii *cap.* 36. verbis: τὰ καθήκοντα ὡς ἐπίπαν τῇς σχέσεσι μετρεῖται. *Omnia Officia in universum mutuis adfectionibus sunt metienda. Sic igitur*, inquit paulò pòst admirabilis ille Stoicus, *vicini Civis, Ducis officium reperies, si consueveris mutuas adfectiones spectare.* Quæ omnia peregregiè à Simplicio explicantur, qui hanc quoque rationem tradit, cur Epictetus illam σχέσιν voluerit providè ubique attendi, *Ex affectionum enim*, inquit, *discrimine, officiorum discrimen reperiendum est.* Illa igitur σχέσις nihil est aliud, quàm naturalis necessitudo & obligatio, qua quis aliis, cum quibus in societate vivit, pro cujusque societatis natura ac fine, est obstrictus, certamque bonorum & officiorum communionem iis debet: ceu pluribus idipsum ac pereruditè explicatur à Simplicio d. l. Quod autem

Offi-

*officia perfecta sint: num quod officium aliud alio majus*

Officiorum ἀθροισμὸν Justitiæ Universalis mensuram implere dixi, eleganter confirmat his verbis Simplicius ad *d.c.* Epicteti: *Officia*, inquit, *sunt ea, quæ fiunt ut decet & convenit, & quæ quoque digna sunt: & hæc ejus Justitiæ munera sunt, quæ omnem virtutem continet. Est enim Justitia, quæ ab aliis virtutibus distinguitur. Est & quæ reliquas in se complectitur omnes. Nam Justitiæ est, suum cuique tribuere. Quare & disciplina morum & civilis facultas in officiis versatur. Justitia, cum est animi gubernatrix, cuique animi parti suum officium præscribit. Justitia civitatis moderatrix, & ipsa cuivis Reipub. parti id tribuit, quo quæque digna est.* Hactenus de generali significatione & natura τῦ καθήκοντος. Idem à Stoicis sæpe strictiùs accipi paulò antè monui, quando illi opponitur κατόρθωμα. Nam κατόρθωμα illi vocant officium rectum, perfectum, ἀποδεικτικῶς certum, omnibusque numeris absolutum, quod nec in excessum neque defectum exorbitet, sed ut ubique hilari facilitate appetitus rectæ rationi in agendo obsequatur: quale quidem κατόρθωμα, à nemine peragi possit, nisi Sapiente Stoico, *l.4. de finib.* cujus hi stupendam & in nullo usquam homine inventam ideam depinxerunt; cui geminus est vir prudens Aristotelicus, cujus judicium norma debeat esse, juxta quam omnis & virtus & actio honesta sit metienda. 2. *Nicom.* 6. §. 26. & 3. *Nicom.* 4. Huic igitur κατορθώματι quando καθῆκον opponitur, strictiori hac significatione accipiendum est, & à Zenone hoc modo definitur: καθῆκον μέσαν ἐστὶν ὃ πραχθὲν ἔυλογον ἔχει τὸν ἀπολογισμόν. Hæcita hic exprimit Cicero: *Medium Officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Et lib.* 1. *Offic. Omnis actio vacare debet*

*majus sit: & quæ sint ejusdem generis. Quorum autem*

*temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non possis causam probabilem reddere. Hæc est enim ferè descriptio Officii.* Ut adeò τὸ καθῆκον strictè dictum etiam cognitionis modus differat ab eo, quod κατόρθωμα appellant; de hoc enim Rationem practicam ἀποδεικτικῶς, de isto nonnisi διαλεκτικῶς certam esse voluerunt Stoici. Et vero utramque cognitionem, ὑπογραμμικὴν & δοξαστικὴν in moralibus locum quemque suum habere, affatim demonstravi *Exam. Probat. Jesuit. cap. 6. 7. & 8.* Idem καθῆκον strictè acceptum Stoicis solet non solùm *Medium*, & *Probabile*, sed & *Commune* dici, quod in communi vita cernatur, quales vulgò fortes, justos, prudentes appellare consuevimus. Hinc tali verborum contentione utitur Cicero 3. *de Offic. Tam id Honestum quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumq; est nobis, quàm id, quod proprie dicitur, vereq; est Honestum Sapientibus.* Prioribus verbis τὸ καθῆκον specialiter dictum, posterioribus τὸ κατόρθωμα denotari manifestum est. Sed, quæso, quis est ille ἔυλογ & ἀπολογισμὸς, seu, ratio probabilis, qua niti dixit Zeno Officium medium, undeque illa arcessitur? Non aliunde quàm ex loculis Dialecticis, quatenus hinc deprompta argumenta fidem faciunt aliquid fore aut esse Honestum, esse aliquid etiam Utile, quod honesto non repugnet, esse quoque aliquid non aspernandum jucundum, si neque hoc vel honestati vel veræ utilitati adversetur. *Huc*, inquit Wolfius, *possunt adjungi locus facultatis, necessitatis, autoritatis, & id genus alij.* Antequam verò hanc Stoicorum distinctionem dimittam, alia esse Officia perfecta, alia Media, ex Cicerone contra Stoicos hoc moveri possit dubium. Ita enim ille 3. *de Orator. Stoici docent, omnes,*

*qui*

*autem officiorum præcepta traduntur, ea quamquã pertinent*

*qui Sapientes non ſint, ſervos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe; neque tamen quenquam eſſe Sapientem. Valde autem eſt abſurdum, ei concionem, aut ſenatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo illorum, qui adſint, ſanus, nemo civis, nemo liber eſſe videatur. &c.* Gemina his quoque in ſuis Paradoxis recitat. Quibus ita poſitis, quid de Officiis mediis ſeu communibus fiet? Num ergo qui horum ſunt cultores & ipſi ſunt ſervi, latrones, hoſtes, inſani? ita ſanè ſequi videtur, cum Sapientes non ſint, atque hæc κατήκοντα non ſint κατορθώματα. Et cum duplicem dicat Cicero de Officio eſſe doctrinam, quarum una agat de vero vitæ humanæ fine rectè conſtituendo, quæque ejus ſit natura, altera ſit occupata in tradendis præceptis, juxta quæ κατήκοντα etiam, *Officia media* ſint conformanda; quæritur, an qui talia docent, ſint hoſtilitatis & inſaniæ magiſtri? Vnde apparet, Stoicos multis modis errare, atque ἀεροβατεῖν: qui dum ſuum Sapientem non ſolum ſupra humanam conditionem evehunt, homines utcunque bonos juſtosque maxima injuria, ſtultis, ſenis, latronibus & inſanis accenſent, atque ita ſemetipſos quoque in tribum ſtultorum, meritò ni fallor ſuo, referunt. Rectè verò iidem docent, alia Officia ſemper eſſe facienda, alia non ſemper. Cum enim omnium actionum humanarum Lex debeat eſſe menſura, & Officiorum cumprimis Jus naturæ: hujus verò quædam Leges iis ſint conceptæ propoſitionibus, quarum obligatio ſemper juris effectum habent atque exercent: aliæ verò, eæque plurimæ iis propoſitionibus conſtent, quarum obligatio & effectus certis caſibus ceſſat aut ſuſpenditur; accidit, ut iſtis ſine ulla exceptione ſit parendum, his quandoque parendum non ſit, non ſolùm quod tali

*pertinent ad finem bonorum, tamen id minus appa-*
*ret,*

casu obligatio hujusmodi legis sit suspensa, sed alia quædam lex planè obliget, ne intempestivè parendo fraudem facias legi & intentioni naturæ, quæ ab ejus legis, cujus obligatio certo casu cessat, obsequio, in detrimentum alterius iniquè cessuro, per aliam te legem, cujus hoc saltem casu major est autoritas, revoçat. Sed, quæso, quæ est hujus rei causa, putà, quod quarundam legum naturalium obligatio suspendatur, atque adeò quædam officia non semper sint eadem, aut præstanda? Hoc scilicet efficiunt miris modis variantes. περιστάσεις, seu τὰ καθ' ἕκαστα Aristoteli appellata: unde etiam Stoici alia καθήκοντα dicunt esse περισπώμενα, alia ἄνευ περισπάσεως. Posterius vero membrum non est ita accipiendum, ac si quædam actiones vel officia omnibus vacent circumstantiis seu singularibus attributis, id quod est ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ceu cuivis liquet ex 3. *Nicom.* c. 1. sed hæc Stoicorum videtur esse sententia, esse quædam Officia ἄνευ περισπάσεως, putà tali, quæ ordinariam legis naturæ obligationem non differat aut sufflaminet, esse vero nonnunquam alias circumstantias, quorum περισπάσεις hanc vim exercere soleant, dirigente & commonstrante viam Prudentia. Rectissimè hæc illustrari poterunt ipsius Ciceronis verbis ex 3. *Offic.* *Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens; reddere, peccatum sit: non reddere, officium. Quòd si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddesne depositum? non credo; facies enim contra Remp. quæ debet esse charissima. Sic multa, quæ honesta naturâ videntur esse, temporibus fiunt non honesta.* Huic addemus Senecam, qui ita loquitur *lib.* 4. *de Benef.* c. 10. *Depositum reddere per se res expetenda est, non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest: utrum inficier, an palàm reddam. Intuebor utili-*

*ret, quia magis ad institutionem vitæ communis spectat-*

*tatem ejus, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo.* Eamque ob causam Cicero his in libris diligentissimè & sæpe inculcat, debere prudenter explorari & expendi τὰς πιθανότητας, ut quæ maximum momentum conferunt ad actionum moralitatem. Vide quæ disputavimus tract. de *Princip. act. moral. disp.* 2. §. 22. *seqq.* Hinc cum *lib.* 1. *Offic.* dixisset, quosdam putare se benefi-cos esse in suos amicos, si illos quacunque ratione locupletent, subjicit, *Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium.* Eodemque libro, cum quasdam πιθανότητας attigisset, addit: *Hæc igitur & talia circumspicienda sunt in omni officio: & consuetudo exercitatioq; capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, & addendo, deducendoq; videre, quæ reliqui summa fiat, ex quo quantum cuique debeatur, intelligas.* Denique nec hoc prætermittendum est, quod hic ait Cicero, de Officio duplicem esse quæstionem, seu Visionem, vel Inspectionem, uti JCti veteres loquebantur. *Unum,* inquit, *genus est, quod pertinet ad finem bonorum: alterũ, quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ confirmari possit.* Cum enim sint varia bona humana, est aliquod eorum summum & ultimum, ad cujus cynosuram Stoici sua decreta componunt, quod τέλος, *Finis,* dicitur, & apud Stobæum ex sententia Stoicorum in Eclogis ita describitur: Ἔστι τέλος πάντα πράττεται καθηκόντων, αὐτὸ δὲ πράττεται μηδενὸς ἕνεκα, *Ad quem omnia rectè convenienterq; facta referuntur, ipse ad nullum.* Vel: ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηκόντως ἀναφορὰν λαμβάνει, αὐτὸ δ' ἐπ' οὐδέν. *Ad quem omnia rectè convenienterq; facta referuntur, ipse ad nullum.* Hoc igitur ἔσχατον ὀρεκτῶν convenit cum Felicitate seu εὐπραξίᾳ Aristotelica, quam ille τέλειον τέλος appellat,

*ſpectare videntur: de quibus eſt nobis his libris explicandum*

ejuſque rei hanc rationem tradit, *Magn. Mor.* 2. *Perfectus finis eſt, quo potiti nihil petimus ultra, vel egemus: Imperfectus, qui cum obvenit, etiam egemus: veluti, juſtitiam adepti, plura volumus: at Felicitatem, jam nihil.* Hinc Stoici apud *Stob. in Eclog.* nimis quàm tenui diſcrimine utentes, τὴν μὲν εὐδαιμονίαν λέγουσι σκοπὸν ἐκκεῖσθαι. τέλος δὲ εἶναι, τὸ τυγχάνειν τῆς εὐδαιμονίας, *Felicitatem dicunt ut ſcopum proponi, Finem vero eſſe, Felicitatem adſequi.* Tali itaque fine propoſito, varias Bonorum diviſiones exſtruxerunt Stoici, interque eas & hanc, quod alia bona ſint τελικὰ, alia ποιητικὰ, alia utroque ſint loco *Cic.* 3. *de finib. p. m.* 115. De quibus omnibus vide, quæ congeſſit Lipſius *lib.* 2. *Manud. ad Stoic. Philoſoph. c.* 22. & 23. ex Stobæanis Eclogis, Sex. Empirico, Laërtio, & aliis. Secundum Academicos & Peripateticos Bona alia ſunt Animi, alia Corporis, alia Fortunæ. Atque ex his quædam ultimi Finis ſeu perfectæ Felicitatis humanæ naturam ceu partes eſſentiales conſtituunt: alia ſunt, quæ ad hanc ducunt, ejusdemque ſunt naturæ cum ipſo illo fine, ſed non ſunt ejuſdem perfectionis; multò enim perfectiùs bene aget is, qui illum fortè finem fuerit adeptus, inque eo exercitatus, quàm qui ſit in itinere ad illum contingendum. Præterea multa ſunt alia bona, quæ vitæ humanæ variis neceſſitatibus & uſibus ſerviunt, ſic tamen ut poſſint eſſe inſtrumenta etiam & ornamenta actionum virtutis inchoatarum, & quoque ipſius Felicitatis & perfectiſſimæ εὐπραξίας. Cumque dubium non ſit, quin cauſa inſtrumentalis ſit referenda ad efficientem, viderint Stoici, quo jure bona externa atque etiam corporis excluſerint ex pretio & cenſu bonorum τῶν ποιητικῶν, & tam abjectè de his ſenſerint ſcripſerintque.

Vult

*plicandum. Atq; etiam alia diviſio eſt officii: nam & me*

Vult itaque Cicero, aliam eſſe θεωρίαν Officiorum, quibus de bonis ultimi finis eſſentialibus, ſeu de ipſo fine, nec non quibus de actionibus honeſtis ad illum finem ducentibus, quæſtio ſit: aliam verò eſſe θεωρίαν, quomodo officii ratio in diſponendis diſpenſandisq; bonis corporis & fortunæ conſervanda ſit. Quibus ita explicatis, reſtat ut majoris perſpicuitatis gratia, ceu promiſimus, Suidæ & Clem. Alexandrini textus adjiciamus. Nam ex Simplicio citato ad Epictetum capite quædam jam attulimus: reliqua ex eodem ſubinde in hac commentatione intexentur. Clementis verba, cum ſint prolixiora, tantùm latinè dabimus *Pædag. lib.* 1. *c.* 13. cujus inſcriptio hæc eſt: ὅτι ὡς τὸ κατόρθωμα καὶ ἀπὸ τὸν ὀρθὸν γίνεται λόγον, οὕτως ἔμπαλιν τὸ ἁμάρτημα παρὰ τὸν λόγον. *Quod quemadmodum id quod rectè & ex virtute geritur, fit ex recta ratione, ita rurſus peccatum præter rationem. Quidquid præter rectam rationem eſt, peccatum eſt. Jam vero generales adfectiones ita autumant definiendas Philoſophi, ut cupiditatem quidem dicant eſſe, appetitionem rationi inobſequentem: metum item, diſſolutionem rationi immorigeram: voluptatem verò, elationem animæ, quæ itidem non paret rationi. Si ergo inobedientia adverſus rationem peccatum generat, quidni etiam obedientia, quæ exhibetur rationi (τῷ λόγῳ ſcilicet, Filio Dei) & à nobis fides vocatur, honeſtum illud, quod officium appellant, progigneret? Nam & ipſa virtus talis eſt diſpoſitio animæ, quæ rationi per omnem vitam conſentit. Quinimo ipſam Philoſophiam, caput rerum, ſtudium rectæ rationis definiunt. Ut neceſſe ſit, delictum eſſe, quidquid per errorem rationis fit: quod meritò tali voce, quæ aberrationem notat, Græci appellitant. Quamprimum ergo primus homo peccavit, etiam*

*Deo*

*& medium quoddam officium dicitur, & perfectũ. Perfectum autem officium rectum, opinor, vocemus,*

*Deo obedivit.* Et assimilatus est, *inquit*, jumentis *homo, qui præter rationem exerrasset. Meritò enim, qui rationis non est compos existimatus, jumentis comparatur. Unde & Sapientia dicit:* Equus ad coitum libidinosus: & adulter irrationali jumento assimilatus. *Atque ideo subjicit:* Quocunque super eum sedente, hinnit. *Non amplius, vult dicere, homo loquitur. Neque enim ratione uti existimandus est amplius, qui præter rationem peccat; Sed bellua potiùs rationis expers haberi debet, cupiditatum mancipium, cui omnes voluptates quasi insident, aut inequitant. Quod autem rationis obsequio rectè geritur,* προσῆκον & καθῆκον *Stoici vocant. Ita ut officium sit, id quod convenit. Porrò obedientia illa fundatur præceptis, præcepta monitis: quæ, cum eadem sint, veritatemque sibi scopum proponant, ad ultimum expetendorum, sive finem hominis, manuducere ac instituere solent. Est autem finis pietatis æterna in Deo requies. Itaque finis noster æternitatis est principium. Ipsa autem pietatis perfectio, officia solet producere in operibus. Unde meritò in actionibus, non in dictionibus officia consistere creduntur. Actio verò Christiani, est animæ rationalis operatio, quæ prudenti judicio & veritatis desiderio, non sine adjumento sociati corporis perficitur. Officium item est voluntas Deum Christumq; in vita sequens, æternæ vitæ suas actiones quodammodo accommodans. Vita insuper Christianorum, quam nunc informamus, est actionum rationi consentanearum comprehensio, sive eorum, quæ ratio docet, constans & immobilis operatio, quam Fidem vocamus. Comprehensio autem illa præceptis dominicis constat, quæ cum sint divinæ sententiæ & monita spiritualia, nobis*

*præscri-*

*mus, quod Græci* καλόρθωμα: *hoc autem, commune, quod* καθῆκον *vocant, atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium*

*præscripta sunt; quippe quæ & nobis ipsis, & proximis accommodare possumus, à quibus rursum ad nos revertuntur; planè sicut pila solet repercussa ad eum qui projecit recurrere. Unde & necessaria sunt ad divinam institutionem officia, tanquam & à Deo præcepta, & ad salutem tradita. Et quandoquidem necessaria alia quidem illuc spectant, ut hic solùm vivamus, alia autem in hac vita ad futuræ felicitatem erigunt; ita consentaneum est, officiorum alia quidem ad vivendum, alia ad bene vivendum ordinari. Quæ igitur præcipiuntur ad vitam generaliter, & sicut gentes quæque solebant, degendum, ea jam multorum notitiæ sunt exposita: quæ verò ad bene vivendum pertinent, ex quibus æterna vita consequitur, ea per modum delineationis, ex ipsis Scripturis, scilicet, proponemus.* Suidæ hæc sunt: Καθῆκον, φασὶ πρῶτον ὠνομακέναι τὸν Ζήνωνα τὸν Κιτιέα, καὶ λόγον περὶ αὐτοῦ πεποιηκέναι καθῆκον. ὅτι καθῆκόν φασιν εἶναι, ὃ προαχθὲν ἔυλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμόν. οἷον, τὸ ἀκόλουθον ἐν ζωῇ. ὅπερ καὶ ὅτι τὰ φυτὰ, καὶ ζῶα διατείνει. ὁρᾶσθαι γὰρ καὶ ἀπὶ τούτων καθήκοντα. κατάτινας εἶκειν τῆς προσονομασίας εἰλημμένης. ἐνέργημα δ' αὐτὸ εἶναι ταῖς κατὰ φύσιν κατασκευαῖς οἰκεῖον. τῶν γὰρ καθ' ὁρμὴν ἐνεργουμένων, τὰ μὲν καθήκοντα εἶναι, τὰ δὲ, παρὰ τὸ καθῆκον.

Καθήκοντα μὲν εἶναι, ὅσα λόγῳ πρέπει ποιεῖν. ὡς ἔχει γονεῖς τιμᾶν, ἀδελφοὺς, πατρίδα, συμπεριφέρεσθαι φίλοις. παρὰ τὸ καθῆκον, ὅσα μὴ αἱρεῖ λόγος, ὡς ἔχει τὰ τοιαῦτα, γονέων ἀμελεῖν, ἀδελφῶν ἀφρόντιστον εἶναι, φίλοις μὴ συμπαρατίθεσθαι, πατρίδος ὑπεροράν, καὶ τὰ παραπλήσια. ὅτε καθήκοντα, ὅτε παρὰ τὸ καθῆκον. ὅσα ὅτε αἱρεῖ λόγος πράττειν, ὅτε ἀπα-

*medium autem officium id esse dicant, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.*

(1) *Triplex*

ἀπαγορεύῃ. οἷον, κάρφος ἀνελέσθαι, χαφεῖον κρατεῖν, ϛλιγγίδα, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. καὶ τὰ μὲν εἶναι καθήκοντα ἄνευ πρεπώδους, ὡς τάδε. ἀγνείας ἐπιμελεῖσθαι, καὶ αἰδημονεύειν, καὶ τὰ ὅμοια. καὶ ἃ πείϛασιν δὲ, τὸ πυρῶν ἑαυτὸν, καὶ τὴν κτῆσιν διαῤῥιπτεῖν. ἀναίλεγον δὲ καὶ τὸ μετὰ τὸ καθῆκον. πολύβιος. τολμῶσι μετὰ τὸ δίκαιος. καὶ ποιοῦσι μετὰ τὸ καθῆκον. ἔτι τῶν καθηκόντων, τὰ μὲν ἀεὶ καθήκει, τὰ δὲ, οὐκ ἀεί. καὶ ἀεὶ μὲν καθήκῃ, τὸ ἐρωτᾶν καὶ πυνθάνεσθαι, καὶ περιπατεῖν, καὶ τὰ ὅμοια. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν μετὰ τὸ καθῆκον. ἔϛι δὲ καὶ ἐν τοῖς μέσοις τι καθῆκον, ὡς τὸ πείθεσθαι τοὺς παῖδας τοῖς παιδαγωγοῖς. Καθήκοντα. Δημοσθένης ἐν ἐνδεκάτῳ Φιλιππικῶν φήσιν, ὅς τις οὐκ ἤξίου τὰ καθήκοντα ἐφ' ἑαυτὸν ποιεῖν, ἀντὶ τοῦ τὰ ἥκοντα. Κατηκόντως, δεόντως, πρεπόντως. Quæ ex recensione Æmylii Porti ita sunt translata: Καθῆκον. *Ajunt Zenonem Citticum primum hac voce τοῦ καθήκοντος usum esse, & de eo verba fecisse, nominantem id* καθῆκον, *id est, Officium. Hoc autem ajunt esse id, quod, si producatur in medium, habet* probabilem *& rationi consentaneam rationem, veluti id, quod est consequens in vita, quod ad stirpes etiam, & animalia extenditur. In his enim etiam officia cerni* constat. Καθῆκον *dictum est, voce inde sumpta, quod ad aliquos veniat,* ac perveniat, quos aliquid facere decet, ac oportet. *Ipsum autem* Officium *esse* dicunt, *actionem statui naturæ convenientem. Quæ enim per appetitionem aguntur, partim quidem officia* dicunt *esse, partim vero præter officium* fieri tradunt.

*Officia quidem esse, quæcunq; rationi facere convenit, ut est illud, honorare parentes, fratres, patriam, cum amicis amicè versari,* & morem ipsis gerere. *Præter officium* verò esse dicunt, *quæcunque non admittit ratio,* quæ non esse

facienda

(1) *Triplex igitur est, ut Panætio videtur, consilii capiendi deliberatio. Nam honestumne factu sit, an turpe, dubitant, id quod in deliberationem cadit, in quo considerando, sæpe animi in contrarias sententias* facienda convincit ratio, *ut sunt hæc, parentes negligere, fratres non curare, amicis non obsequi, despicere patriam, & similia. Neq; officia, neque contra officium sunt, quæcunq; convincit ratio esse facienda, nec interdicit, ut, festucam tollere, stylum tenere, aut strigilem, & his similia. Et alia quidem esse* dicunt *officia sine circumstantia, ut hæc, castitatis studiosum esse,* vel sanitatis rationem habere, si cum Wolfio legas ὑγείας, *& sensuum, & similia. Cum circumstantia vero, seipsum mutilare, & rem familiarem dissipare. Est etiam eadem ratio ejus, quod est contra officium. Polybius: Audent plus quàm decet, & præter officium faciunt. Præterea quædam officia semper conveniunt, quædam verò non semper. Et semper quidem convenit, interrogare, & audire, & ambulare, & similia. Eadem ratio est etiam eorum, quæ sunt præter officium. Est & in rebus mediis quoddam officium, ut illud, pueros pædagogis parere.* Καθήκοντα *Demosthenes XI. Philippica dicit, Qui suum officium facere noluit.* Καθήκοντα *dixit, pro* ἥκοντα, *Ea, quæ ad aliquem veniunt,* & quæ ab eo fieri convenit. Καθηκόντως. *Convenienter, Decenter.*

(1) *Triplex igitur.*) Cum jam constet, quid sit Officium, ejusque varia sint objecta, Honestum, Utile, Jucundum, nulla vero ratio, nullumque officium possit esse rectum sine Prudentiæ regimine, partitur jam doctrinam de officiis, quomodo illa prudenter possint debeantque suscipi atque perfici, circa qualecunque tandem objectum deliberando versemur. Semper enim in vita tenendum est tritum illud monitum: *Quidquid agis, prudenter*

*ſententias diſtrahuntur. Tum autem inquirunt, aut conſultant, ad vitæ commoditatem, jucunditatemq́, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare, & ſuos: conducat id, necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cum pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile. Cum enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas contra revocare ad ſe videtur, fit, ut diſtrahatur in deliberando animus, afferatque anci-*

*denter agas, & reſpice finem.* Itaque cum Honeſtatis tum Utilitatis ratio penſiculatè examinanda eſt, ut ſis planè certus, quid officii tui ſit, quid ei repugnet; adeoque ut illud teneas & perſequaris, hoc omittas. De quibus omnibus accurata deliberatio, quod Prudentiæ opus eſt, ineunda eſt. Solet verò de iis ſecundum Ariſtotelem deliberatio inſtitui, quæ à nobis fieri poſſunt, noſtrique ſunt arbitrii: cujus generis certè Officia actionesque virtutum ſunt. Agimus igitur cum conſilio, vel ut illæ actiones Honeſtatem ſpectent, vel Vtilitatem, vel Jucunditatem: atque hæc vel ſeorſim, vel conjunctim. Jucundi boni ſeu finis non meminit Cicero, quod illud fortè Honeſti & Vtilis ab ipſo creditum ſit quoddam quaſi πεῖαπλον. Quando deliberatio concernit Honeſtum, eliget προαίρεσις, & exſequetur illas actiones, quæ Honeſtati conveniunt; contrarias fugiet & repudiabit. Vbi verò deliberatio eſt de rebus Vtilibus, opibus, potentia, variis vitæ commoditatibus, operam dabit, ut verum Vtile ab apparenti probè diſcernat, eaque potiſſimum vitæ commoda & præſidia eligat, quæ Honeſtati etiam poſſint eſſe ornamento vel adjumento, nunquam autem ea ſibi

Vtilia

*ancipitem curam cogitandi. Hac in divisione (cum præterire aliquid, maximum vitium in dividendo sit) duo prætermissa sunt, nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius: itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque parteis distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter: tum pari ratione*

Utilia fore persuadeat, quæ Honestati omnino adversentur. Nam primum Intellectus Practici θεώρημα Cicero esse dicit, sitne Honestum hoc an turpe: alterum, sitne Vtile, necne: tertium, an hoc Vtile cum Honesto conveniat, vel saltem ei non repugnet. His tribus membris jam addi posse & debere putat Cicero duo alia; nam, propositis duobus aut pluribus Honestis, atque item pluribus Vtilibus propositis, atque inter se collatis, deliberatione opus est, utrum reliquis sit præferendum. Quam partem non solùm hic, sed & apud Atticum omissam esse *lib.* 16. *ep.* 11. his verbis conqueritur: τὰ μὲν τοῦ καθήκοντος, *quatenus Panætius, absolvi duobus. Illius tres sunt. Sed cum initiò divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse: unum, cum deliberamus, honestum, an turpe sit: alterum, utile, an inutile: tertium, cum hæc inter se pugnare videantur, quomodo judicandum sit. Qualis causa Reguli: redire, honestum: manere, utile. De duobus primis præclarè disseruit. De tertio pollicetur se deinceps scripturum. Sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus. Ego autem & ejus librum accersivi, & ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret, quem exspecto. Quem velim cohortere, & roges, ut quamprimũ.*

*ratione de utili, post de comparatione eorum disserendum.*

(1) *Principio generi animantium omni est à natura*

*In eo est* ἀρχὴ τοῦ καλὰ πρᾶξαιν καθήκοντα. Cæterum hoc quartum est quintum membrum tantopere à Cicerone fuisse desideratum, criminatur Cœlius Calcagninus in suis *Disquisit. n.* 4. *An tu*, inquit, *vir tanti ingenij, tantusq; dogmatis Stoici Professor, non meministi, apud Stoicos ejuscemodi gradus esse sublatos, neq; dato honesto, honestius aliud inveniri?* Certè si Cicero Stoicorum hypothesibus voluisset, ἀρχεύειν, non potuisset has partes requirere, easque nova deliberationis capita proponere, cum Virtutes Stoicis pares, & Peccata sint æqualia. Sed videtur hactenus Cicero libertate sibi reservata usus, repudiasse illa Stoicorum malesana principia.

(1) *Principio.*) Hactenus præfatus est, hic jam rem ipsam aggreditur. Officium facere idem est, quod Stoici aliàs dicunt convenienter naturæ vivere. Ὁμολογίαν appellabat Zeno. Qua verò in facultate Natura hominis consistit? sine dubio in Rationali. Deinde officium, τὸ δέον, eam significandi vim habet, ut non nudè denotet actionem virtutis, sed simul quandam obligationem, necessitudinem, aut saltem convenientiam involvat ad benè agendum. Ubi obligatio, ibi aliquod jus est, & quanto illa latius patet, tantò illud jus est communius. Jus verò non est nisi inter ratione præditos, puta, inter homines. Jam verò deprehendimus, multa esse officia, ad quæ homo, quà homo, est obligatus, quæ nihil aliud sunt, quàm communissima jura Naturæ. Sunt enim & alia Jura naturæ certis societatibus peculiaria. Dicuntur Iura Naturæ, vel quod naturaliter quodammodo possint cognosci, vel quod à Natura, h.e. Deo Originem habeant, vel quod Rationi (hæc enim est Natura hominis) hæc jura sint scripta,

Digitized by

*natura tributum, ut ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæ*

pta, & ab ipſo illius autore Deo condita. Deinde ſi quis ita officium faciat, & convenienter naturæ vivat, ſine dubio actionum ſuarum aliquem ultimum finem & in eo felicitatem ſeu Summum ſuum Bonum conſequetur; abſque tali enim fine ſi foret, in infinitū fieret appetitus humani progreſſus, à quo natura abhorret. Quod igitur Summum Bonum debet eſſe Hominis, neceſſe eſt, ut illius ſit proprium, h. e. quo perficiatur propria ejus Natura ſeu Ratio. Hinc ita orditur Cicero de Officiis doctrinam, ut τὸ φυτικῷ & ἀλόγητικῷ ſemoto, τὸ λογικὸν ſuperſit, iſtius felicitatis unicè capax. Quocirca oſtendit, quæ homini cum brutis ſint communia, ut pòſt appareat, quæ illi ſint propria, Ariſt. 1. *Nicom.* 7. Sed & hoc notandum eſt, ex variis principiis ſolere doctrinam moralem arceſſi: adeóq; videri Ciceronem cum Stoicis tanquam Summum Principium ſupponere ſui conſervationem, & deſtructionis amolitionem. Hinc 3. *de Fin.* ita Cato: *Ex quo intelligi debet principium ductum eſſe à ſe diligendo.* Epicurus verò ab hoc omnium animalium univerſali appetitu ſe conſervandi, & univerſali fuga corruptionis, ſuæ Adſertionis, Voluptatem eſſe Summum Bonum, fundamentum petebat. Voluptas enim, inquiebat ille, eſt πρῶτον, οἰκεῖον καὶ ἔσχατον ὀρεκτὸν, *eſt primum, naturæ accommodatum, & expetendorum extremum.* Hac de re ita ſentiendum eſt, Omnem appetitū ferri in bonum, ſeu, ferri in Objectū ſuum ſub ratione boni: Omnem motū proximè eſſe appetitu: Omnem actionem eſſe motū quendam, vel non ſine motu, adeoq; omnē actionē ſpontaneam expeti. Si omnis actio ita ſe habet, ergo & actio hominis propria prudēter directa à Ratione: atqui in ejus generis actionib.

*quæ ſint ad vivendũ neceſſaria, inquirat, & paret; ut paſtum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.*

Com-

conſiſtit Summum Bonum. Nihil enim hoc aliud eſt, quàm εὐπραξία. Vnde ſequitur veriſſimam eſſe Ariſtotelis ſententiam, in actionibus virtutum eſſentialiter conſiſtere Summum Bonum, non in voluptate. Vtut enim & hæ actiones non ſint ſine voluptate, imò conjunctæ cum ſumma voluptate non tamen ita Summum Bonum perficit Voluptas, quemadmodum ipſa actio; iſta enim eſt quidem τέλος τι, ſed ὑπογιγνόμενον, uti demonſtrat Ariſtoteles 10. *Nic. c.* 4. §. 40. ne quid dicam, quàm periculoſa ſit illa Epicuri hypotheſis ſi ad plebejos animos dimanet. Hæc enim eſt cauſa, cur adhuc dubii ſint viri docti, utrum Epicurus ipſe Summum Bonum in quolibet Voluptatum genere collocaverit, an ſolùm in voluptatibus animi: cujus mentem cum non ſatis adſecuti eſſent ſectatores, ab ea paulatim deſciviſſe videntur. Vt verò redeamus ad Amorem ſui, videtur ſanè hoc officiorum principium rectè poni. Non enim ſolùm quemlibet hominem, ſed & beſtiam quamlibet naturaliter ſui amantem eſſe videmus: qui amor præcipui boni præcipuam habet curam. Præcipuum illud bonum, aliorumque bonorum fundamentum, eſt vita, quam cum quodque animal velit ſalvam, conſervationem ac defenſionem ſui cuique Natura diligenter commendat. *Grot. 2. de I. B. P. c. 24. n. 6.* Huic Amori ſui germana quaſi Soror à Natura addita eſt Indigentia, quæ admodum eſt varia ac gravis, ut ab Homine ſibi ſoli relicto expleri nequeat, adeoq; ad Societatem, ad quam ſua quidem natura inclinat, ineundam per Indigentiam etiam compellatur, ut ita bonorum & officiorum inter Homines fiat communicatio: quod cum certâ ratione ac jure fieri neceſſum, & naturali neceſſitudine humanum genus conglutinatum ſit:

hinc

(1) *Commune item animantium omnium est, con-*

hinc fit, ut Societas, Jus, & Amicitia simul, semper & in iisdem reperiantur. 8. *Nicom.* 9. *pr.* Bruta verò licet & ipsa magna premantur indigentia, ejusque levandæ gratia gregatim fortè coëant, aut se conjungant: quia tamen id sine ratione & jure fit, propriè inter illa Societas non est. Vnde sequitur Officia in cujusque Societatis natura ac jure fundari, solique homini competere, & in brutis illorum non nisi quædam simulacra & imitamenta esse hominis Imperio & Vsibus omnia servientia: ceu pluribus in Prolegomenis demonstratum fuit.

(1) *Commune autem.*) Quo pacto amor sui conservandi Hominem ad Societates ineundas impellat, dictum est. Commodè jam docet Cicero de Societate Nuptiali, quod illam primò omnium & maximè expetat, illaque reliquàrum Societatum naturalium origo sit & fundamentum. De hac ita disserit Aristoteles 8. *Nicom.* 12. §. 31. *seqq.* *Quæ inter Virum & Vxorem amicitia est, maximè secundum naturam videtur esse. Homo enim magis ad conjugium factus est à natura, quàm ad Societatem civilem: & tantò quidem magis, quantò prior magisq; necessaria est Domus, quàm Civitas, quantoq; prolis procreatio animantium omni generi communior est. Atque in cæteris quidem hactenus progreditur communitas, quod procreationis causa conjunguntur: homines autem non solùm ad procreandos liberos communi domo utuntur, sed etiam, ut eorum, quæ ad vitam pertinent, majorem habeant facultatem.* Et 1. *Polit.* 1. p. 3. hæc habet: *Necesse jam est, primùm copulare eos, qui sejuncti esse non possunt, ceu feminam & marem procreandi causa: atque hoc non consilio ac voluntate, sed quemadmodum & in aliis animantibus & stirpibus natura datũ est appetere, quale ipsum est, tale relinquere alterũ.*

*conjunctionis appetitus procreandi cauſſa, & cura quæ-*

Licet verò Homini ſobolis procreatio, cura ejuſdem & educatio communis ſit cum brutis, minimè tamen hinc dicendum eſt cum Ulpiano, Ius Naturæ homini cõmune eſſe cum brutis: quod pluribus in Prolegomenis, refutatũ eſt. Nec enim ſequitur, ſi quidam actus homini cõmunes ſint cum brutis, veluti procreare ſobolem, illam alere, educare; etiam jura illorum actuum eſſe communia. Nullum enim animal ullo jure obligari poteſt, niſi ſolum Rationale, h.e. Homo. Proinde Natura ab homine quidẽ exegit, ut certo jure & procreatio, & educatio ſobolis inſtituatur; non item à brutis, quod ratione prorſus deſtituta, Iuris nullius ne quidem ſint capacia. Hinc Grotius ita nobis explicat differentiam Conjugii hominum & brutorum *lib. 2. de J. B. & P. c. 5. n. 8. Conjugium naturaliter eſſe exiſtimamus talem cohabitionem maris cum femina, quæ feminã conſtituat, quaſi ſub oculis & cuſtodia maris. Nam tale conſortium & in mutis animantibus quibusdam videre eſt. In homine verò, quà animans eſt ntens ratione, ad hoc acceſſit fides, qua ſe femina mari obſtringit.* In his tamen Grotii verbis ac ſententia quid deſiderari queat, pluribus oſtendimus in noſtro Commentario; ubi hanc definitionem ſubſtituimus, quod *Conjugium ſit ſocietas naturalis, mutuo placito & fide data à mare & femina inita, procreandæ ſobolis, & mutui ad vitam benè degendam præſidii gratia.* Magna quoque eſt differentia inter curam, qua ſuam prolem homines, & qua ſuam bruta educent. Hæc enim id faciunt, donec proles eas vires & incrementum ceperit, ut ſibi de victu proſpicere poſſit: atque tum non ſolùm curam ejus nullam pleraq; habent, ſed quoq; eam à ſe abigunt. At humanæ prolis cura non tam ad corporis, quàm animæ culturam pertinet, nec ut ſolùm vivat, curatur, quàm ut benè vivat; illud verò εὖ ζῆν

conſiſtit

*quædam eorum, quæ procreata ſunt.* (1) *Sed inter hominem, & beluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adest, quodque præſens est, ſe accom-*

conſiſtit in exercitio virtutum. Præterea illa procreandi & curandi prolem appetitio, non tam ad conſervationem individui, quàm ad propagationem ſpeciei à Natura data eſt: quæ niſi tam altè impreſſa homini eſſet, in ejus poteſtate foret, unius ſeculi ſpatio generis humani durationem terminare, & cum omnia hominum gratia condita ſint, rebus omnibus finem imponere. Benè igitur Diodorus Siculus: *Optima magiſtra natura eſt cunctis animantibus non tantum ad ſui, ſed & ad prolis ſuæ conſervationem, ut cognata hac charitate continua ſucceſſio ad æternitatis circulum perveniat.*

(1) *Sed inter hominem.*) Iam oſtendit, quibus rebus à belua homo differat; dicitque, præcipuam inter hæc animalia hanc deprehendi differentiam, quod homo & præteritum & futurum tempus cum præſenti componere ſciat: Bruta verò in præſens ferè ſuo impellantur appetitu, isque nonniſi ſenſu excitetur. Cùm enim omnis cognitio vel ſit ab Intellectu, vel Senſu, atque iſto deſtituta ſint bruta, rectè ſequitur, ſola ſenſitiva cognitione appetitum brutorum excitari. Quia verò ſenſus ſunt vel Interni, vel Externi, de utrisq; hoc intelligendum eſt. Temperat tamen hoc ipſum ita, ut paulùm etiam perſentiſcere dicat bruta præteritum & futurum tempus. Memoria enim nonnulla bruta valere, certiſſimum eſt. De futurorum providentia item licet in nonnullis exempla colligere, hirundine, Ciconia, gruibus, ſciuris, apibus, formicis, aliisq;. Sed hæc ab his fiunt ſolo naturæ inſtinctu, nullo λογισμῷ. De Formicis ita diſertè ait *Horat. l. 1. Sat. 1.*

*accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum*: (1) *homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia, & causſas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit, atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad*

*Parvula nam exemplo est, magni formica laboris,*
*Ore trahit, quodcunq; potest, atque addit acervo*
*Quem struit haut ignara, ac non incauta futuri.*

Hoc discrimen, de quo hic loquitur Cicero, ita describit Aristot. 1. *Pol.* 2. p. 7. *Orationis tantum homo ex omni genere animantium particeps est. Vox igitur tristis rei ac jucundæ nota est. Quare cæteris quoque animantibus data est. Hucusque enim natura ipsarum pervenit, ut sentiant, quod molestum est ac jucundum, & hæc significent sibi ipsis. Oratio autem inventa est ad declarandum quod prodest & obest.*

(1) *Homo autem.*) Quod hic tribuit Rationi, humanæ, non naturali ejus facultati acceptum omne ferendum est, sed quatenus illa à Prudentiæ habitu perfecta est. Nam in civilibus rebus perspicere posse & causas, & effectus earum, & antecedentia, & consequentia, & similium causarum similes esse effectus, & præsentia ita ordinare, ut præteritorum & futurorum connexionem aptè conjungas, & totius vitæ cursum facilè regere, & ad eam degendam res necessarias parare; quid aliud est, quàm Prudentis munere fungi? *Prudentis enim*, inquit Aristot. 6. *Nic.* 5. §. 2. *videtur esse, in illis, quæ sibi bona, & utilia sunt non sigillatim, sed universè quæ ad benè beateq; vivendum conducant, bene consulere posse.* Et *eod. l. c.* 7. §. 23. &c. 8.

*ad eamque degendam præparat res neceſſarias.* (1) *Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem:* (2) *ingeneratq; in primis præcipuum quendam*

*& c.*8.§.22.dicit. Prudentiam & Univerſalium & Singularium eſſe. Quando igitur Ratio Vniverſalia illa practica Singularibus accommodat (hoc enim eſt conſequentia cernere, principia, rerumque cauſas ac progreſſus videre) facit ea omnia beneficio Virtutis ſuæ, Prudentiæ. Licet enim Cicero in genere primùm locutus ſit de Rationis multiplici διανοίᾳ, ſpeciatim tamen idipſum mox reſtringit ad Rationem Practicam, utpote totius vitæ curſum & officia dirigentem,

(1) *Eademq; natura.*) Quid ſingulis hominibus præ brutis natura tribuerit explicatum eſt. Jam pergit docere, Naturam non his finibus ſua dona & vim terminaſſe, ſed etiam ideò homini tribuiſſe, Rationem, ut ad Societatem cum aliis hominibus colendam, & quidem ei convenientem, eſſet idoneus. Cui rei inprimis inſervit Oratio, qua notiones animi homo homini diſtinctè ac perſpicuè declarare poteſt. Quod argumentum eam apud Ariſtot. 1. *Pol.*2. *p.*6. *&* 7. vim habet, ut hinc non ſolùm colligat, Hominem eſſe ζῶον κοινωνικὸν, ſed natura duce etiam πολιτικόν. Verba Philoſophi hæc ſunt: *Quare autem homo Civile animal ſit, omni ape & omni gregali animante magis, apertum eſt. Nihil enim ut cenſemus, natura facit fruſtra. Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt. & c.*

(2) *Ingeneratq;.*) Etſi etiam brutis quædam ſit erga ſobolem ſuam στοργὴ, & erga parentes prolis quædam ἀντιπελάργωσις. In homine verò hæ dotes multò ſunt excellentiores, quod ratione regantur. Vnde Cicero

*dam amorem in eos, qui procreati ſunt.* (1) *impellitque, ut hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit, ob easque cauſſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum, nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, cæterisque, quos caros*

dicit, Naturam talia operari in homine vi Rationis. Quẽadmodum igitur hominum matrimonia à connubiis pecudum multùm differunt, uti ſuprà explicatum paucis fuit; Ita quoq; majora ſunt jurâ & officia inter Parentes & Liberos. Quare autem Parentes naturæ ductu tam tenerè ament Liberos, & quidem tenerius, quàm hi illos, egregiè docetur 8. *Nicom. c.* 12. §. 6. *ſeqq.* Videlicet, quod liberi ſint pars parentum: quod parentes certiùs norint, liberos ex ſe eſſe genitos: quod omne generatum majore neceſſitudine colligatum ſit cum generante, quàm hoc cum illo: quod parentum amor erga liberos ſit prior & diuturnior: & addit ibi Philoſophus, nonnullas ex his rationes arguere, cur etiam Matres tenerius ament liberos, quàm Patres.

(1) *Impellit.*) Natura homini inſtinctum impreſſit appetendi varias Societates, pro cujuſque vitæ genere ac ſtudio, & multiplici indigentia; nam cum ob alias cauſas, tum etiam hanc Societas initur. Ut igitur Indigentiæ facillimè ſubveniatur, cœteriſque fines naturales obtineantur, eadem Natura rationalis ſibi vult obediri à cœtibus, id quod fit, ſi apto ordine imperandi & parendi, aliiſq, ad ſocietates continendas accommodatis legibus ac juribus utantur, ut ita ſecundum rationis normam bonorum & officiorum juſta fiat communicatio. Inſtitutis enim à Natura Societatibus, ejuſmodi ſimul ordinem ea inſtituit, abſque quo ſi foret, Cyclopum eſſet colluvies

vagus

*caros habeat, tuerique debeat.* (1) *Quæ cura excitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit.*

vagus ille hominum cœtus, suoque tum fine Natura destitueretur. Quando verò dicit, eam debere adesse copiã, quæ non uni sufficiat, sed & Conjugi, liberis, cœterisque, quos caros is habet, quosq; jure vel Naturæ vel alio obstrictus tueri debet; videtur sanè ad illam progredi αὐτάρκειαν, quæ non in alia, quàm Civili societate, reperitur. Nam *Civitas est è pluribus pagis communio perfecta, quæ jam omnis ubertatis extremum nacta est, nata sanè vivendi causa, permanens verò benè vivendi* inquit Arist. 1. *Pol.* 2. *pr.* Geminus etiam huic locus est 1. *Nicom.* 7. §. 20. & 21. τὸ αὐτάρκες *id dicimus, non quod sibi soli, vitam solivagam & solitariam agenti, sed quod parentibus etiam, ac liberis, & Conjugi, &, ut semel dicam, amicis ac Civibus satis est, quandoquidem homo ad vitam Societatemq; civilem natus est.* Hæc Ciceronianis ex asse respondent.

(1) *Quæ cura.*) Homines sui conservandi causa ubi in Societatem Civilem certâ Ratione ac lege ordinatam coierunt, fieri aliter nequit, quin necessitas ac multiplex inopia illorum ingenia acuat, & ad multas artes, inveniendas exsuscitet. Sapienter hoc ipsum describitur à Poëta 1. *Georg. v.* 120. *seqq.* cujus limpidissimi versus hic legi merentur:

*Pater ipse colendi*
*Haut facilem esse viam voluit: primusq; per artem*
*Movit agros, curis acuens mortalia corda:*
*Nec torpere gravi passus sua regna veterno.*
*Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:*
*Nec signare quidem, aut partiri limite campum,*
*Fas erat: in medium quærebant: ipsaq; tellus*
*Omnia liberius nullo poscente ferebat.*
*Ille malum virus serpentibus addidit atris,*

*Præda-*

*facit.* (1) *Inprimisq́ hominis est propria veri inquisitio, atque investigatio. Itaque, cum sumus necessariis negotiis, curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, ac discere, cognitionemq́ rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene, beateq́*

*Prædariq́ lupos jussit, pontumq́ moveri.*
*Mellaq́ decussit foliis, ignemq́ removit:*
*Et passim rivis currentia vina repressit.*
*Ut varios usus meditando extunderet artes*
*Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam:*
*Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.*
*Tunc Ulnos primùm fluvii sensere cavatas:*
*Navita tum stellis numeros & nomina fecit*
*Pleiadas, Hyadas, claramq́ Lycaonis Areton:*
*Tum laqueis captare feras, & fallere visco,*
*Inventum: & magnos canibus circumdare saltus.*
*Atque alius latum funda jam verberat amnem,*
*Alta petens, pelagoq́ alius trahit humida lina.*
*Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ:*
*(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)*
*Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit*
*Improbus, & duris urgens in rebus Egestas.*

Ingeniosè etiam hinc apud Apulejum in *Apolog.* prædicatur Paupertas *prisca apud secula omnium Civitatum conditrix, omniumq́ artium repertrix.*

(1) *Inprimisq́.*) Et huic adsertioni consentientem habet Aristotelem, qui hominem sciendi cupidum, & eundem Cicero hic θηρευτὴν τῆς ἀληθείας esse dicit. Est autem Veritas duplex, juxta Arist. 6. *Nicom.* 2. Theoretica & Practica. Dicit igitur Veri inquisitionem ad benè beatéque vivendum exigi: at cujus veri? in Civili quidem vita

*beateq; vivendum neceſſariam ducimus.* (1) *Ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumq; ſit,* vita Veritatis Practicæ cognitio cumprimis deſiderabitur, quæ beneficio Prudentiæ inveſtigatur. Atque hæc Officiis, omnibusque actionibus honeſtis conjunctiſſima eſt, & tanquam regina quædam præſidet. Quod de videndi & audiendi cupiditate ait, pertinet eò, quòd dicunt Philoſophi, Nihil eſſe in intellectu, quod non anteà fuerit in ſenſu. Quò etiam facit elegans textus Ariſt. 1. *Metaph. pr. Omnes homines ſcientiæ natura ſunt appetentes: idque declarat ſenſuum charitas, qui etiam ſine uſu per ſe diliguntur, inprimisq; viſus.* Atque hanc ob cauſam Felicitatem Practicam idem Philoſophus Theoreticæ ſubordinat; Vbi enim vitæ Civilis ἀυτάρκειαν nacti fuerimus, & adfectus planè habuerimus compoſitos, Natura hominem ad rerum cœleſtium, ipſius DEI cumprimis, contemplationem excitat. Denique & illud non eſt negligendum, quod ait, nos delectari cognitione rerum *occultarum & admirabilium.* Quamdiu enim occultæ nobis illæ ſunt, eas admiramur: admiratio verò illa ad indagationem mentem accendit; Vnde omnis Philoſophiæ primordium Admirationi non ſine ratione quidam tribuunt.

(1) *Ex quo intelligitur.*) Quando verba, diſputationes ac deliberationes rebus ipſis conſentaneæ ſunt, & quanto rectiori ad veritatem via itur, ſine ambagibus, eò hoc naturæ rationali eſt convenientius. Vnde protinus ſic collige, nihil ab illa alienius eſſe, quàm adfectatas tricas, & æquivocationum Labyrinthos, quàm mendacium, dolum, fraudem, quibus cognitio veri impeditur, & officia atque commercia miris modis contra Naturæ inſtitutum turbantur. Meritò igitur Ariſtot. 4. *Nicom. c.* 7. §. 11. inquit,

*sit, ideſſe naturæ hominis aptiſſimum.* (1) *Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene informatus à natura velit, niſi præcipienti, & docenti, aut utilitatis cauſſa juſtè, & legitimè impe-*

inquit, καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν. *Per ſe mendacium improbum eſt, & vituperandum.*

(1) *Huis veri videndi.*) Quia homo natura eſt ζῶον πολιτικὸν, ideò jam pergit docere, in qualibet Societate, cumprimis civili, ſi ſtabilis eſſe debeat, alios imperare, alios parere oportere. Etſi enim natura omnes homines liberi naſcantur, ne tamen illa libertas in licentiam degeneret, certo jure ac pactis illa libertas naturalis circumſcribi poteſt. Nec tamen hoc ſervire eſt. Legibus enim ſervire, libertas eſt, inquit alibi Noſter. Cœterum, quibus Imperium competit in politia? Ariſtot. 1. *Polit. 3. & ult.* ita nos docet: Ut quisque virtute eſt præſtantior aliis, ſic naturaliter his convenit ut pareant, illi, ut imperet. Et ſi quis perfectam habeat virtutem illi præ reliquis Imperium erit deferendum. Etſi enim etiam ſint Virtutes parentium, non tamen eum perfectionis gradū adſequuntur: nec neceſſe eſt, ut id fiat. Etſi enim omnes, cum imperantes, tum parentes, debeant Virtutū eſſe participes, ἀλλ' οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἀλλ' ὅσον ἑκάστῳ πρὸς τὸ αὐτοῦ ἔργον. *non tamen ad eundem modum, ſed quantum ad cujuſq; opus exigitur.* Dicit igitur Cicero, ut quiſq; à Natura excellentius ac generoſius ingenium fuerit nactus, ita magis eum imperare, quàm parere velle. Vult tamen poſterius hoc interdum, quando videlicet præcipienti, h.e. παραινοῦντι, & docenti, h.e. ad virtutem cum hortando, tum ex cauſis docendo inſtruenti ſe ſubmittit, & patientem accommodat aurem. Deinde etiam tum parebit, ſi in ea civitate

vivat,

*imperanti*: (1) *ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemptio.* (2) *Nec verò, illa parva vis naturæ est, rationisq;, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat*

vivat, ubi præstantior alius justè & legitimè, non tyrannicè imperet, utilitatis scilicet gratia, h.e. si omne imperium dirigat πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον. *ad utilitatem publicam.* Plerosq; igitur homines Natura ita generosos condidit, ut servire nesciant, sed libertatem omnibus modis expetant, & tueantur: non quod nullum ferre imperium possint, (id quod Naturæ maximè foret adversum) sed quod generosæ mentes poscant imperium Civile, libertatem non opprimens, sed omnium singulorumq; potius utilitatem procurans. Talis libertatis appetitio si natura insit omnib. hominibus, Herilia imperia omnia naturæ inimica forent. Cœterum cum posterius hoc falsum sit, hinc libero civili imperio regi velle, ait Cicero, animos *benè à Natura informatos.* Si enim alios ita natura depressit, ut sint vili & abjecto ingenio, aut improba ferocia alios crebris injuriis lacessant, herili imperio hi ut regantur, Naturæ est convenientissimum.

(1) *Ex quò.*) Generositas illa animi & naturalis ad libertatem & imperium inclinatio parit magnitudinem animi, seu Fortitudinem: nec non rerum istarum contemptum ac aversationem, quæ vulgus hominum in pretio habere, & de quibus vehementer contendere solet.

(2) *Nec verò illa parva vis.*) τῆς λογικῆς φύσεως excellentia & vis vel maximè ex ordine etiam colligitur. Hic quidem aliquis per Ordinem intelligere posset, naturalem sciendi methodum, quam in Analyticis tradidit Aristoteles. De veri enim & scientiæ investiga-

tione

*deceat in factis, dictisque, qui modus.* (1) *Itaque eorum ipsorum, quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis, factisque conservandam putat, cauetque, ne quid indecore, effœminateve faciat:*

tione paulò antè dixerat. Sequentia verò potius aliam explicationem requirunt, ut quis observet in actionibus & sermonibus suis Civilibus modum sive mediocritatem, quam tenebit, si Legibus Reip. (quæ quidem ex Naturæ instituto optima sit) illas conformet. Respublica enim ἐστὶ τάξις τις τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων. *Ordo quidam Ciuitatem incolentium. 3. Pol. 1. p. 135.* Respublica verò cum primis constituitur atque ordinatur Legibus: Vnde Lex ipsa Ordo dicitur 3. *Pol. 12. p. 207.* ἡ γὰρ τάξις, νόμος. Ille igitur dictorum factorumque ordo intelligi quoq; posset. Cœterum etsi hæc explicatio vera sit, non tamen & hæc accommodata; nam paulò post ita describit Ordinem, ut non nisi Temperantiam per eum designet.

(1) *Itaque eorum.*) Nullum est aliud animal, vel res, quæ à nobis adspicitur, quæ illam corporis sui συμμετρίαν, εὐρυθμίαν & à Natura aptissimè copulatam compagem ita agnoscat, uti Homo: de quo videatur elegantissimus Lactantii libellus *de Opificio Hominis*. Deinde ita progreditur, si tanta voluptate ab Homine corporis concinnitas & Ordo agnoscitur: quantò, quæso, pulchrior erit συμμετρία seu ἁρμονία animi, quæ in concordia Rationis Practicæ atque appetitus consistit: & quidem in specie, si cupiditates freno Rationis per habitum Temperantiæ

*faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet.* (1) *Quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus, honeſtum:* (2) *quod etiam ſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodque vere dicimus, etiamſi à nullo laudetur, laudabile eſſe natura.*

*Formam*

perantiæ ſe regi patiantur. Præterea illa ordo tenetur, ſi in rebus agendis non dubiis vagisque opinionibus fluctuemus, ſed bonis & à Prudentia ſuppeditatis conſiliis conſtanter utamur. Nihil enim pernicioſius eſt ad vitam humanam, quàm opiniones qualeſcunque in officio explendo ſequi velle. Non enim vera eſt vulgi ſententia, quam refert Ariſt. 1. *Nicom. 3. §. 3. In iis rebus, quæ honeſtæ & juſtæ ſunt, tanta varietas, tantaq; in eis verſatur erratio, ut opinione modò, non autem naturâ conſtare videantur.* Unde apparet, quam exſecrabilis ſit Jeſuitarum doctrina Moralis, qui pro Palmario & ſummo ejus principio jactant Probabilitatem.

(1) *Quibus ex rebus.*) Hoc, inquit, eſt illud regium ſolium, cui Honeſtas inſidet, videlicet quod his quatuor fulcris ſuſtinetur, Prudētia, Juſtitia, Fortitudine, Temperantia: ſeu quod conſiſtit in Appetitus cum Ratione concordia, omniumque animæ facultatum harmonia.

(2) *Quod etſi nobilitatum.*) Etſi honeſtum ſermonibus ac laudibus ita non extollatur, uti opes, potentia ejusque generis alia, quæ vulgus admiratur & laudat; eſt tamen naturâ laudabile. Exprimere voluit Stoicum illud effatum, ὅτι τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετόν ἐστι, *Honeſtum per per ſe eſſe expetendum.* Ariſtoteles etiam ſubtilius hoc diſputat, dicitque 1. *Nic. c.* 12. Honeſtatem ſeu Felicitatem magis videri referendam eſſe ad τὰ τίμια *honorabilia*, quàm τὰ ἐπαινετὰ ἀγαθὰ, *laudabilia bona.*

(1) *Formam quidem ipſam, Marce fili, & tanquam faciem honeſti vides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabileis amores, ut ait Plato, excitaret ſapientiæ.*

vid. pag. 242. (2) *Sed omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium*

(1) *Formam quidem ipſam.*) Honeſtatis Formam ὡς ἐν τύπῳ repræſentatam quodammodo agnoſcis, cujus formoſitas ſi ita in corpore aliquo viſibili cerni poſſet, ſicuti oculis mentis, vah, quantos amores ſui excitaret! Pro *Sapientiæ* enim voce non malè hic quidam legunt *Sui*. Si tamen prior vox retineatur, παχυλῶς erit poſita, pro Prudentia, ut quæ ſemper Honeſtum ſibi habeat propoſitum, omnesque actiones humanas illius naturæ & pulchritudini conformet. Vel per Sapientiam hic denotat hanc de morum honeſtate partem.

(2) *Sed omne.*) Cum generatim demonſtraverit Hominem naturâ eſſe cupidum ſciendi, cupidum item Societates ineundi, inque iis varia bona, jura & officia communicandi, eſſe cupidum Imperii & libertatis, eſſe unum ex omnibus animalibus naturâ aptum ad Ordinem in dictis factisque tenendum; nihil ſanè convenientius fieri poteſt, quam ut huic Ordini homo pareat, quod in hoc Naturæ obſequio ipſa conſiſtat Honeſtas. Id verò præſtatur, ſi ſingulæ actiones Naturæ legibus, attemperentur. Quæ cum ſint diverſæ, & circa diverſa verſentur objecta, unius habitus præſidio illæ dirigi nequeunt. Proinde Cicero Honeſtum ex quatuor derivat fontibus, Prudentia cum propriè dicta, tum naturali, quam Solertiam appellat, tum juſtitia, prætereà Fortitudine, & denique Temperantia. Accuratè verò numerum inire Virtutum Moralium ſpecie differentium, eſt ſanè res non parvi laboris.

*partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaq; verſatur; aut in hominum ſocietate*

laboris. Seriem illarum ab Ariſt. traditam ſcimus quidem; an verò is huic rei ſatisfecerit meritò dubitari poteſt; Ciceronem non ſatisfeciſſe certum eſt, ut qui minimis exilem illarum numerum inierit, & Liberalitatem cum Juſtitia, Manſuetudinem cum Fortitudine, Modeſtiam cum Temperantia, habitus prorſus diverſos, confuderit, ne quid de aliis dicam. Diviſionem igitur Virtutum in genere quod attinet, Megarici olim unam eſſe dicebant Virtutem, quæ variis nominibus appellaretur. De Apollophane narrat Laërtius, eum adfirmaſſe, unicam Prudentiam eſſe Virtutem. Zeno verò plures induxit Virtutes, à quo diſſentit Ariſto Chius, qui Virtutem dicebat eſſe ad aliquid. Plato *& 4. & 6. de Republ.* ut & Epicurus apud Laërtium Ciceroniana diviſione utuntur. Stoici quamvis hac in re non convenerunt, Poſidonius tamen, teſte Laërtio, & ipſe Ciceronianam partitionem amplexus eſt. Ut quidem Cicero partim Platonem, partim Stoicos aut Epicurum hic ſecutus eſſe videatur. Has quatuor Virtutes autem jam inde à tempore D. Ambroſii & Hieronymi *Cardinales*, dici ſolitæ ſunt, quod quaſi cardines ſint, quibus reliquæ omnes fulciantur. Quod item ex imitatione Stoicorum proceſſiſſe videri poſſit. Hi enim, tradente Laërtio, Virtutum alias docebant eſſe πρώτας primarias, ſive Principes, alias ὑποτεταγμένας ſubjectas, & ab iis quaſi dependentes. Priores dixerunt eſſe illas, quæ à Cicerone enumeratæ ſunt. Vide de hoc argumento plura commentantem Gaſſendum in *Philoſ. mor. Epicur.* & Cl. Virum nobisque amiciſſimum Jac. Thomaſium Acad. Lipſienſis Profeſſorem, duabus de Virtutibus Cardinalibus diatribis Academicis.

*cietate tuenda,* (1) *tribuendo ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia.* (2) *Quæ quatuor quamquam inter ſe colligata, atque implicita ſunt: tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur:* (3) *veluti ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt, in qua ſapientiam, & prudentiam ponimus, ineſt indagatio, atque inventio veri: ejusque virtutis hoc munus eſt proprium. Vt enim quisq; maximè perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quiq; & acutiſſime, & celerrime poteſt & videre, & explicare rationem; is prudentiſſimus, &*

(1) *Tribuendo.*) Juſtitiam his verbis videtur cum Ariſt. dividere in διανεμητικὴν & συναλλακτικὴν, quamvis hanc poſteriorem ille perpetuò vocat διορθωτικὴν.

(2) *Quæ quatuor.*) Per occupationem hanc Stoicorum principio ſuam vult vindicare Veritatem, Virtutes eſſe individuas. Chryſippus enim apud Plutarchum de *Contrar. Stoic.* ait τὰς ἀρετὰς ἀκολουθεῖν ἀλλήλαις. *Virtutes ex ſe invicem connecti*; quæ etiam Laërtius memorat in Zenone. Apud Stobæum in Eclogis hoc legas Stoicum pronuntiatum: Ἀρετὰς εἶναι πλείους καὶ ἀχωρίστους ἀπ' ἀλλήλων. *Plures eſſe Virtutes quidem, ſed inſeparabiles.* Atque hæc eſt καλοκἀγαθία Ariſtotelis, qui huic dogmati paria tradit *lib. 6. Nicom. c. ult. & pen.*

(3) *Velut ex ea parte.*) In ſpecie jam de ſingulis agit, & quidem primò de Sapientia ac Prudentia, quibus hic videtur promiſcuè uti; quamvis accuratè ſi loqui velis,

vox

*& ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas.* (1) *Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res paran-*

vox φρονήσεως, qua fortè Panætius fuit uſus, non Sapientia, ſed Prudentia vertenda ſit. Et verò huic illa competunt, quæ hic recenſentur, cum quibus etiam conveniunt ea, quæ Ariſtoteles περὶ εὐβουλίας (præcipua Prudentiæ parte) diſſerit *l. 6. Nic. c. 9. §. 25. Illa*, inquit ibi, *demum bona conſultatio eſt; quæ ad utilitatem, & ad id, quod oportet, obtinendum, & quo modo, & quo tempore obtineri debet, accommodata eſt.* Hinc Cicero ait, Prudentiæ propoſitam eſſe Veritatem, Practicam ſcilicet, ut quæ illius beneficio rectè conſultata aut ponderata ſunt, illa deinceps agantur. Sicuti enim quilibet Habitus mentis ἀληθεύει, *verum enuntiat*, vel affirmando, vel negando; ita quoque idem ἀληθὴς, *verum*, Prudentia conſectatur in rebus agendis. Vide Ariſtot. 6. *Nicom.* 3. §. 2. & *c.* 5. §. 9.

(1) *Reliquis autem tribus.*) Reliquarum Virtutum officia id ſibi habent propoſitum, quomodo indigentiæ ſuccurratur, quod fit, ſi coptæ opesque rectè parentur, idq; obtinetur beneficio Juſtitiæ: deinde ut conſerventur, belli quidem tempore per Fortitudinem, Pacis, per Temperantiam. Quod verò dicit, actionem vitæ contineri opibus, hanc habet ſententiam, βίον πρακτικὸν non poſſe eſſe felicem aut commodè tranſigi ſine iis. Idque comprobat Ariſt. 1. *Nic.* 8. *c.* 28. *ſeqq.* ἀδύνατον, ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν, ἀχορήγητον ὄντα. *Impoſſibile, vel ſanè haut facile eſt, ut honeſta agas, omnibus bonis deſtitutus.* Cæterũ quod Cicero hic dicit, reliquas Virtutes præter

*parandas, tuendasq́, quibus actio vitæ continetur:* (1) *ut & societas hominum, conjunctioq́ servetur;* (2) *& animi excellentia, magnitudoq́ cum in augendis opibus, utilitatibusque & sibi, & suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat.*

Prudentiam indigentiæ seu necessitatibus levandis servire, simpliciter verum non est. Nam quod attinet objecta externa, circa illa sanè nonnullæ Virtutes versantur, ut relevetur indigentia: qualis est Justitia per συναλλάγματα spontanea exercita & Liberalitas. In aliis verò hoc ita non apparet; sed cumprimis in Appetitus cum rectâ ratione convenientia Honestas consistit, cujus decus sæpè in actionibus externis relucet, non tamen semper: & licet in actionibus externis circa objecta externa emicet, non tamen semper expletur indigentia. Ita si Temperans abstineat à turpibus voluptatibus, facit quod Honestum est, nec tamen hoc pertinet ad levandam indigentiam. Pari ratione si Mansuetus modum ponat iræ suæ, ad indigentiam explendam nihil facit.

(1) *Ut & societas hominum, conjunctioq́ servetur.*) Nam cum ob alias causas tum indigentiæ explendæ causa quæque Societas est instituta naturaliter. Audiamus Aristot. 5. *Nic.* 5. §. 37. *Jam quod indigentia Societas hominum contineatur, tanquam uno quodam quod vinculi instar sit, ex eo perspici potest, quod ubi neuter eget re alterius, aut alter omninò non eget, permutatio inter eos esse non solet: quæ tum demum est, cum eo, quod unus habet, alter indiget.* Et § 45. *Si non fuisset permutatio, societas constare non potuisset.* Add. c. 6. *lib.* 1. *Polit.*

(2) *Et animi Excellentia.*) Ad Fortitudinem cur non solùm opes defendendas, sed & parandas & augendas referat, hæc videtur esse causa, quod bello legitimo quæ acqui-

*eluceat. (1) Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio: his enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam adhibentes, & ordinem, honeſtatem, & decus conſervabimus.*

*(2) Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam vimque diviſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum*

acquiruntur, juſto poſſideantur titulo. Et quia ſæpè accidit, ut bella & contentiones propter Meum & Tuum oriantur, uti Plato dicebat, monet ſimul, non minùs deſpiciendas eſſe opes, ſi ſcilicet juſto bello, aut alio bono titulo tibi acquirere eas nequeas.

(1) *Ordo autem & conſtantia.*) Loquitur de Modeſtia ſeu Temperantia, cui talia tribuit, quæ non minus competunt Juſtitiæ ac Fortitudini, aliisque Virtutibus moralibus. Nam nec hæ ſunt θεωρητικαὶ ſed πρακτικαὶ ἀρεταί. Conſtantia item omnium Virtutum moralium comes eſt. Præterea nec ulla poteſt eſſe ſine moderatione ἄνευ μεσότητος. Quæ mediocritatis obſervatio efficit, ne unquam ab Honeſto & Decoro diſcedamus. Eſt verò τὸ πρέπον Decorum, quod honeſtatem conſequitur, ſicut umbra corpus inquit hic eleganter Eraſmus. Hæc Cicero in genere de quatuor Honeſtatis rivulis, ſeu fontibus, ut ipſe mox appellat.

(2) *Ex quatuor.*) Ordine ſervato de Prudentia primo loco docet, repetitque eam ſpectare Veritatem. Quia verò cum Prudentia Scientiam & Sapientiam confundit,

*pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, & decipi, & malum, & turpe ducimus.* (1) *In hoc genere & naturali, & honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus: quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debebunt) adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam.*

*Alte-*

Veritatem quoque Theoreticam cum Practica commiscet, licet Prudentia propriè Veritatem Practicam unicè spectet. Deinde ait eam maximè convenire Hominis naturæ, quod omnes homines sciendi naturâ cupidi sint: *πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει*, inquit 1. *Metaph.* Philosophus: quale sciendi desiderium in nullo alio animali cernere est. Videtur verò Cicero ita inter *θεωρητικὰς* Virtutes Prudentiam reponere, ac si ultra *θεωρίαν* ejus officium non progrediatur, cum omnis tamen *πράξεως* regina sit: cujus rei causam modò exposuimus. Prudentiæ *φρονήσει* Arist. 2. *Eud. c.* 3. opponit duo vitia Extrema, *εὐήθειαν Stultitiam*, & *πανουργίαν calliditatem*: ad istam referre possis *τὸ* labi, errare, nescire, decipi; ad hanc decipere & quovis modo homines alioqui satis circumspectos iniquè circumvenire.

(1) *In hoc genere.*) Explicat jam quædam officia ab iis observanda, qui sciendi Studio sunt dediti. Primò improbat *δεινοσοφίαν*, juvenum, perfrequens vitium: deinde ne temerè, hoc est, sine evidente ratione adsentibus aliis adsentiamur. Pertinet huc Luciani Commentarius *de Non temerè credendo*. Sicuti enim damnanda est Academicorum quorundam *ἀκαταληψία*, & Pyrrhoniorum *ἐποχὴ*, ita cœca hujusmodi adsensio non caret sua reprehensione. At quæris, quando igitur fides sit tri-

buenda?

(1) *Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamq; operam in res obscuras, atque difficileis conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis, & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audivimus: in geometria Sex. Pompeium ipsi cognovimus: multos*

buenda? Ubi non solum τὸ ὅτι, sed & τὸ διότι, causas rerum cognoveris, in quibus quidem huc usque progredi licebit. Ista verò vitia docet vitari posse Tempore, & Diligentia. Tempore, quia nihil simul est inventum & perfectum, inquit alibi Noster. Arist. 1. *Nic.* 7. §. 50. *Atq; ejusmodi rerum vel autor, vel certè adjutor esse videtur tempus: quomodo artes ipsæ amplificatæ & propagatæ sunt.* Præterea scientiam sibi qui velit parare, necesse est, ut plurimorum singularium experientiam colligat, unde universalia conficiat. At experientia talis multo indiget tempore, ceu docetur ab eodem 1. *Metaph.* 1. Diligentia opus est, quia causæ rerum ferè sunt absconditæ, & in profundo Democriti puteo latent: unde *Felix* à Poëta pronuntiatur, *qui potuit rerum cognoscere causas.*

(1) *Alterum est vitium.*) Non damnat omne Studium, quod collocatur in rebus obscuris ac difficilibus, sed nimium, inq; non necessariis occupatum. Hoc quale est? quod inquit à rebus agendis abducit. Homo igitur primam ac præcipuam curam, eò conferet, ut officia ac jura societatum conservet: ad quæ ubi satis est instructus, tum sublimiorum rerum contemplatione etiam se oblectare poterit. Hâc ratione motus Socrates Philosophiam de Cœlo in terram vocavit, hoc est,

*multos in dialectica, plureis in jure civili.* (1) *quæ omnes artes in veri investigatione versantur: cujus studio à rebus agendis abduci, contra officium est.*

à theoreticis Studiis, quibus alii hactenus unicè intenti fuerant, animum ad Practica & honestatem convertit. Officio autem ubi quisque suo defunctus fuerit, dabitur ad Studia ista reditus. Exempli loco, in quibus & utile & quoque nimium studium poni queat, adfert Astrologiam, quò pertinet genethliacorum contextus, quæstiones de motu & magnitudine, de influxu & necessitate Siderum, de maculis Solis & Lunæ &c. Geometriam, cujus infinitę sunt perplexitates, veluti quadratura Circuli, ejusque generis alia quomodo sint investiganda. Dialecticam, quò pertinent Veterum Sophistarum λόγοι ἐριστικοὶ, συκοφαντικαὶ ζητήσεις. &c. Jus Civile, quod perplexis judiciorum, formularum ac calumniatorum ambagibus ac subtilitatibus cavillatoriis mirum in modum corrumpebatur. Hic jam ingens esset campus dicendi de non necessariis, obscuris & difficilibus Studiis, in quibus tamen multi tanquam in mustaceo laureolam quærunt, inter homines verò ubi versantur, non civiliter & officiosè se gerere, sed rusticè illos superbire videas. Tales sunt Spinosæ & plus offendiculi quàm emolumenti benè multæ Metaphysicorum, Scholasticorum, Theologorum aliorumque disceptationes. Huc pertinet nimium Studium Chymicum, Alchymisticum, Pyrotechnicum, aliaq; ejus generis non humano usui ac necessitati, sed rei familiaris jacturæ, luxui aliisque vitiis servientia, in quibus quidem quantò quis excellentior, tantò ferè etiam est in publicum pernicioſior. Videantur Jo. Lud. Vivis *de Disciplinis libri XX.*

(1) *Quæ omnes artes.*) Enumeratas artes in contemplatione

*est.* (1) *Virtutis enim laus omnis in actione consistit: à qua tamen sæpe fit intermissio,* (2) *multiq; dantur*

platione veri occupari ait: id quod dubium possit esse ratione Jurisprudentiæ. Certum tamen est Iurisprudentiam etiam hoc præstare, ut sciamus in genere quid Iustum sit, & de eo conclusiones facili negotio expedire possimus. At reapse quando leges applicantur factis, id quod fit in judiciis non tam in veri investigatione, sed applicatione illius & praxi versatur; sed tunc non amplius Iurisprudentia in genere seu Universalis illa est, sed judiciaria seu forensis. De quo argumento aliàs fortè plura dicturi sumus. Consulatur interim eruditissimus Liber *Christoph. Ehemii de Principiis Juris.*

(1) *Virtutis enim laus omnis.*) Omnis theoria de rebus practicis suscepta pro fine habere debet praxin. Nec laudabere, si scias quid sit virtutis ac honestatis, sed si talia agas. ἡ παρῦσα πραγματεία ὐ θεωρίας ἕνεκά ἔστιν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι. ὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν, τί ἔστιν ἡ ἀρετὴ, σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. *Doctrina hæc omnis, quæ est in manibus, non cognitionis causa suscepta est, ut alia; Non enim quid sit virtus quærimus, ut cognoscamus sed ut boni efficiamur. 2. Nic. 2. pr. & 10. Nic. ult. §. 2.* ὅτι ἔστιν ἐν τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά. *Practicarum disciplinarum finis non est, cernere ac nosse singula, sed illa agere.* Licet igitur contemplatio sit præstantior energia, quàm Actio, hæc tamen magis est necessaria, cumprimis si officii necessitudine commendetur; ut adeò rectè dicat Cicero, si quis studio contemplationis ita detineatur, ut negligat actiones civiles, contra officium esse.

(2) *Multiq; dantur ad studia reditus, tum.*) Sensus est: Si quis dulcedine contemplandi sit captus, non tamen

debet

*dantur ad ſtudia reditus, tum agitatio mentis, quæ numquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudiis cogitationis, & ſine opera noſtra continere.* (1) *Omnis autem cogitatio, motusque animi aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene, beateque vivendum, aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitionisque verſabitur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.*

(2) *De tribus autem reliquis latiſſime patet ea ratio, qua ſocietas hominũ inter ipſos, & vitæ quaſi com-*

debet officium ideò negligere. Huic igitur primùm vacandum eſt, & eo ubi defunctus fuerit, intermiſſione facta, ad contemplationem redire poterit, cui tum mens ἀϊδιεύτητος, ſine opera noſtra, hoc eſt, ſine civili aliove externo opere minimè interpellata, aut nulla cum moleſtia, ſed potius ſumma cum Voluptate, poteſt eſſe intenta.

(1) *Omnis autem.*) Quibus rebus contemplandis Mens debeat aut ſoleat eſſe dedita ſubtexit, primò quidem rebus agendis, πρακταῖς, deinde cognoſcendis ſeu θεωρητικαῖς: quarum hæ in ipſa θεωρία, iſtæ demum poſt cognitionem perceptam in πράξι finem ſuum conſequuntur: Vnde nata eſt diviſio Intellectus Theoretici & Practici, add. *Ariſt. 6. Nicom. 2.*

(2) *De tribus.*) Hactenus de Officiis Prudentiæ, nunc de Officiis juſtitiæ. Ex tribus reliquis Virtutibus Juſtitia, Fortitudine, Temperantia, latiſſimè patere naturam officiaque Juſtitiæ dicit; Hæc enim omnem omninò Societatem & Vitæ communitatem contineri. Nam in omni Societate aliquod Jus reperitur, & vero etiam aliqua amicitia, inquit Ariſt. 8. *Nic. 9. §. 2.* Quanta enim eſt

bonorum

*communitas continetur.* (1) *cujus partes duæ ſunt: Iuſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus; ex qua boni viri nominantur: & huic conjuncta beneficentia; quam eandem vel benignitatem, vel*

bonorum communio in qualibet Societate, tanta eſt amicitia, tantum quoque jus. Hinc etiam apparet, quàm latè pateat Iurisprudentia, quæ hoc differt à Philoſophia Practica, quod hæc tractet potiſſimum τὰ καθόλου: iſta hæc paulatim ad τὰ καθ' ἕκαστα transferat, obſervato ubique cujusque ſocietatis fine, ceu amuſſe, aut cynoſura juſti.

(1) *Cujus partes duæ ſunt.*) Hæc à Stoicis accepta non ſatis rectè ſe habere videntur. Cum enim Virtutum ſpecies non ſatis diſtinxiſſet, ſed per hypotheſin quatuor officiorum fontes deſcripſiſſet, Beneficentiam, hoc eſt, Liberalitatem, ἐλευθεριότητα, Iuſtitiæ partem facit. Iuſtitiam verò ita deſcribit, ex qua boni viri appellamur. Hæc verò nulla alia eſt, quàm quæ Univerſalis, ὅλη καὶ τελεία ἀρετὴ Ariſtoteli audit, quamque is Heſpero & Lucifero ſplendidiorem pronuntiat. *lib. 5. Nicom. c. 1.* Malè igitur etiam ab hac Iuſtitia, cui πᾶσαι ἀρεταὶ συλλήβδην ἔνεισι, *univerſæ Virtutes collectim inſunt*, ut Iamblichus loquitur, tanquam ſeparata pars ponitur Beneficentia, ἐλευθεριότης. Si verò Iuſtitiam Particularem intellectam vult, falſum eſt, ab hâc ſola Viros bonos propriè appellari; Boni enim ſimpliciter ſumus, non aliqua honeſta actione, nec una Virtute, ſed tota Honeſtate omnibusq; Virtutibus. Sed & ab hac differt Liberalitas. Hæc n. verſatur circa χρήματα propria eaq; liberè erogat, prout res poſtulat aut permittit. Iuſtitia quidem Particularis

etiam

*vel liberalitatem appellare licet.* (1) *Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus*

etiam circa bona Fortunæ & pecunias verſatur, ſed non circa hæc ſola, uti vulgò creditur, & verò circa iſta verſatur ea qualitate imbuta, ut quæ alteri debentur ex jure quodam proprio & conventione ſpeciali: in quibus ut vitetur inæqualitas, ſuum cuique tribui dictitat, atq; ita ferè circa bona aliena ſeu aliis debita verſatur.

(1) *Sed juſtitiæ primum munus.*) Juris præcepta ſunt hæc, inquit Ulpianus & ipſe Stoicus, uti ferè plurimi JCti Romani veteres *l.* 10. *§.* 1. *ff. de I. & I.* Honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere: quæ elegantèr partitur Grotius *Flor. ſparſ. ad Jus Juſt. p. m.* 61. Prius in ipſo officii nomine continetur, alterum hic diſertè ponitur, tertium ad Beneficentiam hic refertur, & paulò pòſt explicatur. Benè hæc conveniunt cum Jure Rom. cujus materia ſeu objectum triplex ſtatui ſolet, Perſonæ, Res, Actiones, *§.* 12. *Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* Primum igitur diſſerit, quomodo erga perſonas, tum quomodo erga res juſtè nos gerere debeamus: alterutrum ſi omittatur, ad Actiones via patefit. Addit verò tum demum nemini nocendum, ſi injuria abſit. Se enim defendere, ac vim vi repellere licet. Ubi notetur, ſi cuiquam vis inferatur, non tamen injuriâ, minimè illum lædi, imò ne quidem illius vim averti vi licitè ſemper poſſe: Unde eſt illud ICtorum, *Ubi offenſio eſt licita, ibi defenſio eſt prohibita.* Sic qui in alium peccavit, debet primum ei, quem læſit, offerre ſatisfactionem, viri boni arbitratu: ac tum demum pia erunt ejus arma: inquit Grotius 2. *de I. B. & P. c.* 1. *n.* 18. Lactantius verò *lib.* 6. *c.* 18. queritur, Ciceronem hac exceptione, *Niſi laceſſitus injuriâ*, duas maximas Virtutes bono & ſapienti Viro detraxiſſe, Innocentiam

*ſitus injuria*, (1) *deinde, ut communibus pro communibus utatur*, (2) *privatis autem ut ſuis.*

tiam & Patientiam, reſpiciens ad præcepta Chriſti, quibus tam ſeriò patientiam inculcat. Cœterum ex lumine Naturæ ſive naturalibus principiis quî aliter colligere potuit Cicero, quàm injuſtam vim juſtè arceri poſſe, & quidem vi, ſi in judicio aliove ordinario remedio præſidium non inveneris. Chriſti regulam ſive conſilium, uti Theologi nonnulli hocà præcepto diſtinguunt, iis ipſis examinandam relinquimus. Injuriam verò illatam debito modo defendere, qui ex innocente nocentem faciat, non apparet, Vid. *Grot. l. 2. c. 1.* quia potius ideò juſta cenſetur mea defenſio, quod innocens injuriâ lædar, aut læſus ſim.

(1) *Deinde ut communibus.*) Nunc de poſſeſſionibus rerumque Dominiis, quomodo in his Officium juſtitiæ ſit colendum. Hinc enim pleræque querelæ & actiones exiſtere ſolent. Dicit igitur, res omnes eſſe vel communes, vel privatas ſingulorum. Huc pertinet titulus ICtorum de Rerum diviſione & acquirendo rerum dominio: & Grotii *c. 2. 3. 4. ſeqq. lib. 2. de I. B. & P.* Communes res ſunt vel omnium hominum, vel Reip. alicujus, vel Collegii, aliusve Societatis. In iis Juſtitiæ Officium ſic præſtabitur, ſi communibus utatur quisque pro communibus, nihil ſibi proprium ac peculiare tribuendo, deinde ut ſic utatur, quatenus ſe jus communionis, quod habet, ad utentem porrigit.

(2) *Privatis ut ſuis.*) Ne tamen iis abutatur. Intereſt enim Reipublicæ, ne ſuare quis malè utatur. *§. fin. Inſt. de his qui ſui vel al. jur.* Deinde & hoc notandum eſt, publicæ neceſſitatis vel utilitatis gratia poſſe privatorum dominorum liberam diſpoſitionem ſuo modo jure inhiberi

*ſuis.* (1) *Sunt autem privata nulla natura: ſed aut veteri*

beri & impediri per Dominium eminens Reipublicæ: de quo vid. Grotius *l.3.de I.B.& P.c.20.§.7.* & Bœclerus peculiari diſſert. *ad Grotii lib.1.c.1.*

(1) *Sunt autem privata.*) Poëtæ, & qui fabulas eorum pro vero arripuerunt, finxére inter priſcos mortales promiſcuam bonorum communionem: qua quamdiu uſi fuerint feliciſſimè vixerint. Illarum opinionum magnam collegit meſſem Grotius de *mari clauſ.cap.5.& 2.de I.B. & P.c.2.* iisque & ipſe calculum ſuum adjecit. Sed cum non ſolùm ex verbo revelato conſtet, Deum univerſale Dominium mundi, omniumque rerum creatarum, quatenus hæ obnoxiæ queant eſſe dominio & uſibus humanis, titulo donationis conceſſiſſe Adamo, & per hunc humano generi, ſed & Societates, cumprimis Civiles, ſine diſtinctis rerum dominiis & proprietatibus, commodè, nedum feliciter regi queant, abſque illis ceſſent & Iuſtitiæ & Liberalitatis officia; hinc rectè colligitur, illam primævam rerum communionem eſſe merum commentum. At dominia rerum particularia, hujus vel illius Reipublicæ, Caji, Mævii, Sempronii, non ſunt à natura, ſed illa adquiruntur vel facto hominis interveniente, vel ex diſpoſitione legis: utro autem id fiat modo, vel adquiritur dominium originarium rei, puta, quæ in nullius dominio particulari olim fuerit, aut in eo eſſe deſierit; vel derivativum, ubi res ex unius Dominio in alterius dominium tranſit: de quibus agit latè Grotius *d.lib.2.cap.2.& ſeqq.* Quando ergo Cicero ait, *privata nulla eſſe naturâ* de Dominiis particularibus hoc ſolùm verum eſt. Plura de his diximus ad laudata Grotii loca.

*Veteri*

(1) *veteri occupatione, ut qui quondam in vacua vene-*

(1) *Veteri occupatione.*) Exponit jam modos, quibus privatarerum dominia adquirantur: interque eos merito ſuo primo ponit loco occupationem. Nam jure donationis à Deo Adamo, & per hunc in univerſum genus humanum Dominium univerſale fuit collatum, ſic ut rei quisque, cujus dominium habebat actu primo, conſequeretur ejusdem dominium actu ſecundo, per Occupationem ſeu apprehenſionem, modum & antiquiſſimum, & maximè naturalem; Vnde benè Cicero Occupationem Veterem hic appellat. Vnde etiam Nerva rectè dixit *l.1. ff. de acq. vel amitt. poſſ.* Dominium à naturali poſſeſſione cœpiſſe. Huic veteri modo adjungit alterum Grotius, Diviſionem, quam nos bonis rationibus, ni fallor, rejecimus in noſtro Commentario Grotiano. Apparet hinc quomodo fiat adquiſitio Dominii per Occupationem, particularis inquam, non Vniverſalis Dominii, in actu ſecundo, non primo, conſiderati; ideò enim per occupationem tale Dominium adquiritur, quia jus univerſalis Dominii habemus, non autem hujus juris cauſa eſt Occupatio. Eſt verò Occupatio, corporis ad corpus applicatio, qualis circa res mobiles maximè fit manibus, circa res ſoli, pedibus. Suntque ejus diverſæ ſpecies; Huc enim referendæ ſunt Venatio, Aucupium, Piſcatio. Sic quòque acquiri poſſunt ἀδέσποτα, res hero carentes, inter quas etiam putantur theſauri, id eſt, pecuniæ, quarum Dominus ignoratur. Cœterum Occupatio tum demum idoneus adquirendi Dominii modus eſt, niſi lex Civilis interceſſerit. Sunt enim hæc juris naturalis, non ſimpliciter, ſed pro certo rerum ſtatu, id eſt, ſi aliter cautum non ſit. Falluntur igitur Juriſconſulti, qui hæc ita putant naturalia, ut mutari nequeant. Nam Theſauros quod attinet, Germanici

*venerunt*: (1) *aut victoria, ut qui bello potiti sunt*: (2) *aut lege*, (3) *aut pactione*, (4) *conditione*, populi, ut & alia ἀδέσποτα, licitè addixerunt principi: atque id jus apud complures gentes invaluit. Nam & id in Gallia, Hispania, Anglia, Dania & alibi idem observatur. De fluvialibus incrementis, alluvionibus, inundationibus vid. præter JCtos Grot. *d.l.* Quod si occupaveris animalia, etiam tuo Dominio subest genitura ac proles.

(1) *Aut victoria.*) Ea, quæ ex hostibus capimus, Jure Gentium statim nostra fiunt, adeò ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur: inquit JCtus §. 17. *Inst. de R.D.* Cyrus apud *Xenoph.* 5. παιδείας: νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμίων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι τὰ χρήματα. *Perpetua inter homines lex est, ut hostium civitate capta, bona illorum fiant capientium.* Hinc illud tritum: Omnia sunt Virorum fortium. *Grot. 3. de J.B. & P. c. 6.*

(2) *Aut Lege.*) Tales erant leges agrariæ, juxta quas coloniis deducendis agri adsignabantur. *Rosin. l. 10. c. 23. p. 1608.* Cæterum adquisitio, quæ fit Lege, vel nititur lege publica, veluti usucapio; de qua Grotius *lib. 2. de J.B. & P. cap. 4. & 7.* vel privata, qualis est Pactum, aut aliud συνάλλαγμα. Unde liquet, quàm commodè conjungat Cicero cum Lege Pactum.

(3) *Pactione.*) Pactio est duorum pluriumve in idem placitum consensus: inquit *Ulp. l. 1. §. 2. ff. de Pact.* Quicquid igitur exemptione aliove tali contractu, qui consensu constat, habueris, tuum est.

(4) *Conditione.*) Nonnulli hoc idem esse putant, cum pactione, vel conditione pacto vel stipulationi adjecta, v.g. si filiam meam duxeris, dotis nomine dabo tibi mille. Fit autem sub conditione stipulatio, cum in aliquem casum

*ne,* (1) *ſorte, ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum.* (2) *Similisque eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio. Ex quo, quia ſuum cujusque fit eorum,* (3) *quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisq; teneat.*

caſum differtur obligatio, ut, ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, Stipulatio committatur. Sed etiam alio JCtorum uſu hæc vox hic accipi queat pro certo ſtatu. Ita ſi conditione ſeu ſtatu princeps fueris, patrimonium principis tuum eſt. Si conſul; tum tua ſunt, quæ Cônſuli peculiariter ſunt tributa. Poſſet etiam intelligi de contractibus innominatis, quorum obligatio ex conditione dandi vel faciendi impleta effectum ſuum conſequitur. *Grot. 2. de J. B. & P. c. 12. n. 3.*

(1) *Sorte.*) Hic modus adquirendi dominii eſt quaſi à Fortuna: unde Juſtinianus *l. 3. C. commun. de legat.* Sortem dicit eſſe Fortunam Judicem in rebus dubiis aut communibus dividendis. Hujusmodi fuerunt κληρουχίαι Athenienſium. Sic partiti ſunt terram Canaan Iſraëlitæ. *Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 23. n. 9.* Adde *l. 5. ff. famil. erciſc. & l. ult. C. commun. de legat.*

(2) *Similisq;.*) Privatum aliquid dupliciter conſiderari poteſt, vel aut Civitatis ſeu muncipii alicujus, quatenus illa pars eſt Reipublicæ: vel ſingulorum. Uti igitur Arpinas ager Arpinatum dicitur, qui horum proprius; ita ager Senatorius Ordinis illius proprius, ager Craſſi, qui hujus ſit proprius.

(3) *Quæ natura fuerant communia.*) Ex ſuperioribus conſtat, non eſſe hæc ſimpliciter communia, ſed jus occupandi ſingulis, non obſtante lege, fuiſſe aut eſſe commune, ut ex Dominio Univerſali aliquid tranſeat in Dominium particulare.

*neat.* (1) *Eo si quis sibi plus appetet; violabit jus humanæ societatis.* (2) *Sed quoniam, ut præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici; atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur,* (3) *ad usum hominum omnia*

* vid. pag. 256.

(1) *Eo si quis.*) Quod quisque ex rebus Dominii universalis suum sibi fecit, bono titulo, eo contentus sit: plus si appetat, per πλεονεξίαν, jus Societatis turbabit, seditionibus ansam præbendo, aliisque rebus, civitatem mirè turbantibus, quales erant Tabulæ novæ Romanis, quæ Græcis χρεῶν ἀποκοπαὶ fuerunt, Soloni σεισάχθεια, oneris excussio.

(2) *Sed quoniam.*) Jam de Beneficentia seu liberalitate aliquid intexit, de qua tamen sigillatim, paulò pòst. Quia enim per illam privatam dominii adquisitionem multi ditescunt, egentibus aliis: quia item Naturalis necessitudo nostram opem ac beneficia erga multos exposcit, Liberalitatis officium est, privatas opes ad communem necessitatem levandam revocare, pro conjunctione scilicet ac communione naturali, quæ cuique cum aliis est.

(3) *Ad usum hominum omnia creari.*) Hæc est Providentiæ Divinæ summa illa bonitas, ut omnia in usum hominum condiderit: pro qua illa Justitiæ Officia viciſſim Deo debemus, quæ Pietatis ac Religionis nomine veniunt. Quomodo verò omnia in usum hominum condita sint, copiosè disserit Cicero extremo *lib.* 2. *de Nat. Deorum.* Platonis locus exstat in *Epist.* 9. ad Architam Tarentinum.

Ho-

*omnia creari,* (1) *homines autem hominum causâ esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, & communeis utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

(2) *Fundamentum autem justitiæ est fides, id est, dictorum, conventorumque constantia, & veritas: ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui*

(1) *Homines autem Hominum causa.*) Hos enim quia in varias societates Indigentia compulit, sublevanda illa erit mutuis contractibus, artibus, & studiis. Etsi autem verum sit, omnia esse creata propter homines, & Homines esse hominum causa; addendum tamen est, omnes homines esse propter Deum. Sicuti enim omnia à Dei bonitate profecta sunt, ita omnia homines divinis illis donis utentes fruentesque ad Dei gloriam præcipuè referre debent.

(2) *Fundamentum.*) Videtur hoc imprimis pertinere, ad τὴν δικαιοσύνην συναλλακτικὴν pacta conventa, quorum fidem fallere grave est, uti inquit JCtus. Hanc Fidem etiam appellat Veritatem, si verbis pactisque effectus respondeat. Talis igitur Veritas pars est Justitiæ, cujus meminit Aristot. 4. *Nicom.* 7. §. 15. Subjungit deinde προπαταλληπτικὴν etymologiam Fidei, ab exemplo Stoicorum. Ita in *Epist.* ad Tironem: *Nostra ad dictam diem fient. Docui enim te fides ἔτυμον quod haberet.* Notari hic potest, plerasque Etymologias Jurisconsultorum Romanorum non rigidè defen-



Digitized by Google

*qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta: credamusque, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.* (1) *Sed injuſtitiæ duo genera ſunt: unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Nam qui injuſtè impetum in quempiam facit, aut ira,*

defendendas eſſe; cum Stoicorum more magis alluſionibus, quàm accuratis etymologiis utantur: perinde uti hic facit Cicero; Quomodo autem vel conveniant vel differant Juſtitia, Fides, Veritas, pluribus expoſui ad Grot. *l. 2. de I. B. & P. cap.* II. *n.* 1.

(1) *Sed Injuſtitiæ.*) Hactenus de Officiis Iuſtitiæ obſervandis: jam de injuſtitiæ duobus præcipuè modis, quibus officia juſtitiæ negliguntur. Unus modus eſt, ſi quis protervè injuriam inferat: alter, qui injuriam ab iis, quibus infertur, non propulſat, cum poteſt, & debet. Non ſolùm enim velle quis quid dicitur, cum ipſe quid facit, ſed etiam cum approbat, quod alius facit; id quod multipliciter fieri poteſt. Primò enim approbat, qui jubet: deinde qui conſentit, tertiò qui facientem collaudat, quartò qui lucri particeps fit, quintò, qui cum poſſit & debeat non impedit, & ſextò denique qui autorem facinoris receptat. Non impedit autem, qui vel ipſe non obſtat, cum obſtare poſſet & teneretur, vel non indicat alteri, qui impedire poteſt, cum indicari oporteat. His igitur modis quis in juſtitiæ culpam, quam alius patrat, in ſe quoque transfert, & alieni criminis reatui magis minusve ſe obnoxium reddit. Vide quæ diximus ad Grotii *l. 2. de J. B. & P. cap.* 21. *§.* 1. Utroque modo quomodo injuſtitia committatur oſtendit. Qui infert homini injuriam, eo nomine injuſtus eſt, quia lædit Socium; Homo enim hominis ſocius eſt. Quæ ſocietas univerſa hominũ

multa

*ira, aut aliqua* (1) *perturbatione incitatus, is quaſi manus violenter videtur afferre ſocio : qui autem non defendit , nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ,* (2) *tam eſt in vitio, quam ſi parenteis aut amicos, aut*

multa habet jura, omniaque illa injuſta pronuntiat, quibus illi vis aut detrimentum iniquè infertur. Quomodo injuſtus & ille ſit, qui non propulſat injuriam alteri illatam etiam oſtendit: quod tamen duabus conditionibus limitandum eſt, ſi poteſt, & debet. Poſterius omiſit: forſan, quod nihil dubitaret, homines ad propulſandam injuriam aut vim injuſtam, quæ alteri infertur, planè obligatos eſſe: Vel , quod poſterius priori voluerit comprehenſum.

(1) *Perturbatione.*) Perturbationis vocabulum hîc non nudè denotat adfectus, ſed illorum exorbitantiam, more Stoicorum, qui eo nomine omnes adfectus omninò eradicandos eſſe docebant. Fortaſſe non eo ſenſu, ac ſi hoc fieri fas eſſet, aut poſſet: qua de re alibi diximus. Videantur ea, quæ contra Grotium in Prolegomenis *de J. B. & P.* pro definitione Virtutis Ariſtotelica diſputavimus; ſed ut rigida hac cenſura omnem enormitatem tantò rectiùs compeſcerent.

(2) *Tam eſt in vitio.*) Non rectè; nam non ad eadem omnibus æquè præſtanda officia obligati ſumus: nec æquales igitur erunt injuriæ, quæ homini peregrino, quæ civi & quæ patri inferuntur. *Ariſt.* 8. *Nic.* 9. §. 8. 9. & 10. *Amicitiæ aliæ magis, aliæ minùs ſunt amicitiæ. Differunt autem & jura. Non enim eadem ſunt patribus cum liberis, quæ fratribus inter ipſos: neque ſodalibus & Civibus: ſimiliterque ſe res habet in aliis amicitiis. Differunt igitur & injuriæ horum ſingulorum inter ſe: quæ hoc ſunt graviores, quò amicioribus inferuntur : exempli gratiâ,*

*aut patriam deſerat.* (1) *Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu proficiſcuntur; cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id alteri fecerit, ipſe aliquo ſodalem pecunia fraudare gravius eſt, quàm civem: & fratri non ſuccurrere, quàm alieno: & parentem verberare, quàm quemlibet alium.* Unde verò hic error obrepſit Ciceroni? ſine dubio ex Stoico illo Paradoxo, ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶναι, *Peccata eſſe æqualia.* Cauſam hujus dogmatis eleganter aperit nobis Divus Hieronymus de *Inſtit. Matrisfamil. Stoicorum quidem eſt,* inquit, *delicta omnia paria judicare, nec ullum inter Scelus & Erratum diſcrimen facere. Nos verò etſi multum inter peccata diſtare credimus, tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Non citò ad majora procedet, qui etiam parva formidat.* Add. *Cic. 3. Parad.*

(1) *Atque illæ quidem injuriæ.*) Cauſas inveſtigat, quibus ad injuriam inferendam induci ſolent nonnulli. Prima eſt Metus; Hoc igitur ad nocendum incitati ſimiles ſunt Gladiatori ad pugnandum compoſito, cui hæc pugnæ propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit, aut occumbere ſi ceſſaverit, verba ſunt Gellii *l. 7. c. 3.* Mox ſubjungit, *Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis, neceſſitatibus circumſcripta eſt, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam, niſi feceris, pati poſſis.* Etſi igitur aggreſſoris vim occupare licitè poſſis, non tamen metus qualiſcunque ad jus occupandæ cædis ſufficit ſed præſentiſſimi periculi. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 1. n. 5.* Et licet non ſpernendum ſit, quod Polybius ait ſub finem lib. 1. *Nunquam ejusmodi principia contemnere oportet, neque tanta cuiquam adſtruenda eſt potentia ut cum eo poſtea de tuo, quamvis manifeſto jure diſceptare ex-*

*aliquo afficiatur incommodo. (1) Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiscantur ea, quæ concupierunt: in quo vitio latissime patet avaritia. Expetuntur autem divitiæ, tum ad usus vitæ necessarios, tum ad*

*ex æquo non queas*; non tamen qualiscunque Metus justam belli suscipiendi causam suppeditat. Ut enim justa sit defensio, necessariam eam esse oportet, qualis non est, nisi constet, non tantum de potentia, sed & de animo, & quidem ita constet, ut certum id sit, eâ certitudine, quæ in morali materia locum habet. Quare minimè est probanda eorum sententia, qui justam belli causam statuunt, si vicinus nulla pactione impeditus in suo arcem faciat, aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare posset. Nam adversus tales metus contrariæ in suo munitiones, & si qua sunt similia remedia quærenda sunt, non vis bellica protinus adhibenda. Grotius *l. 2. de J. B. & P. c. 22. n. 5.*

(1) *Maximam autem partem.*) Altera injustitiæ causa est Cupiditas, hujusque præcipuè prava species Avaritia, quæ item multiplex est. Alii enim solùm avari ratione δόσεως deficiũt, alii etiam simul ratione λήψεως excedunt: Atque tum hæc Avaritia dicitur ὁλόκληρος Aristoteli. Qui ratione δόσεως deficiunt, illi dicuntur φειδωλοὶ, γλίχροι, κίμβικες, ὁ κυμινοπρίστης; *parci, tenaces, sordidi, cuminisector.* Ratione λήψεως excedunt, οἱ τὰς ἀνελευθέρους ἐργασίας ἐργαζόμενοι, καὶ πορνοβοσκοὶ, καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι, καὶ τοκισαὶ, καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ μικρῶ. οἱ ἀισχροκερδεῖς, κυβευτὴς, καὶ ὁ λωποδύτης, καὶ ὁ λῃστὴς. *Qui illiberales operas præstant, sordidas artes exercent, lenones, & omnes hujus notæ homines, fœneratores item, & qui in exigua re magnum lucrari sciunt. Turpis*

*ad perfruendas voluptates.* (1) *In quibus autem major est animus, in his pecuniæ cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in Republica princeps vellet esse, qui suis fructibus exercitum alere non posset.* De-

*lucri cupidi, aleator, stellio vestiarius, latro.* Arist. 4. *Nic.* 1. §. 82. *seqq.* Deinde Avaritia vel sola possidet hominem, vel cum aliis vitiis, cumprimis luxu, est conjuncta, ut huic per illam semper suppeditentur Instrumenta. Atque his juxta Ovidium studium est,

*Quærere ut absumant, absumpta requirere certent;*
*Ipsis ut vitiis sint alimenta vices.*

Hinc sub jungit Cicero pecuniariæ cupiditatis duas esse primarias causas Necessitatem seu Indigentiam, & Luxum. Nummus enim succedaneus & vicarius indigentiæ ex hominum instituto factus est. Arist. 5. *Nic.* 5. §. 29. ὑπάλλαγματῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε καλὰ σωθήκην. Est ergò Indigentia duplex, Naturalis una, altera vitiosa: atque hanc vel acuit Avaritia, vel amplificat Luxuria, sumptuosum vitium.

(1) *In quibus autem major.*) Nonnulli opum desiderio iniquo agitantur, multisque modis injusti sunt, ut sibi vel opes, hoc est, potentiam adstruant, vel ex illarum largitionibus auram popularem captent, quales sunt generosiores, & naturali quadam magnanimitate prædicti. Imitantur scilicet verè Magnanimos, qui possident omne id, quod in Virtutibus est, τὸ μέγιστον, atque sic etiam in liberalitate: uti docetur 4. *Nic.* 3. Exempli loco proponit talem ostentatorem Crassum, post Sullam omnium Quiritum ditissimum. teste Plinio *l.* 33. *c.* 10. qui hanc vo-

cem

(1) *Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia. Quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniæ cupiditas esset.* (2) *Nec verò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda est: sed fugienda semper injuria.* (3) *Maximè autem adducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint. Quod enim est apud Ennium*: Nulla sancta societas, nec fides regni est; *id latius patet: nam, quicquid ejusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo plerumq;*

cem ita narrat: *Ex eadem gente M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset.* Increpat illam his verbis Plutarchus in vita *M. Crassi pr. p.* 363. *Illud parum recte, quod neminem censeret vel prædicaret divitem esse, qui suis fructibus exercitum alere non posset. Bellum enim, ut ait Archidamus, certum modum non habet pabuli. Itaque opes ad bellum definiri nequeunt.* Sed unde illi hæ divitiæ? ex igne & bello, uti paucis ante hæc verba lineis ostendit idem Plutarchus.

(1) *Delectant.*) Hæc ad perfruendas Voluptates seu lucrum pertinent de quibus paulò ante. Atque hinc, inquit, illa infinita pecuniæ cupiditas; Luxus enim plurimis indiget: Frugalitas contrà est contenta paucis. Itaque præter Metum, Avaritiam, Ambitionem etiam Luxus plurimarum injuriarum causa est.

(2) *Nec verò.*) Occupatio. Ergòne, inquis, non licet rem familiarem augere, & locupletare? Imò verò, inquit, licet, modò ut justo titulo fiat acquisitio, nec cum damno ac injuria alterius locupletior esse velis. *Grot. 2. de I. B. & P. c.* 10.

(3) *Maximè autem.*) Ad injurias inferendas paratissi-

*rumque fit tanta contentio, ut difficilimum ſit ſanctam ſervare ſocietatem. Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia* (1) *jura divina, & humana pervertit propter eum, quem ſibi*

tiſſimum eſſe ſtimulum Ambitionem & Æmulationem docet: Nec majori contentione ulla bella geruntur, aut privatæ inimicitiæ acrius exercentur, quàm quæ hanc habent cauſam. Quæcunque enim Societas aut Reſpublica ita eſt comparata, ut non ſuſtineat plures in ſummo potentiæ gradu, hunc tamen plures ambitiosè adfectent, neceſſe eſt, ut per horum colliſionem & æmulationem ea labefactetur. Dat enim quiſque operam, quomodo variis artibus alterum deprimat, ſe extollat. Exempla habemus in Romulo & Remo: in Romulo & Tatio, item in Triumviratu M. Craſſi, J. Cæſaris, & Cn. Pompeji, deinde inter ipſum Cæſarem & Pompejum, & his fato functis inter Auguſtum, M. Antonium & Lepidum. In Turcico Imperio ad hujusmodi injurias non tam Ambitio quàm Legis immanitas, & peſſimi Status peſſima ratio impellit. Ubi enim primogenitus ſucceſſerit, reliquis fratribus ſtrangulationis inſtrumentum faſcia vel muneris loco ſæpe mittitur. Quia verò Cicero in recentiſſima memoria habebat ambitionem, indeque natas injurias, Cæſaris, hunc graviter accuſat, quod jura Divina & humana perverterit: cui illud frequens in ore Euripideum fuit, teſte Suetonio: *Si violandum eſt jus, Imperii gratiâ violandum eſt, in aliis rebus pietatem colas.*

(1) *Jura Divina.*) Bellum contra Patriam gerens, impiũ, nulla Numinis reverentia, nullo Providentiæ divinæ metu, nullis Naturæ aut Civitatis Romanæ juribus conſideratis.

*Opinionis*

*ſibi ipſe* (1) *opinionis errore finxerat, principatū.* (2) *Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis, ſplendidiſſimis ingeniis plerumque exiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. Quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur.*

*Sed*

(1) *Opinionis errore.*) Non ſolùm ad hujusmodi facinus, ſed ad omnia omnino vitia opinionum erroribus traducimur, dum malè cauta mens ſibi à blandientibus aut furibundis adfectibus imponi patitur. Eodem errore principatus & alii fuerunt decepti. *Miltiades*, inquit *Corn. Nepos* in vita, *multum in imperiis magiſtratibuſq; verſatus, non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur.* Livius *lib.* 2. memorat, Tarquinios neſciviſſe privatos vivere. καὶ δὴ τοῦτ' ἴσως Ἰάσων ἔφη, πεινῆν ὅτε μὴ τυραννοῖ. ὡς ἂν ὁπ-σάρμῳ ἰδιώτης εἶναι. *Jaſon dicebat, ſe, niſi imperaret fame moriturum, ac ſi non didiciſſet privatus vivere*, inquit Ariſt. 3. *Pol.* 3. *p.* 148. quo tamen exemplo ille ad aliud propoſitum ibi utitur.

(2) *Eſt autem in hoc genere.*) Hoc eſt quod Ariſtoteles his verbis exprimit 1. *Pol.* 2. *p.* 8. *Quemadmodum perfectum, optimum omnium animalium Homo eſt: ſic ſecretum à lege ac juſtitia, peſſimum omnium. Moleſta enim maximè injuſtitia eſt, quæ arma habet. Homo autem armis munitus naſcitur Solertia & Generoſitate, quibus ad contrarias res uti licet maximè. Quare ſceleratum & ferum maximè eſt ſine virtute, & ad Venerem ventremq; deterrimum.* Platonis hoc eſt: αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκ-φέρουσαι καὶ τὰς κακίας. *Magna ingenia, magnas quoque proferunt improbitates.* Nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ, inquit alius. Tacitè igitur commendat

*(1) Sed in omni injuſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus; an conſulto, & cogitato fiat injuria. Leviora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria ſatis dictum eſt. (2) Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendiq; officii plures ſolent eſſe*

dat Cicero Cæſaris generoſam indolem, de qua aliisque ejus elogiis videri poteſt *Plin. l. 7. c. 25. hiſtor. nat.*

(1) *Sed in omni.)* Hæc optimè explicantur ab Ariſtotele *l. 5. Nic. c. 8. §. 16. ſeqq.* ubi dicit eſſe tria genera βλαβῶν, ἀτύχημα, *infortunium ſeu caſum fortuitum*, ἁμάρτημα *culpam*, & ἀδίκημα *injuriam*. Ἀτυχήματα ſunt, inquit idem *1. Rhet.* 13. quæcunque fiunt præter rationem. Ἁμαρτήματα, quæcunque non præter rationem, non tamen à malitia proficiſcuntur. Ἀδικήματα, quæcunque non præter rationem, ſed à malitia ſunt. Ἀτυχήματα Cicero prorſus omittit, ſine dubio, quod propter caſus fortuitos, ſi ſint merè tales, nec aliqua acceſſerit culpa, nemo injuſtus dici poſſit, aut injuriam propriè dictam feciſſe. Vid. quæ diximus ad Grotii *l. 3. de I. B. & P. c. 11. §. 3. & 4.* & quæ ibi citavimus ex noſtro *tract. de Princip. act. human. & diſq. de Pœnis.*

(2) *Prætermittendæ.)* Supra duo injuſtitiæ genera conſtituerat, quorum prius eſt eorum, qui injurias inferunt, alterum eorum, qui illatam injuriam non propulſant. Sicuti igitur præcipuas quasdam enumeravit cauſas, quibus commoti injurias inferre ſoleant; ita jam recenſet cauſas, quibus multi defenſionem illorum negligant, quos tueri poterant & debebant.

*Inimi-*

*esse causse: nam aut* (1) *inimicitias, aut* (2) *laborem*, (3) *aut sumptus suscipere nolunt: aut etiam* (4) *negligentia*, (5) *pigritia*, (6) *inertia*, *aut*

(1) *Inimicitias.*) Primò hoc fieri adsolet fugâ inimicitiarum, cumprimis, si contra potentiorem defendendus cliens sit, v.g. Si quis exciderit gratia Principis immeritò, & quidem per calumniam, quisque ferè defensionem illius fugit, metu inimicitiarum ejusdemque sortis.

(2) *Laborem.*) Qui in quavis Republica multiplex esse potest administrando res magistratusque, vias eundo redeundo, causas agendo, jus dicundo, bella ac expeditiones suscipiendo ac prosequendo. Hæc aliaque cum ad arcendas injurias pertinere possint, multi laborum fugâ illa detrectant.

(3) *Aut sumptus.*) Hi sunt qui propter tenacitatem talia munera aut operas defugiunt, quæ sine pecunia rectè geri atque expediri nequeunt; Pecunia enim est nervus rerum agendarum. Sic defensionem contra officium negligunt, qui tempore necessitatis veluti expeditionis Turcicæ opes suas dissimulant, ne debitam quantitatem conferant, aut aliàs tempori tam necessario sumptuum metu suum studium subducunt.

(4) *Negligentia.*) Hi sunt, qui periculum imminens non satis exactè æstimant, & securitate ista, se aliosque opprimunt, aut opprimendos offerunt.

(5) *Pigritia.*) Hi sunt, qui otio ita sunt dediti, ut malint in eo exstingui, quàm brevissimo etiam tempore eo defraudari, & laboribus defensionis necessariæ vacare.

(6) *Inertia.*) Hi sunt, qui vel res Pacis aut Belli ignorant, & periculis ingruentibus ad omnia trepidant, se aliosque destituunt, ac rebus conclamatis subitò desperant.

*Aut*

(1) *aut ſuis ſtudiis, quibusdamve occupationibus ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur.* (2) *Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in Philoſophos dictum, quod in veri inveſtigatione verſentur, quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea juſtos eſſe. Nam dum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt. Diſcendi enim*

(1) *Aut ſuis ſtudiis.*) Varia ſunt hominum ſtudia, interque ea multa laudanda, ſi modò interea officium non negligatur; quædam verò ſunt vana & inutilia. Atque his omnibus ita ſæpè addictos videas homines, ut ſui aliorumque defenſionem ac injurias arcendas, magno cum crimine negligant. Quis igitur non increpet Diogenis ineptias, qui, cives reliquos magno ſtrepitu defenſionem patriæ urgentes videns, ſuum dolium per plateas ſurſum deorſum volutavit, ne ſolus, uti inquiebat, otioſus eſſet.

(2) *Itaque videndum.*) Modeſtè reprehendit Platonem, paſſim felices & juſtos pronunciantem Philoſophos, quod ſibi ſuæque contemplationi vacent, procul habitis humanis curis, iisq; rebus, de quibus velut ſummis bonis homines dimicare ſolent, veluti opum affluentia, honorum ſplendore. Sanè ſi in Civitate tales vivant, & ipſi quidem ad Reipublicæ clavum manum non admoveant, alios tamen idoneos ad illius adminiſtrationem efficere ſtudeant, non improbanda eſt ipſorum vita & opera. At ſi & ipſi ſe ſubducant, nec aliis viam commonſtrent, magnam merentur reprehenſionem. Etſi enim nemi-

*enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt.* (1) *Itaque eos ne ad Rempublicam quidem acceſſuros putat, niſi coactos. Æquius autem erat id voluntate fieri. Nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium.* (2) *Sunt etiam, qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere* neminem lædant faciendo aliquid iniquè, ſit tamen illud omittendo, deſerendo cives & amicos ſuos, ad quorum defenſionem ſunt obligati. Hinc judicium fieri poteſt de iis, qui quidem multa didicerunt, otii aut literarum verò amore, omnibus negotiis ſe ſubducunt. Huc pertinet parabola Chriſti de talentis fœnori locandis.

(1) *Itaque eos.*) Hoc etiam ad commendationem Philoſophorum Platonicam pertinet. Horum ſententiam nobis exprimit Ariſt. 6. *Nic.* 8. §. 12. quaſi illi, qui Reipublicæ manus admoveant, ſint πολυπράγμονες, pro curioſis hominibus habendi. Malè. Nemo enim ſuam operam debet denegare Reipublicæ, nec niſi coactus illam exhibere; hinc enim nulla laus illi debetur, nec juſti appellatio. Juſtus enim is dicitur demum, qui juſta facit certo modo ipſe adfectus, videlicet εἰδὼς, προαιρούμενος, καὶ προαιρούμενος δι' αὐτά, βεβαίως καὶ ἀμεταπιπτώτως ἔχων. *Sciens, conſilio captò, & conſilio ipſius juſtitiæ amore capto, conſtanti & immutabili adfectione erga illam præditus.* 2. *Nic.* 4. §. 7. *ſeqq.* τῆς ἀρετῆς γὰρ καὶ τοῦ ἤθους ἐν τῇ προαιρέσει τὸ κύριον. *Virtutis & morum præcipuum momentum in proæreſi vertitur*, inquit *l.* 8. *Nic. c.* 13. §. *fin.*

(2) *Sunt etiam.*) Sunt alii, qui Reipublicæ negotia fugiunt, rei familiari unicè intenti, ut labore ſuo ſibi neceſſaria parent, aut cuſtodiant, nec iniquè aliis quid eripiant:

*facere cuiquam videantur injuriam. qui, dum altero injuſtitiæ genere vacant, in alterum incurrunt: deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum.* (1) *Quoniam igitur, duobus generibus injuſtitiæ propoſitis, adjunximus cauſſas utriusq; generis, easq; res ante conſtituimus, quibus juſtitia continetur; facile, quod cujusque temporis officium ſit, poterimus, niſi noſmet ipſos valde amabimus, judicare. Eſt enim difficilis cura rerum alienarum. Quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil à ſe alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quæ cæteris, quæ*

alii idem faciunt propter μισανθρωπίαν. Hos igitur omittendo officium Juſtitiæ Injuſtos fieri dicit, licet non fiant tales, contra officium ejus faciendo. Rerum enim & officiorum communicatione ſocietas & conjunctio manet 5. *Nic.* 5. §. 10. Sublata verò tali communicatione, ſocietas conſtare nequit. *ibid.* §. 45.

(1) *Quoniam igitur.*) Concludit hanc de Juſtitia & Injuſtitia doctrinam, monetque, ſi forſan dubii caſus alii nonnulli occurrant, quos ipſe non tetigerit, pro ratione temporis, hoc eſt, circumſtantiarum facilè judicare nos poſſe, quid faciendum, aut non ſit; modò ne decipiamur adfectibus & reprehendenda φιλαυτία. ἁπλοῦν οἱ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων. *Plerique enim ferè mali ſunt judices in ſuis rebus. 3. Pol. 6. p. 165.* Ita enim ferè comparatum eſt, ut non eam curam geramus, nec tam accuratam cognitionem habeamus rerum alienarum, ſicuti

*quæ quasi longo intervallo interjecto videmus; aliter de illis, ac de nobis judicamus.* (1) *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum. æquitas enim lucet ipsa*

sicuti nostrarum: cujus ille rei causam mox subjungit; Rectius tamen Chremes Terentianus sentit, qui quod humani est officii, & ad hominem juvandum pertinet, à se non putat esse alienum. Ita enim hic Cicero hæc usurpare videtur, paulò aliter ac apud ipsum Terentium hæc sunt accipienda. Illa igitur vulgi dicta, Proximus sum egomet mihi; Quisque sibi mavult melius esse, quàm alteri; emendari volunt Stoici naturali illa necessitudine, qua homo commendatur homini, velut amicus amico, qui sit alter idem.

(1) *Quocirca benè.*) Convenit hoc Apostoli verbis ad *Rom.* 14. *v.* 23. *Quidquid non fit ex fide, peccatum est.* Quo in loco fides animi judicium clarè denotat. Facultatem enim κριτικὴν Deus actionibus humanis ducem addidit, qua neglecta animus mirificè decipitur. Quando igitur illud judicium nil certi præscribit, sed anceps est, hæc Ciceronis regula tenenda est: sicuti & Plinius monet, *l.* 1. *Ep.* 19. *Quod dubitas ne feceris.* Peccat enim quisquis dubia conscientia quidquam agit, inquiunt rectè Scholastici. Qui enim se exponit periculo peccandi, is peccat: Iam verò omnis de actione aliqua dubitans, bona sit, an mala, & nihilominus temerè illam perficiens, is exponit se periculo peccandi. Præterea qui vult peccatum, is peccat, & qui dubia conscientia quid agit, ille vult peccatum. Quia enim dubitat, bonum hoc sit an malum, utrumque fieri posse putat, videlicet ut rectè faciat, & ut malè, si id agat. *Horn. phil. mor. p.* 330. *Grot. de J. B. & P. l.* 2. *c.* 23. *n.* 2. & quæ ibi commentati sumus. Hinc addit

*ipſa per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.*

(1) *Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiunt q; contraria: ut, non reddere depoſitum, etiam ne furioſo promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea negare interdum, & non ſervare, ſit juſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ: primum, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſer-*

Cicero, Dubitationem, cogitationem, hoc eſt, προαίρεσιν injuriæ ſignificare. In hanc Ciceronis regulam vehementer impingunt Caſuiſtæ & Probabiliſtæ, qui qualemcunq; opinionem probabilem tutam reddere conſcientiam putant: quam abſurdam ſententiam ex ſolidis principiis refutavi in Appendice Lud. Montaltii Literis Provincialibus adjecta.

(1) *Sed incidunt.*) Hoc eſt quod Ariſtoteles toties inculcat, materiam moralem non admittere ἀκρίβειαν μαθηματικὴν, aut perpetuas exactasque demonſtrationes, ſed obtinere illam in multis certitudinem ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, hoc eſt, quæ plerumque fixa veraque ſit, ſæpè tamen eam contingentem eſſe. In his enim Circumſtantiæ vel minimæ variant rem. Tale eſt Juris naturæ hoc principium, Depoſitum eſt reddendum, ut plurimum verum; ſed nonnunquam ſi illi quis ſimpliciter inhæreat, nulla habita ratione circumſtantiarum, contra officium faciet; nec enim furioſo gladius depoſitus eſt reddendus, licet acceſſerit pactum & promiſſum furioſo factum. Etſi enim & hoc ſit juris Naturæ principium,

Fides

*ſerviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non ſemper ſit idem.* (1) *Poteſt enim accidere promiſſum aliquod, & conventum, ut*

Fides & promiſſa ſunt ſervanda; nonnunquam tamen urgente circumſtantiarum ratione, nec illi crudè inhærendum eſt. Ita aliquando etiam veritatem prudenter diſſimulandam eſſe monet: ceu fecerunt obſtetrices Ægyptiæ, quæ eo ipſo rem Deo gratam feciſſe leguntur. Aliquando etiam à Fide non ſolùm recedere licet, ſed & oportet, ut ipſe mox explicat. Si enim læſio ex talium præceptorum obſervatione oriri poſſit, aut proſpici, communi utilitati tale quid obfuturum, deſinunt tales actiones juſtæ eſſe, fiuntque injuſtæ, ſi perficiantur. In univerſum notandum eſt, ea eſſe Juris Naturæ, & ad ea nos eſſe obligatos, quæ per ſe conſervant ſocietatem humanam, & illa nos omittere oportere, quæ iſti nocent, ejusque fini adverſantur. Si igitur quædam Naturæ regulæ non ſint omni tempore veræ, meminiſſe debemus, ab iis tum demum nobis recedendum eſſe, ſi ubi his ſtrictè inhæſeris, majoris autoritatis præceptum aliud, aut ipſa Societas, ejusque communis utilitas & ſalus ſint violandæ.

(1) *Poteſt etiam accidere.*) Ita quidem eſt, quod facti per ſe illiciti promiſſa non valeant. Deinde nec illa ſunt ſervanda, quæ inutilia ſint futura iis, quibus promiſeris; manet tamen obligatio naturaliter ſub hac conditione, ubi deſierint eſſe inutilia illi. Addit tertiò, nec iis promiſſis aut conventis ſtandum eſſe, quæ inutilia futura ſint ei, qui promiſerit. Quod rectè intelligendum eſt, ne fides omnis, quam fundamentū juſtitiæ dixit eſſe, tollatur, & fraudibus & perjuriis feneſtra aperiatur. Explicat verò paulò poſt, quomodo hoc velit intelligi, promiſſa

*ut id effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei, qui promiſerit.* (1) *Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptunus, quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, ut ſcribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit. quo impetrato, in* illa non eſſe ſervanda quæ danti plus noceant, quàm illi proſint, cui promiſſa fuerint. Quid verò ſi fidem tuam adſtrinxeris, nonne ad ſolvendum promiſſum obligatus eris? ita ſanè videtur. Sed is, cui promiſſum eſt, ejus æquitatis erit, ut non cupiat, cum majori promittentis damno, quàm ipſe utilitatem inde percipere poſſit fidem liberari. Non igitur hic quidquam definiri poteſt, quod perpetuò obtineat; ſunt enim hæc *κατὰ πειρασιν καθήκοντα, Officia variis circumſtantiis involuta.* Vid. quæ diximus ad Grotii *lib. 2. de J. B. & P. cap. 11. §. 1.* & ſupra de Officiis *πειρατικοῖς.*

(1) *Nam ſi Neptunus.*) Theſeus Rex Atticus ex Hippolyta Amazone genuit Hippolytum: qua mortua, duxit Phœdram. Hæc abſente marito, privigni formoſitate capta, cœpit illum de ſtupro compellare. Quod novercæ flagitium cum detrectaſſet privignus, reverſo marito per calumniam Hippolytum detulit, quod ſe ad ſtuprum pellicere tentaſſet. Qua injuria excandeſcens Theſeus & trium rerum optionis à Neptuno ſibi permiſſæ memor, hoc elegit, ut malè periret filius. Hippolytus & patris ira & dolo novercæ cognito, deque nece ſua deliberari intelligens, conſcenſo curru fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum fortè in littus exierant, equorum & rotarum ſtrepitu perterritæ, magno impetu ſe in mare præcipitarent, exterriti equi fruſtra obluctante Hippolyto, currum

*in maximos luctus incidit.* (1) *Nec promissa igitur servanda sunt ea, quæ sint iis, quibus promiseris, inutilia: nec, si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris.* (2) *Contra officium est, majus damnum anteponi minori:* (3) *ut, si constitueris te cuipiam advocatum* (4) *in rem præsentem esse venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium, non facere quod dixeris: magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur.* *Iam* currum per scopulos & saxa traxerunt, juvenemque infelicem habenis implicitum varias in partes discerpserunt.

(1) *Nec promissa.*) Hic verò notandum, an promissa sint futura inutilia, si expleantur, non tam ex judicio promissoris, quàm ejus, cui promissio facta est, æstimandum esse. *Grot. d. l.*

(2) *Contra.*) Hoc quidem verum est, ubi simpliciter tui est arbitrii, alterutrum eligere: at ubi ad majus damnum te per promissionem obligatum reddideris, adstricta est tua libertas, quod vinculum vel aperta ejus, cui promissio facta est, vel saltem præsumpta quandoq; relaxat Æquitas & Humanitas.

(3) *Ut si constitueris.*) Nec enim quælibet officia cuique sunt, tribuenda, inquit Arist. *l. 9. Nic. c. 2. §. 8. & 17.* Sed observandum quanta vel acceperis beneficia, vel ad quanta huic, ad quanta isti ac alii sis obligatus, tum ubi major sit necessitas, & honestas. *ibid. §. 7.* Constituere verò hic significat ad certum tempus aut diem promittere. *t. t. ff. de Constit. pecun.*

(4) *In rem præsentem.*) Hac forma Veteres JCti utebantur

(1) *Iam illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu aut deceptus dolo pro-*

bantur, ubi quæſtio erat de finibus: quamvis & aliàs, ubi neceſſaria erat loci inſpectio, quo de agebatur, in rem præſentem Judices veniebant. *Briſſon. de formul. l. 5. p. 433.*

(1) *Jam illis promiſſis non ſtandum eſſe.*) Promiſſa metu extorta, aut dolo elicita, vel ſunt ſimpliciter talia, vel inſuper juramento confirmata. Si juramentum vel fœderis ſanctitas acceſſerit, iſtis promiſſis omninò ſtandum eſt, etiamſi Metum ac Dolum cauſas habeant. Juramento enim, licet per Metum injuſtum extorto, homo non homini tantùm ſed & Deo obſtringitur: adverſus quem Metus exceptio non eſt, inquit Grot. *l. 3. de J. B. & P. c. 19. n. 5.* Idem *l. 2. c. 13. n. 14.* ita docet, ex tali Juramento eum hominem, cui juratum eſt, nullum jus conſequi, jurantem tamen nihilominus ſtare debere juri jurando, quia Deo juraverit. Ipſe Cicero. *3. Off.* laudat Pomponium tribunum, qui ſervavit, quod terrore coactus juraverat, *Tantum*, inquit, *temporibus illis jus jurandum valebat.* Quod ſi juſto metu quis ad depectiones coactus fuerit, veluti bellico, non licet ab iis recedere. Quibus verò caſibus naturaliter quidem ex promiſſis etiam metu expreſſis, obligatio naſcitur, poteſt illa tamen remedio juris Civilis minui aut tolli, ſic ut hoc non ſit juri Naturæ adverſum, ſed potius conveniens. Quia enim coactus voluit (quales actiones ſpontaneis quàm invitis ſunt ſimiliores) mero quidem jure ſubſiſtit contractus, aut pactio licet bonæ fidei fuerit, per *l. ult. C. quod met. cauſa.* quia tamen malo more metu illato libera planè contrahendi voluntas conſtringitur, ideò Prætor apud Romanos reſtitutionem in integrum ſuis edictis dabat. Sic quoque quæ dolo geſta aut promiſſa ſunt, non ſem-

per

*promiserit? quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur,* (1) *nonnulla legibus.*

(2) *Existunt etiam injuriæ sæpe calumnia quadam,*

per sunt ipso jure nulla. Circa quas difficultates expediendas JCti distinguere solent, inter contractus bonæ fidei & stricti Juris, deinde inter Dolum causam contractui dantem, & in eum incidentem. Iste si in bonæ fidei contractu intervenerit, reddit eundem ipso jure nullum. *l.7. pr. ff. de dol. mal.* At in stricti juris judiciis contractus quidem subsistit, sed dolus actione ex contractu purgatur. Hoc quoque obtinet, si in contractum solùm incidat. De his breviter ita Grotius *l.2. c.17. n.17. Qui contractui aut promissioni causam dedit dolo, vi, aut metu injusto, tenetur eum qui cum actum est in integrum restituere, quia ille jus habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur: illud ex natura contractus, hoc ex naturali etiam libertate.* Videatur præterea Grotius *l.2. de J.B. & P. c.11. §.7.*

(1) *Nonnulla legibus.*) Evidens exemplum est in *l.2. C. de rescind. vendit.* Sed cum illa diu post Ciceronis ætatem lata sit, meritò quæras, quas intellectas ille velit leges, puta juris Civilis, quarum beneficio pactionum seu contractuum metu extortorum aut dolo initorum facta fuerit rescissio. Restitutio enim in integrum nonnisi jure Prætorio facta esse in Digestis legitur. Itaque hoc ita erit accipiendum, quomodo generaliter Cajus *l.28. ff. de pact.* dicit, contra juris Civilis regulas pacta conventa rata non haberi, v.g. si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne à suo debitore peteret.

(2) *Existunt etiam.*) Injuriæ quoque proficisci solent à calumnia, vel falsò alios accusando, vel jus scriptum ejusque apices, & τὸ ῥητὸν contra διάνοιαν Legislatoris

*quadam, & nimis callida, & malitiosa juris interpretatione: ex quo illud*, Summum Jus, Summa Injuria, *factum est jam tritum sermone proverbium, quo in genere etiam in Republica multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste factæ inducie, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium inducie. Nec noster quidem probandus est, si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium, (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisq; separatim locutum ne cupide quid agerent, nec appeterent; atq; ut regredi, quam progredi mallent. id cum utriq; fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. itaque illorum fineis, sicut ipsi dixerant, terminavit. Im*

*medio*

pervertendo: ideque accidit, quando Legi universaliùs loquenti omne omnino singulare, etiam quod ipse Legislator voluisset exceptum, si prævidisset, subsumitur. Hoc est illud ἀνεξιβοδίκαιον, Aristoteli dictum: Præ quo amplectenda est ἐπιείκεια Æquitas, quæ est ἐπανόρθωμα νόμιμος δικαίου, juris legitimi correctio, quibus scilicet partibus defectibus laborat. Arist. 5. *Nicom.* 10. Proponit deinde duo exempla cavillationum calumniosarum: quorum primo geminum hoc est, quod de Phœnicibus, qui Carthaginem condiderunt, fertur; hi enim cum ad Libyam appulissent, rogarunt incolas, ut se noctem & diem susciperent. Quod consecuti, noluerunt discedere, ut qui pepigissent, se dies noctesque mansuros. Hoc Paulus JCtus vocat Ius calumniari, & verba captare,

*l. pen.*

*medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit.* (1) *Decipere hoc quidem, non judicare est. quocirca in omni re fugienda est talis* (2) *solertia.* (3) *Sunt autem quædam officia etiam adversus eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi,*

*l. pen. ff. ad exhib.* cùm illa torquentur in aliam significationem, quàm intellexerit is, qui ea pronuntiavit ut ait *Ant. Augustin. 4. Emend. c. 5.* Ejusmodi calumnioſas interpretationes non ſolùm in judiciis, ſed & aliis negotiis, Rempublicam univerſam concernentibus, veluti fœderibus, pactionibus, transactionibus, aliquando iniquè adhiberi ſolere ait. Add. Grot. *lib. 2. de J. B. & P. c. 16.*

(1) *Decipere hoc.*) Alia enim ratione debuiſſet hanc litem dirimere, terminis poſitis inter agros rectè diviſos, nec alienum Romanis adjudicare. Cæterum latere in hoc facto Sophiſma aliquod Politicum apparet.

(2) *Solertia.*) Hæc naturalis facultas quia ad uſum vel abuſum poteſt aptari, ideò modo in bona, modò in mala ſignificatione uſurpatur, quemadmodum & Græcum δεινότης. Hic enim per ſolertiam nihil aliud quàm Aſtutiam ſeu calliditatem denotat. Ariſt. 6. *Nic.* 13.

(3) *Sunt autem.*) Solent nonnunquam pœnæ exigendæ cauſa bella ſuſcipi: quæ quidem cauſa cum altera de damno reparando plerumque conjuncta eſt, quando idem laceſſentis hoſtis actus & vitioſus fuit, & damnum reipſa intulit: ex quibus duabus qualitatibus duæ diverſæ naſcuntur obligationes, partim ad pœnam, partim ad damni reſtitutionem pertinentes. *Grot. 2. de J. B. & P. c. 20. n. 38.* Superſunt igitur etiam quædam jura & officia inter hoſtes, certè ſupereſſe debent. Aliquando ſufficit eò adigere hoſtem, ut ipſum ſuæ injuriæ pœniteat, ſi vide-

*ulciſcendi, & puniendi modus: atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere, ut ipſe ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad injuriam tardiores.*

(1) *Atque in Republica maximè conſervanda ſunt jura belli. Nam cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim: cumq; illud proprium ſit hominis, hoc bellùarum: confu-*

videlicet præter damni reſtitutionem hoc obtinueris, ut & de ipſo & de aliis per tale exemplum ſecurus ſis, ne tale quid deinceps committant. Majores noſtri, inquit Salluſtius *bell. Jugurt.* religioſiſſimi homines nihil victis eripiebant, præter injuriæ licentiam. Interim non ſemper hic ſubſiſtere poſſumus, uti vel ipſo loquendi modo indicat Cicero. De finibus pœnarum vid. *Grot. eod. cap.* & noſtra de hoc argumento Diſquiſitio Philoſophica. *Add. Grotius l. 3. de I. B. & P. c. 11. §. 1.*

(1) *Atque in Republica.*) Duo ſunt tempora Reipublicæ, Pacis & Belli. Priori ſi quædam oriantur querelæ, in judiciis diſceptantur ac dirimuntur. Quia verò læpè inter diverſas Reſpublicas, quarum una alterius judicio obnoxia non eſt, oriuntur controverſię, bello ferè definiuntur, quæ judicio explicari non poterant. Quia verò maximi momenti res eſt bellum, ut ex quo mala plurima etiam in iñocentes redundant, ſicut hoc diſceptandi genus belluarũ dicatur; hinc omnia antè tentanda ſunt, quàm ad arma conclametur. Notandum tamen, bellum non ſimpliciter eſſe belluarum, ſed hactenus, quod ſit modus dirimendi controverſias præternaturalis. Natura enim cumprimis judiciis aliisve bonis conditionibus vult lites terminari. Præternaturalẽ dixi hunc eſſe modũ, non tamẽ eſt prorſus contra naturam, ſi ſubſit juſta cauſa, ſi ſit neceſſarium,

debi-

*confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causſam, (1) ut sine injuria in pace vivatur.* (2) *Parta autem victoria, conser-*

debitoque geratur modo bellum: adeoque tunc belluino more homines contendunt, ubi bello decertant, cum judicio aut æquis conditionibus uti possent & deberent. Grotius *l. 2. c. 23. n. 6. seqq.* tres recenset modos declinandi bella, Colloquium: deinde inter eos, qui communem judicem nullum habent, Compromissum: quam viam Christianis Regibus ac Civitatibus imprimis ibidem commendat; & tum ob hanc, inquit, tum ob alias causas utile esset, imò quodammodo factu necessarium, conventus quosdam haberi Christianarum potestatum, ubi per eos, quorum res interest, aliorum controversiæ definiantur, imò & rationes ineantur, cogendi partes, ut æquis legibus pacem accipiant. Denique per sortem, quam eo nomine commendat Chrysostomus *Orat. altera in Fortunam.* Interest quoque videre Nic. Machiavelli Principem, quàm insigniter his Ciceronis verbis is ibi abusus fuerit cap. 18. & subjungere Contingii in illud Animadversiones.

(1) *Ut sine injuria in pace vivatur.*) Hic debet esse præcipuus belli finis, ut in pace nobis vivere liceat. Bellum Pacis causa suscipimus, inquit Arist. 7. *Pol. c. 14. p.* 484. *&* 10. *Nic.* 7. §. 20. πολεμοῦμεν, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν. Sapientes, ait Sallustius, pacis causa bellum gerunt, & laborem spe otii sustentant. Non verò qualiscunque Pacis gratia bella suscipiuntur, eaque obtenta deponuntur, sed à qua absit injuria, quæque sit securitate munita. Adde *Grot. c. ult. de I. B. & P.*

(2) *Parta autem victoria.*) Quo temperamento in res & personas captivas uti debeamus, vid. prolixè Grotius

*l. 2.*

(1) *conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: ut majores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos* (2) *in civitatem etiam acceperunt: at* (3) *Carthaginem, & Numantiam funditus ſuſtulerunt.* (4) *Nollem Corinthum: ſed credo illos ſecutos opportunitatem loci*

*l.3.de J.B.& P.c.*11.*& ſeqq.* Crudeles vocat Seneca, qui puniendi cauſam habent, modum non habent.

(1) *Conſervandi.*) Atque hinc Servi ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent: inquit Florentinus *l.4.§.2.ff.de ſtatu hom.§.3.Inſt. de jur.perſon.*

(2) *In civitatem acceperunt.*) Vid. *Grot.l.3.de J.B.& P.cap.*15.

(3) *Carthaginem & Numantiam.*) Non temerè in bello ſæviendum eſt, incendiis & ruinis & ſi res ſit frugifera, atque extra hoſtis poteſtatem abſtinendum ab iis penitus eſt. *vid.Grot.l.3.c.*12.

(4) *Nollem Corinthum.*) Quod modò dictum eſt, multò magis locum habebit poſt plenam victoriam. Corinthum igitur exciſam Cicero non probat, licet ibi malè habiti eſſent Romanorum legati: idemq; pro Domo ſua ad Pontifices horrificum, nefarium, omni imbutũ odio dicit bellum, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus fit. Docet quidem ſacra hiſtoria, urbes quasdam à Deo damnatas excidio: etiam contra legem generalem arbores Moabitarum juſſas exſcindi. Verùm non factum id odio hoſtili, ſed in juſtam deteſtationem facinorum, quæ aut publicè erant cognita, aut Deo judice tanti æſtimata. Vid. elegans Beliſarii epiſtola ad Totilam à Grotio citata ad *n.2.c.*12.*lib.*3. Corinthum quod attinet, à Ro-

*loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* (1) *Mea quidem sententia, paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum.* (2) *In quo si mihi obtemperatum esset; etsi* (3) *non optimam,* (4) *at aliquam Rem-*

à Romanis erat decretum, ut illa redderetur Achæis, præsidio tamen Acro Corintho imposito. Vera causa destructionis erat, ne deinceps ab illa periculum esset vindictæ aut rebellionis in Romanos. Erat enim urbs εὐλίμενος (vox est Arist. 7. *Polit.*) duobus inclyta portubus, quorum Lechæum Jonio, Schænus Ægæo imminet mari: unde bimarem Corinthum appellat Horat. *l.* 1. *Od.* 7.

(1) *Mea quidem.*) Sicuti omne negotium propter otium, ita bellum propter Pacem esse debet, quæ ambabus manibus amplectenda est, si cum securitate conjuncta, nullisque insidiis exposita sit. Non minima enim felicitatis humanæ pars est Securitas. Sed proh dolor nimis vera sunt & fuerunt semper illa Isocratis: νῦν δ' διαλυόμεθα, ἀλλ' ἀναβαλλόμεθα τὰς πολέμους, καιρὸν ἀναμένοντες, καθ' ὃν ἀνικήσοντι διαθώμεθ' ἀλλήλους. *Nunc*, inquit, *bella non componimus, sed in id tempus differimus, dum alios alii extremis cladibus afficiamus.* Add. *cap. ult.* Operis Grotiani *de J. B. & P.*

(2) *In quo si mihi.*) Omni enim conatu in id incubuit Cicero, ut simultates illas & glisscentes bellorū Civilium exitiosas turbas inter Cæsarem & Pompejum tolleret.

(3) *Non optimam.*) Pristina populi libertate ac autoritate Senatus florentem: JCti liberam Rempublicam appellant.

(4) *At aliquam.*) Oligarchiam scilicet, prælucentibus Cæsare, & Pompejo, multumque reliquis prævalentibus.

*Nulla.*

*Rempublicam, quæ nunc* (1) *nulla est, haberemus.* (2) *Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est:* (3) *tum ii, qui, armis positis, ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt. In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent,* (4) *eorum patroni*

(1) *Nulla.*) Omni libertate ac pristino Reipublicæ statu per Cæsaris tyrannidem oppresso. Tyrannis verò ipso Aristotele judice, minimè omnium nomen Reipublicæ meretur; eamque ob causam Cicero Romanam Rempublicam præsentem dicit esse Nullam.

(2) *Et cum iis.*) Quo temperamento uti nos oporteat in victos, vid. *Grot. l. 3. de I. B. & P. c. 11.*

(3) *Tum ii.*) In obsessis oppidis observatum id Romanis, ut dedititios, vitamque salvam paciscentes, salvarent, nisi murum aries percussisset. *Cæsar Aduaticis denunciat se eorum civitatem conservaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedidissent. 2. de Bell. Gall.* Qui mos nunc quoque obtinet in locis infirmis, antequam machinæ igniariæ explodantur: in munitioribus, antequam in mœnia impetus fiat, inquit Grotius *d. l. 3. c. 11. n.* 14. At Cicero non tam quid fiat, quàm quid naturâ æquum sit respiciens, hac de re jam hic loquitur, dicitque etiam in fidem recipiendos esse hostes se dedentes, quamvis murum aries percusserit.

(4) *Eorum Patroni.*) Qui olim in expeditionibus Romanis Civitates aut nationes in fidem recepissent, earum patroni erant, more majorum, in Senatu ipsorum rationem habentes, & in judiciis defendentes: Ita Siculorum Marcelli, Allobrogum Fabii. *Nec tantùm in ipsa urbe*

*patroni essent, more majorum.* (1) *Ac belli quidem æquitas sanctissime Feciali populi Romani jure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut* (2) *rebus repetitis geratur, aut* (3) *denunciatum ante sit, & indictum.*

*Pomurbe plebs tuta erat, Patriciorum patrocinio, sed & coloniarum, & sociarum ac amicarum Civitatum, & bello subactarum, quæque suos habebat Patronos, quoscunque vellet è Romanis Civibus.* Verba sunt Rosini *lib.* 1. *Ant. Rom. c.* 16.

(1) *Ac belli quidem.*) Cùm periculosæ plenum opus sit aleæ, cumprimis ratione conscientiæ, suscipere bellum; Hinc Romani veteres nonnisi consulto Collegio Fecialium ad id instituto; Principes olim Christiani vix, nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant, ut si quid esset, quod religionem posset injicere ejus monerentur. *Grot. l.* 2. *c.* 23 *n.* 4. Quâ verò solennitate usus fuerit Fecialis, sive res repeteret, sive bellum indiceret, legere est apud Livium *lib.* 1.

(2) *Rebus repetitis geratur.*) Plures possunt esse justificæ belli causæ. Cujus enim hic meminit, solùm videri posset pertinere ad Damni restitutionem. Cæterum rerum repetitarum nomine Jus Feciale comprehendebat, non tantum vindicationem ex jure Dominii, sed & persecutionem ejus, quod ex causa Civili aut Criminis debetur. Inde illa verba in formulis *reddi, satisfieri, dedi. Grot. l.* 3. *c.* 3. *n.* 7.

(3) *Denunciatum.*) Non enim sufficit ad justitiam externam inter summas utrinque potestates bellum geri, sed oportet ut & publicè decretum sit, & quidem ita decretum publicè, ut ejus rei significatio ab altera partium alteri facta sit; Unde *promulgata prælia*, dixit

(1) *Pompilius Imperator tenebat Provinciam, in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exer-*

Ennius. Faciebant hoc Romani per suos Feciales, qui & certis formulis, & notionibus denunciationem faciebant. Posterius fiebat teli aut hastæ in hosticum missione. Accuratè verò hic distinguendum est, quæ jure naturæ debeantur, vel non: quæ jure Gentium requirantur ad effectus juris gentium proprios, & quæ præterea ex peculiaribus Populorum quorundam institutis veniunt. Nam naturali jure, ubi aut vis illata arcetur, aut à delinquente pœna deposcitur, nulla requiritur denunciatio. Sic Ælianus ex Platone ait, bellum quod ad propulsandam vim suscipitur, non à caduceatore, sed à natura indici. Etsi verò jus naturæ non semper talem interpellationem fieri jubeat, honestè tamen & laudabiliter interponitur, putà ut ab offendendo abstineatur, & delictum ac damnum datum pœnitentia & satisfactione expietur. Deinde Denunciatio vel pura est, vel cum conditione. Grotius *l.3.c.3.n.6. & 7.* Indictum autem bellum ei qui Imperium in populo summum habet, simul indictum censetur omnibus ejus non subditis tantùm, sed & qui se socios adjuncturi sunt, ut qui accessio sint ipsius. Hoc est quod Barbari JCti dicunt: Diffidato Principe, diffidatos ejus adhærentes. Bellum enim indicere illi vocant Diffidare. *Grot.d.l.n.9.*

(1) *Pompilius.)* Exemplum Religionis majorum in belligerando proponit, à quo nostri milites & duces multùm absunt, quibus bellum gerere ibi fas, ubi maxima merces: qui vitæ causa se autorant neci.

*Negat*

*exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento: quia, priore amisso jure, pugnare cum hostibus non poterat. Adeo summa erat observatio in bello movendo. Marci quidem Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scripsit, se audisse eum missum factum esse à consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur, ut caveat, ne prælium ineat: (1) negat enim jus esse, qui miles*

(1) *Negat enim jus esse, qui miles non sit.)* Getitur bellum vel proprio, vel socio, vel mercenario milite. Est verò nullum vitæ genus improbius, inquit Grotius *lib.* 2. *c.* 25. *n.* 9. quàm eorum, qui sine causæ respectu mercede conducti militant. Major Philippus Macedo huic hominum generi dicebat bellum esse pacem, pacem verò bellum. Quid de iis igitur dicendum Ducibus, qui in aulis eo nomine excubare solent, ut bellum conflent, illud sine necessitate ducant, unum ex altero serant, quo ex rapto vivant, ac milites suos stipendiis defraudent? Imò si quis miles præcipuè spectet prædam aut stipendium, conscientiam quotidie vulnerat. Non enim inter artificia bellum, sed res tam horrenda est, ut eam nisi summa necessitas aut vera charitas honestam efficere nequeat. Hinc idem societates bellicas, cum primis mercenarias eo initas animo, ut in quodvis bellum nullo causæ discrimine promittantur auxilia, illicitas pronunciat. *d. l.* Hinc judicium fieri potest, de mercenaria quorundam pagorum Helveticorum militia, Franciæ regno, & quidem Francisco I. pactis primùm constituta, quibus gravibus ex causis Tigurini subscribere noluerunt, de-

*miles non ſit, pugnare cum hoſte.* (1) *Equidem illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ:* Aut ſtatus dies cum hoſte: *Itemq;,* Adverſus hoſtem æterna auctoritas. *Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt? eum quicum bella geras, tam molli nomine appellari? quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas: à peregrino enim receſſit, & proprie in eo, qui contra ferret arma, remanſit.* (2) *Cum verò de Imperio decertatur, belloque quæritur gloria, cauſſas omnino ſubeſſe tamen oportet easdem, quas dixi*

hortante eos Zvvinglio. Videatur Simleri *Deſcriptio Reip. Helvetiorum.*

(1) *Equidem illud.)* Explicatione antiqui vocabuli Hoſtis vult oſtendere, Romanos non ſolùm juſtitia, ſed & clementia & humanitate ſingulari in ſuis bellis fuiſſe uſos: Sed, uti rectè monet Wolfius, ſatis frigidè. Quid enim mea refert, quàm molli me appelles nomine, ſi contraria omnia facias. De ſignificatione antiqua Hoſtis jam non laboramus, ut quæ ex veteris Juris reliquiis nota ſit. Adde Jac. Gothofr. ad *ll. XII. Tabb. & Car. Sigon. de antiq. jur. Ro. lib.* I. *p. m.* 46.

(2) *Cum verò.)* Sæpè bella geruntur Imperii ac honoris proferendi ſtudio, cumprimis ubi alterius ſuſpecta eſt potentia, ne terra marive ſuperior tandem planè ſit. In tali exiſtimatione erant Veteres Franci, de quibus illud adagium uſurpatur: Malo Francum amicum, quàm

*dixi paulo ante juſtas cauſſas eſſe bellorum. Sed ea bella, quibus Imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Vt enim, cum cive aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor: cum altero certamen honoris, & dignitatis eſt; cum altero capitis, & famæ: ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de Imperio dimicabatur.* (1) *Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui*

quàm Vicinum: cujus hodiè minimè omnium obliti ſunt Belgæ. Supponit autem Cicero etiam horum bellorum juſtas debere eſſe cauſas: deinde cum victori in victos multa liceant, non tamen in ejuſmodi bellis illa acerbè eſſe exercenda. Sic ſuperioribus annis non ita acerbè bella fuerunt geſta inter Gallos & Hiſpanos, quàm inter Batavos & Hiſpanos. Iſtis enim Imperii gloria erat propoſita, Batavis libertas & religio, quas cum Hiſpani cum ipſa gente videbantur excindere velle, acerrimè inter illos bella fuere geſta. Explicat idem Cicero ſimili & exemplis, de quibus qui plura cognoſcere voluerit, adeat rerum Romanarum Scriptores. De temperamento autem circa acquiſitionem Imperii, vide hic omninò Grotium 3. *de J. B. & P. c.* 15.

(1) *Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal.*) Si non acerbiùs gerenda ſunt bella propter Imperii gloriam ſuſcepta, cur igitur Carthago fuit deleta? Videtur igitur Cicero hiſce epithetis exceptionem quandam comprehendere. Nam præter Imperii ambitum inter Romanos & Carthaginenſes etiam accedebat violatio fœderis, & Hannibalis crudelitas. De iſta quid ſit ſentiendum,



Digitized by Google

*qui juſtiores.* (1) *Pyrrhi quidem de captivis redendis illa præclara ſententia eſt*;

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis:
Nec (2) cauponantes bellum, ſed belligerantes,
Ferro, non auro (3) vitam cernamus utrique.
Voſne velit, an me regnare (4) hera, quidque ferat fors,
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Horundem me libertati parcere certum eſt.
Dono:

videGrotium *l.2.de J.B.P.c.16.n.13.* De hac Livium aliosque Hiſtoricos. Manutius hoc refert ad conditiones Saguntinis propoſitas.

(1) *Pyrrhi quidem.*) Exemplum belli clementer & generosè geſti, quod quidem captivorum redemptionem attinet, Ennianis proponit verſibus. Libro 3. quam Regi gratiam Fabricius retulerit, narratur.

(2) *Cauponantes.*) Ea ſententia hæc protulit Pyrrhus, ac ſi pretio pro captivis redimendis accepto artem diteſcendi καπηλευτικὴν, adeoque ſibi indecoram ſit tractaturus. Ita quoque Æſchylus καπηλεύειν μάχην dixit. Vide *Chiliad. Eraſmi.*

(3) *Vitam cernamus.*) Id eſt, de Vita decertemus.

(4) *Hera.*) Fortuna, quam Deam faciunt multi, cœloque locatam venerantur. Juvenal. *Sat.* 10. *in fin.*

*Ducite.*

Dono: (1) ducite: doque volentibu' (2) cum magnis dîs.

*Regalis ſane, & digna Æacidarum genere ſententia.* (3) *Atque etiam, ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides ſervanda: ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cum de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, juraſſetq; ſe rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde, cum retineretur à propinquis, & ab amicis, ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere.*

*Secundo autem Punico bello, poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit*

(1) *Ducite.*) Ad Legatos orationem convertens hæc loquitur Pyrrhus.

(2) *Cum magnis Diis.*) Quandoquidem magni Dii, Jupiter, Juno, & Pallas, aut Fortuna, aut Dii patrii, horum vitæ in prælio pepercerunt, eosque voluerunt eſſe ſalvos, ego quoque illos volo eſſe liberos, adeoque nullo auro redemptos, ſed bonis Deorum auſpiciis dimitto, & diſcedendi poteſtatem iis facio.

(3) *Atque etiam.*) Etſi illa regula, etiam hoſti fidem datam eſſe ſervandam, huc omnino pertinere videatur, eaque duobus contrariis exemplis mirè illuſtretur, Reguli, fidei datæ inhærentis, & decem militum poſt Cannenſe prælium illam perfidè deſerentium; dubium tamen eſt, cur & hic & lib. 3. eadem prolixius etiam repetantur. Propterea in melioribus codicibus à verbis, *Secundo autem Punico bello &c.* quæ leguntur, uſq; ad v.

*miſit jurejurando ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetraſſent; eos omnes cenſores, quoad quisque eorum vixit, qui pejeraſſent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paulo poſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus è caſtris, jurejurando ſe ſolutum putabat: & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem à majoribus noſtris conſtitutum. Cum à Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe venenum regi daturum, & eum necaturum; ſenatus & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbavit.*

*At*

*approbavit*, rectius omittuntur. Quomodo verò fides etiam hoſti data ſit ſervanda prolixè tractat Grotius *lib. 3. de J. B. P. cap. 19. & ſeqq.* De fide privata in bello ſervanda ſpeciatim agit *lib. 3. de J. B. P. cap. 23.* Cumprimis obligati ſumus ad illa pacta ſervanda, quæ hoſtibus juramento fuerint confirmata, cujus ſanctiſſima inter omnes homines, etiam acerrimos hoſtes debet eſſe religio. Apparet hinc, multò rectiùs ſenſiſſe Ciceronem, hominem gentilem, quàm Curiam Romanam vicariam ipſius Dei poteſtatem ſibi arrogantem, cujus hoc eſt Axioma: Hæreticis fidem datam non eſſe ſervandam.

*Ac*

(1) *Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est.* (2) *Meminerimus autem, & adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio, & fortuna servorum: quibus, non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis: ad operam*

(1) *Ac de bellicis.*) Albericus Gentilis *l.*1. *de jure Belli cap.* 1. eo nomine reprehendere videtur Ciceronem, quod cum pauca de hoc argumento dixisset, nihilominus scripserit, se satis de Officiis bellicis dixisse. Cæterum mens Ciceronis non videtur esse ac si profiteri voluerit, se hoc argumentum plenè tractasse, atque exhausisse, sed satis de eo dixisse, videlicet pro instituti sui ratione.

(2) *Meminerimus.*) Servi alii sunt natura, alii ex instituto hominum. De utrisque agit Aristoteles prolixè *lib.*1. *Polit.* Servi natura sunt, qui corpore quidem multùm, ratione vel parùm, vel nihil valent. sic ut, nisi prudentioris imperio regantur, salvi esse nequeant. Horum conditionem idem 8. *Nic.* 11. §. 16. paucis declarat: *Servus*, inquit, *instrumentum est animatum: Instrumentum autem Servus inanimus.* Ex hominum instituto, κατὰ νόμον, servi imprimis fiunt, bellocapti. ὁ γὰρ νόμος, ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατήματα τῶν κρατούντων εἶναί φασι. *Lex namque consensus quidam est, & pactum, in quo bello victa victorum esse adfirmant.* inquit 1. *Pol.* 4. *pr.* Quomodo igitur circa hos officium Justitiæ exerceatur, docet Cicero: Videlicet, sicuti mercenariis pro opera pretium aut alimenta dantur, ita servis pro opera justa sunt præbenda, hoc est, ea omnia, quæ sub victu necessario à JCtis comprehendi solent. *l.* 43. 44. 45. *ff. de V. S.* Ultra hæc Servo (si Aristoteli credimus) nihil debetur; *Servo enim quà tali,*

*operam exigendam, & justa præbenda.* (1) *Cum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude, fiat injuria: fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: utrumq; alienissimum ab homine est:* (2) *sed fraus odio cum hero nulla intercedit amicitia, sed quà homo est, aliqua.* 8. *Nic.* 11. §. 16. Postremum verò hoc multa officia continet. Ciceroni consentit Cato: *Familiæ ut benè sit provideto, ne algeat, ne esuriat.* Et Seneca 3. *de Benef. Est aliquod, quod Dominus præstare Servo debeat, ut cibaria, Vestiarium.* Aristot 1. *Oecon.* 5. δέλῳ μισθὸς, τροφὴ: *Victus servo pro mercede est,* quæ ex asse Ciceronianis respondent. Cæterum Siracides *cap.* 33. *v.* 25. latius hæc Justa extendit, nec malè, ἄρτος, inquit, καὶ παιδεία, καὶ ἔργα δικέτῃ. *Servo debentur victus, disciplina & operæ.* Possunt sanè eæ esse servorum conditiones & operæ, ut etiam liberaliùs sæpè sint habendi. Vide Grot. *l.* 2. *de J. B. P. cap.* 5. §. 27. *seqq.* quæque ibi & Cl. Bœclerus & nos uberiùs diximus. Et *l.* 3. *de I. B. P. c.* 14. *n.* 6. Nostros servos quod attinet, illi partim ex contractu locationis conductionis serviunt: partim adscripti glebæ, ex jure gentium bellico in eam conditionem ferè detrusi sunt: ceu videre licet in Venedicæ gentis hominibus à Saxonibus subjugatis.

(1) *Cum autem duobus.* ) His Lysandri dictum convenit, dicere soliti, Quò leonina pellis penetrare nequeat, ejus loco vulpinam adhibendam esse. Consentit etiam Aristoteles, qui cum ζωμαλλάγματα vel spontanea vel Invita constituisset, hæc dividit in Clandestina & Violenta. 5. *Nic.* 2. § 32. *seqq* quod scilicet in σωμαλλάγμασι invitis injuriæ vel à vi, vel ex fraude proficisci soleant.

(2) *Sed fraus.*) ἀδικώτεροι οἱ ἐπιβουλότεροι. *quò quia occul-*

*odio digna majore.* (1) *Totius autem injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur. De juſtitia ſatis dictum eſt.*

(2) *Deinceps (ut erat propoſitum) de beneficentia, ac liberalitate dicatur:* (3) *qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius.* (4) *Sed habet occultioribus inſidiis utuntur, eò ſunt injuſtiores.* Ariſtot. 7. *Nicom.* 6. §. 15. Hinc Cicero experientia edoctus 5. *Verr.* ait, Tacitas & occultas inimicitias magis timendas eſſe, quàm indictas & apertas. Rectè quoque Cæcilius Comicus: Hi ſunt inimici peſſumi, fronte hilari, corde triſti: Quos neque tu apprehendas, neque vitare ſcias.

(1) *Totius autem.*) Ex Platone II. *de Rep.* hæc expreſſa videntur. Verba illius ſunt: ἐσχάτη ἀδικία δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα, *Extrema eſt injuſtitia, juſtum videri velle, cum non ſis.*

(2) *Deinceps.*) Nunc pergit dicere de Officiis Liberalitatis, quam ſuprà juſtitiæ adjungebat, ceu ejus aliquam partem, à qua tamen illa planè diverſa eſt, ceu ſuprà oſtendimus.

(3) *Qua quidem.*) Hoc eſt, nulla eſt penè Virtus, quæ hominem æquè commendet, quàm Beneficentia. Cum enim homo hominis cauſa ſit natus, uti ſuprà diſſerebat, non poteſt hominum qualiſcunque etiam Societas ſine Beneficentia ſubſiſtere. Ariſt. 4. *Nic.* 1. §. 26. & *paſſim* 8. *Nicom.*

(4) *Sed habet.*) Hæ omnes cautiones incluſæ ſunt μεσότητι Ariſtotelicæ. *l.* 4. *Nic.* 1. §. 27. & 45. Indignis enim ſi vitæ ſubſidia ſuppeditemus, his nocemus, dum inſtru-

*habet multas cautiones. Videndum est enim, primum,* (1) *ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & cæteris: deinde,* (2) *ne major benignitas sit, quam facultas: tum, ut pro dignitate cuiq; tribuatur.* (3) *id enim est justitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda sunt omnia.*

*Nam* instrumenta vitæ tradimus, quibus abutantur: & cæteris nocemus, videlicet dignioribus, qui his rectè usuri essent, nisi ab indignis sibi hæc fuissent præcepta. Sed & alium admittunt sensum posteriora: si v. g. homini ambitioso quis sufficiat pecuniam, is & huic nocet, & cæteris, qui sibi ab illo metuere coguntur.

(1) *Ne obsit.*) V.g. si febricitanti frigidam, aut furioso obtuleris gladium: aut si ignaviam mendicorum stipe alas.

(2) *Ne major.*) Adde Aristot. *l.* 4. *Nicom. c.* 1 §. 37. & 47. ubi dicitur, hunc liberalitatis habitum, dandum monere κατὰ τὴν οὐσίαν, pro modo facultatum.

(3) *Id enim.*) Si κατ' ἀξίαν liberaliter des, suum cuique tribues: id quod Cicero dicit esse Justitiæ. Diverso autem modo liberalis & justus suum cuique tribuunt. Hic scilicet ex speciali obligatione, pacto aut συναλλάγματι, Ille planè ex liberali causa & honestatis solius amore. Non igitur satis convenienter à Cicerone dicitur, Liberalitatem ejusque actiones omnes esse referendas ad Justitiam; nisi forsan velis intelligere Universalem illam ab Aristotele dictam. Diversa igitur est ἀξία, quam attendit Liberalitas, &, quam observat Justitia. Hæc enim, quam Justitia respicit, ἀξία, est Aristotelis Proportio Geometrica: ceu videre est 5. *Nic.* 3. §. 13. 14. 15. Vide quæ scripsimus ad Grotii *l.* 1. *de J. B. P. c.* 1. §. 7.

*Nam*

Digitized by Google

(1) *Nam & qui gratificantur cuipiam,* (2) *quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici, neque liberales, sed pernicioſi assentatores judicandi sunt:* (3) *& qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi splendoris, & gloriæ, qui eripiunt ab aliis, quod aliis largiantur: hiq; arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos qua-*

(1) *Nam &.*) Sequitur jam primi Præcepti explanatio, & remotio vitiorum, quæ sunt contra Liberalitatis officia.

(2) *Quod obsit illi.*) Horum igitur, veluti ἐχθρῶν δώρα, verè sunt ἀδώρα. Notandum verò, qui aliis dando nocent, tum demum esse pernicioſos assentatores, si & adsentandi & nocendi animo dederint; fieri enim potest, ut etiam quis dando noceat, absque ejusmodi προαιρέσει, per imprudentiam. Illustrat hæc elegantibus versiculis Horatianis Franciscus Maturantius, qui leguntur *lib. 1. ep. 18. v. 31. seqq.*

*——Eutrapelus cuicunque nocere volebat,*
*Vestimenta dabat pretiosa. Beatus enim jam*
*Cum pulchris tunicis sumet nova consilia, & spes,*
*Dormiet in lucem, scorto postponet honestum*
*Officium, nummos alienos poscet: ad imum*
*Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.*

Vidit scilicet ille Eutrapelus, stolidis se ea ratione plurimum nocere posse; ut quibus cum habitu animus quoq; mutetur: cujus tamẽ stultitiæ mox illi pœnas dare soleant.

(3) *Et qui aliis nocent.*) Quomodo ex assentatione quadã lædantur Liberalitatis officia dixit: nunc, quomodo ex injusta acquisitione. Hinc rectè docet Aristotel. d. l.

Libe-

*quacunque ratione. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Quare Lucii (1) Syllæ, & Caji Cæsaris pecuniarum translatio justis dominis ad alienos, nō debet liberalis videri. (2) Nihil enim est liberale, quod non sit idem justum*

Liberalitatem etiam quodammodo ἐν τῇ λήψει consistere; si enim rectè velis dare, necesse est honestè ante acquisiveris, τὰ χρήματα. Vide illum *d.c.1. lib.4. Nic.§. 50. seqq.* ἕπεται τῇ δόσει ἡ τοιαύτη, λῆψις· ἡ δὲ μὴ τοιαύτη ἐναντία ἔσται. *Bonam donationem similis sequitur acceptio, quæ autem similis ei non est, contraria est.*

(1) *Syllæ & Cæsaris.*) Horum proscriptiones notat, cum rerum in urbe essent per tyrannidem potiti. Nam L. Corn. Sylla inquit Dionysius Halic. primus acerbè crudeliterque usus est Dictatura, ut tum primùm sentirent Romani, quod superioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam esse tyrannidem &c. Cæsar verò postremus idemque perpetuus contra Leges Dictator fuit, multaque iniquissimè fecit. Proscribi verò dicuntur bona, quando legitimis illorum Dominis oppressis aut ejectis, libellis publicè affixis venalia cuivis exponuntur, aliove titulo ad alios transferuntur, id quod iis tempestatibus plurimis Civibus accidit. Ex ejusmodi ipitur bonis proscriptis liberales scilicet erant Sylla & Cæsar. Add. Plutarchus in vitis, & Suetonius *in Cæsare. c.4.*

(2) *Nihil enim.*) Non hoc est ita accipiendum, ac si Liberalitas ac justitia sint planè idem; sed non posse quempiam Liberalitatem rectè exercere, nisi ex bonis jure partis.

*ſtum.* (1) *Alter locus erat cautionis, ne benignitas major eſſet, quam facultates: quod, qui benigniores volunt eſſe, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injurioſi ſunt in proximos: quæs enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui,*

(1) *Alter locus.*) Alteram jam cautionem explicat: Quam qui negligit, eum dicit injuſtum eſſe, erga proximos quosque agnatos, quibus res neceſſarias ſubducat. Nam ut quiſque propinquior nobis eſt, ita ad bonorum & officiorum communionem maximè illi ſumus obligati. Idem monet Apoſtolus, ſublevandos quidem à nobis eſſe egenos, ſed ne ipſi affligamur; ſunt verò noſtri partes etiam liberi, & ſi qui ſint alii, propinqua neceſſitudine nobis juncti. Sed quid ſentiendum igitur eſt de Paulino Epiſcopo Nolano? Hic ut refert Hiſtoria Eccleſiaſtica cum locupletiſſimus eſſet, Chriſtianos captivos miſerè detentos à perſecutoribus pretio liberaliter oblato redemit, ſic ut tandem ex ea cauſa omnis ipſius ſubſtantia fuerit abſumpta. Vidua tum quædam, hac Paulini facilitate cognita, & ipſa advolat, multisque lacrymis ſuam miſeriam exponit, quam indies augeri ſentiat, ex captivitate unici filii, ſolatii ſui: rogat anxiè, ut ſe quoque in tanta ærumna juvet. Paulinus itaque opibus jam exhauſtus adit præſidem & orat, ut viduæ hanc gratiam det, eique reddat filium. Sed ſurdo narrabatur fabula: exigebatur λύτρον. Non mihi, inquit ille, jam ſupereſt ulla pecunia, quam tibi alioqui libenter darem; ſi tamen aliter non vis nobis gratificari, ecce dimitte viduæ filium, meque in vinculis, quamdiu viſum fuerit, ejus loco tene. Ea igitur conditione vidua recepit filium ſuum, & compedes Paulino injectæ ſunt.

*qui, eas transferunt ad alienos.* (1) *Inest autem in tali liberalitate cupiditas rapiendi plerumque, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiæ.* (2) *Videre etiam licet, plerosque, non tam natura liberaleis, quàm quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quæ ab ostentatione videntur proficisci magis, quàm à voluntate. Talis autem simulatio vanitati est conjunctior, quam aut liberalitati, aut honestati.* (3) *Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus*

sunt. Si igitur judicium de hoc beneficio sit ferendum, dixerim, non posse ejusmodi exempla ad communes officiorum, regulas examinari, quod heroicam quandam pietatem ac magnificentiam spirent, ipsius Christi æmulam.

(1) *Inest autem.*) Qui ultra facultates dant, non tam Liberales quàm Prodigi dicendi sunt. Hi verò duum sunt generum; vel enim solùm peccant ratione δόσεως nimium seu præter modum largiendo, vel etiam peccant ratione λήψεως, quavis ratione opes rapiendo, corradendoque, ut adsint profusionis instrumenta. Talis à Sallustio fuisse describitur Catilina.

(2) *Videre etiam licet.*) ὁ διδοὺς οἷς μὴ δεῖ, ἢ μὴ τοῦ καλοῦ ἕνεκα, ἀλλὰ διά τινα ἄλλην αἰτίαν, οὐκ ἐλευθέριος, ἀλλὰ ἄλλός τις ῥηθήσεται: *Qui dat, vel quibus dandum est, vel non honesti gratia, sed alia aliqua causa impulsus* (puta majoris lucri, aut vanæ ostentationis gratia) *hic non est liberalis, sed aliquo alio nomine appellabitur.* inquit Arist. 4. *Nic.* 1. §. 29.

(3) *Tertium.*) Hujus præcepti explicatio optima legi potest 9. *Nicom.* c. 2. ubi inprimis observetur §. 12.

Gene-

*lectus esset dignitatis: in quo & mores ejus erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac societas vitæ, & ad nostras utilitates officia ante collata. Quæ si concurrant omnia, optabile est: sin minus, plures caussæ majores q̃, ponderis plus habebunt.* (1) *Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus, pleneq̃ sapientibus, sed cum iis, in quibus præclare agitur, si sint simulachra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat.*

*Generatim quidem*, inquit Philosophus, *sanciendo, dicendum: id, quod debetur, reddendum esse. Veruntamen si plus vel honestatis vel necessitatis habeat, dare alii, quàm illi reddere, unde acceperis, ad hac oportet esse propensiorem.* Cicero ἀξίαν ejus, cui dare volumus, æstimat primò moribus, videlicet an propter morum probitatem beneficio dignus, idque datum sit rectè collocaturus, gratoque amplexurus animo: deinde qua erga nos sit benevolentia, quôve affectu: tum qua necessitudine naturali nobis sit junctus, sit ne Pater, filius, uxor, amicus, civis, an peregrinus, exul. Denique an olim nobis profuerit ac benefecerit, & quantum nostra indigentia per ejus beneficentiam fuerit sublevata. Sed ipse mox sigillatim hæc explicat. Simplicius *ad Epict. enchir. c. 37.*

(1) *Quoniam autem vivitur.*) Dicas, si κατ' ἀξίαν morum & virtutum cuique est benefaciendum, vix autem reperire licet inter mortales quenquam, qui illa κατορθώματα Sapientis Stoici, seu Perfecta Officia adsequi possit, videtur nemo aliquam beneficentiam promereri? Respondet igitur φρονταλαπλινῶς, tam subtile

*reat.* (1) *Colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisq; maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, ac ipsa, de qua jam multa dicta sunt, justitia. Nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec sapiente, fervention plerumque est: illæ vero virtutes virum bonum videntur potius attingere. Atque hæc in moribus considerentur.* (2) *De benevolentia autem,* ac morosum judicium in beneficiis dandis non esse adhibendum, quin potiùs faciles nos ad liberalitatem debere esse, si vel communia Officia, simulacra virtutis, ac spem bonæ indolis frugisque deprehendamus.

(1) *Colendum.)* In beneficiorum datione inspiciendi sunt mores cujusque, cui dare velis. Tum verò rationem cujusque rectè habebis, justamque æstimationem institues, si spectaveris, ut quisque virtutibus his lenioribus, hoc est, officiis non perfectis, sed mediis fuerit præditus, videlicet, quàm modestus, temperans aut justus fuerit. Has verò virtutes leniores vocat respectu Fortitudinis, quod istæ perficiant facultatem ἀθυμητικὴν, sedatiorem, quàm est θυμοειδὴς, quò Fortitudo pertinet. Quia verò Ira Cos dicitur Fortitudinis, & illius sæpè acutissimus & furiosus est stimulus, addit, non ita facilè esse hujus Officia observare, quàm superiorum virtutum; in his enim proficere posse etiam, qui in secundis aut tertiis subsistunt, at iræ moderari non posse quenquam, nisi perfectè Sapientem quem appellabant Stoici. Faciliùs igitur quis viri boni nomen poterit adipisci ex officiis temperantiæ, justitiæ, & si quæ sunt ejus generis aliarum, quàm ex officiis Fortitudinis & Magnanimitatis.

(2) *De Benevolentia.)* Progreditur ad alterum, quod in

*autem, quam quisque habeat erga nos primum illud est in officio,* (1) *ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur:* (2) *sed benevolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius, & constantia judicemus.* (3) *Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia; major quædam cura adhibenda*

in beneficio rectè collocando à nobis spectandum est, quo sit erga nos animo, affectu aut benevolentia is, cui benefacere velimus. Pretium enim beneficii, quo olim ab aliis sumus adfecti, præcipuè ex animo & adfectu dantis erga nos, & tum ex indigentia nostra quantoperè hoc beneficio illa levata sit, metiri convenit.

(1) *Ut ei plurimum.*) Non eadem omnibus officia esse tribuenda aliquoties jam monuit. Add. 9. *Nicom.* c. 2. & 8. *Nic.* 7. §. 5. *seqq.* Pro immoto tamen fundamento ponit, ei plurimum esse tribuendum, à quo maxime diligamur. Rectè. Nam Amor est bonum Amicitiæ proprium, inquit Philosophus 8. *Nicom.* 7. §. 8. Ut igitur quisque magis amaverit, ita majora ipsi debentur Amicitiæ officia & jura. Ille verò amor relucet ex Beneficentia. Demonstrat autem Aristoteles 9. *Nic.* 7. magis amare, qui beneficia conferunt, quàm in quos collata fuerint.

(2) *Sed benevolentiam.*) Cum agnosceret hujus vocis homonymiam, addit, non se per hanc denotare repentinam quandam ac temerariam inclinationem, qua in alterum ferri solent adolescentuli, sed veram, bono consilio constitutam, ac stabilem amicitiam: qualem definit Arist. 8. *Nic.* 2. Virtutis habitum constantiâ imitantem.

(3) *Sin erunt merita.*) Quartum hoc est, quod

*da est.* (1) *Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea,* (2) *quæ acceperis utenda, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an non imitari agros fertileis,*

spectandum esse monuit, ut beneficium rectè collocetur. Si, inquit, bene de te quis fuerit meritus, officii tui erit, ut non tam cogites quo modo tu de aliis merearis, qui nihil beneficii in te contulerunt, quàm quomodo jam tum obligatus tuo benefactori gratiam referas. Arist. 9. *Nic.* 2. §. 8.

(1) *Nullum enim officium.*) Verissimum hoc est, nisi aliò propter majorem necessitatem aut honestatem officium tuum avocetur. 9. *Nic.* 2. §. 12. Unde sequitur, nihil æquè repugnare officio, quàm ἀχαριστίαν, atque hanc tantò esse majorem, quò melius quis de ingrato fuerit meritus: unde meritò omnes æqui bonique hoc grande vitium semper detestati sunt.

(2) *Quæ acceperis utenda.*) Possit hoc intelligi de rebus, quarum usus in abusu consistit, uti loqui amant JCti. Deinde utendum aliquid accipimus, gratis, salva manente substantia, & dicitur Commodatum: vel data mercede & est Locatum Conductum. Grotius 2. *de J. B. P.* c. 12. *n.* 3. De priori genere videtur ipse loqui Hesiodus, de rebus inquam fungibilibus & in creditum transeuntibus. Versus illi sunt:

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι,
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον εἶπερ ἀρέσθαι.

Vel etiam Cicero *Utenda* dixit, ut beneficiis affecti de referenda gratia sedulò cogitemus, non quasi nobis aliquid datum sit aut donatum, sed solùm usui nostro permissum, idque tempestivè reddendum.

*Etenim.*

*leis, qui multo plus afferunt, quam acceperunt?* (1) *Etenim, si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt?* (2) *Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficij, alterum reddendi: demus, necne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, si modo id facere possit sine injuria.* (3) *Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi: nec dubium, quin maximo cuiq; plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim multa faciunt temeritate quadam, sine judicio, vel modo, in omneis, vel repentino quodam, quasi*

(1) *Etenim.*) Magis quisque est obligatus ad referendam gratiam pro beneficio accepto, quàm ut nobis Amicum dato beneficio devinciamus. Argumentum hoc à minori ad majus à Cicerone ductum est.

(2) *Nam cum duo.*) Datio beneficii sine dubio ad liberalitatem pertinet, redditio verò, sive gratiæ relatio ad Justitiam; sicuti injustitia quædam est ἀχαριστία. Quia verò Justitiæ Liberalitatem ceu partem copulavit, etiam hic confusè de his videtur loqui. Add. omninò hic Aristot. 8. *Nic. c.* 13. §. 22. *seqq.* Nam omnes Philosophi textus, etiamsi illustres, exscribere neque libet, neque licet. Petit ex hoc textu Ciceronis Grotius fundamentum successionis ab intestato, quem vide *lib.* 2. *de J. B. P. c.* 7. §. 9.

(3) *Acceptorum.*) Idem huc pertinet textus *c.* 13. §. 28. *seqq.* Generalis quidem Regula hæc est observanda: Pro maximo beneficio maximam ac promptissimam

*quasi vento, impetu animi incitati. quæ beneficia æquè magna non sunt habenda, atque ea, quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt.* (1) *Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, si cætera paria sunt, hoc maxime officii est,* (2) *ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari, quod contra fit à plerisque.* (3) *à quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt.*

(4) *Optime autem societas hominum, conjunctio-*

deberi gratiam. Cæterum cum omnis actio virtutis cumprimis ex προαιρέσει & judicio agentis æstimanda sit, etiam in beneficentia spectandum est, quo judicio, animo ac consilio datio fiat, nec ne. Si enim fortè beneficium detur, quod magnum habeat pretium externum, sine judicio tamen, hoc est, temerè sit collatum: & detur item alterum, quod minoris pretii externi sit, cum judicio tamen sit præstitum, pro hoc potius, quàm isto referenda est gratia. Pretium enim illud externum longè vilius est interno, animi & προαιρέσεως rectè adfectæ.

(1) *Sed in collocando.*) Hoc jam toties inculcavit, & pluribus explicatur *c. 2. lib. 9. Nic.*

(2) *Ut quisq; maxime.*) Hic enim officium exigit major Necessitas, cui præcipuè succurrendum est, si cætera sint paria, hoc est, si reliquæ circumstantiæ ita sint comparatæ, ut non aliud suadeant.

(3) *A quo enim.*) Hic est mos utilium & ambitiosorum amicorum atque assentatorum.

(4) *Optimè autem.*) Tertium hoc est, quod spectandum esse monuit in beneficio rectè collocando;

Com-

*junctioque ſervabitur, ſi ut quisque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed, quæ natura principia ſint communitatis, & ſocietatis humanæ, repetendum altius videtur.* (1) *Eſt enim primum, quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate. ejus autem vinculum eſt ratio, & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat*

Communitas ac Societas vitę: quæ cum non una ſit, peregregiè varias ejus ſpecies explicat, atque ita officia Amicitiæ cum Officiis Juſtitiæ & Liberalitatis copulat: de quibus ut plenius conſtet, ex Ariſtotelis 8. *Nicom. cap.* 9. quædam repetemus. Is ita progreditur: Ubi eſt Societas, ibi eſt bonorum communio: Ubi eſt bonorum (addere quoque licet, *& Officiorum*) communio, ibi eſt Amicitia: ubi eſt Amicitia, ibi eſt Jus. Quia verò Societates non ſunt unius generis, aut propinquitatis, hinc porrò colligimus: Qualis eſt Societas, talis eſt bonorum communio: Qualis & quanta eſt bonorum communio, talis ac tanta eſt amicitia: Qualis & quanta fuerit Amicitia, tale & tantum erit jus atque obligatio. Hæc principia ſi iis accommodentur, quæ de variis Societatibus Cicero pòſt diſſerit, facilè intelligitur, quibus ratione Communitatis ac Societatis Vitæ præ aliis ad officia & beneficia exhibenda ſimus obligati. Add. Grotius 2. *de J. B. P. c.* 7. §. 10.

(1) *Eſt enim primum.*) Prima, inquit, & univerſaliſſima Societas & conjunctio humana eſt hominum, quà hominum, ſeu univerſi generis humani. Hujus ſocietatis vinculum eſſe Rationem & Orationem dicit; hæc enim ſunt præcipua Naturæ dona, præ aliis animalibus

*liat inter se homines, conjungit q; naturali quadam societate. neque ulla re longius absumus à natura ferarum: (1) in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus, ſunt enim rationis, & orationis expertes. Ac latiſſime quidem*

libus homini conceſſa. Oratio data eſt, ut Societas poſſet inter homines eſſe & conſervari, cujus effectus enumerat nonnullos, Ratio data eſt, ut Societas illa ſanctè, honeſtè, ſecundum Rationis rectè informatæ regulas coli poſſet. Quia igitur utrâque deſtituta ſunt bruta omnia; hinc nec Societas inter illa eſt propriè ulla, multò minus jus aut honeſtas ſanctitasque morum ulla. Deinde & hoc obſervari meretur, quomodo ſibi & Ratio & Oratio ſint conjunctæ in ſuis functionibus expediendis. Sermo enim character animi ſive τῦ λογισμῦ rectè dicitur. Nec malè ille, τὸν λόγον ῥεῦμα εἶναι τῦ λογισμῦ. Oratio, inquit Ariſtot. 1. *Pol.* 2. *p.* 7. inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt & obeſt, nec minus juſtum & injuſtum. Hoc enim præ cæteris animantibus hominum proprium eſt, ipſum ſolum boni & mali, juſti & injuſti, & aliorum ſenſum habere.

(1) *In quibus ineſſe.*) Juris capax non eſt quiſquam, niſi creatura rationalis, & quidem in ſpecie homo: quæ de re in prolegomenis pluribus diſputatum eſt. Add. *Polyb. lib.* 6. *Juven. Sat.* 15. Dicit verò Cicero brutis tribui ſolere fortitudinem, non autem juſtitiam ac bonitatem. Imò hæc omnia iis nonnunquam tribuuntur, ſed ſingula impropriè, & ex quadam in ipſis umbra ac veſtigio rationis. De Equa appellata juſta, exemplum eſt apud Ariſtotelem. Divinationem quandam

*quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omneis, ſocietas hæc eſt:* (1) *in qua omnium rerum, quas ad communem uſum hominum natura genuit, eſt ſervanda communitas:* (2) *ut quæ deſcripta ſunt legibus, & jure civili, hæc ita teneantur, ut ſit conſtitutum: è quibus ipſis cætera ſic obſerventur, ut in Græcorum proverbio eſt, AMI-*

dam Juſtitiæ in Elephantis obſervat *Plin. lib.* 8. *c.* 5. Idem *lib.* 10. *c.* 74. narrat, aſpidem fuiſſe, quæ ſuum ipſa catulum necaret, quod catulus ille hoſpitis filium interemiſſet. Adde quæ Grotius hanc in rem congeſſit *lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* 1. §. 11.

(1) *In qua.*) Jam quid officii noſtri ſit in hac univerſaliſſima ſocietate, monet, omnium videlicet rerum, pro cujusque hominis neceſſitate communionem eſſe debere. Etſi enim ad ordinem & tranquillitatem civitatum quàm maximè faciat, ut ſint diſtincta etiam privatorum Dominia; rerum tamen noſtrarum communicationem & uſum crebrò relaxare debet Liberalitas, quod ad communiſſima hæc jura bonorumque communicationem homo homini ſit obligatus.

(2) *Ut quæ deſcripta.*) Hic jam duarum Societatum officia videtur copulare. Si qui homines præter univerſaliſſimæ Societatis humanæ jura & officia, commodi ſui ac felicitatis faciliùs promovendæ cauſa Civilem etiam Societatem ineant, certis juribus deſcriptam, tum officia legibus civilibus conſtituta obſervare debent, & ubi iſtis legibus non iniquè impediuntur, ad primæva univerſaliſſimæ humanæ Societatis jura rerumque communionem ſunt obligati; non aliter ac ſi omnes omninò homines ſint amici.

*AMICORVM OMNIA ESSE COMMVNIA.*

(1) *Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejusdem; quod ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest:*

Ut Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
(2) Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Ut nihilominus ipsi luceat, cũ illi accenderit.

*Qua*

Inter quos enim Societas, inter eos jus est, & Amicitia: uti pluribus suprà cognovimus.

(1) *Omnia autem.*) Recenset communia quædam omnium hominum officia, ad quæ illi sint obligati, eaque versibus Ennii proponit, additque omnia alia ejusdem generis homini ab homine deberi. Hinc Juvenalis de Judæis hoc Officium negligentibus: *Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti.* Etsi enim peculiaris victus morumque ratio Judæis præscripta, familiarem cum cæteris hominibus consuetudinem vix pateretur; non tamen inde colligendum erat, extraneis non licuisse benefacere, sive illud laudabile aut rectum non esse, quemadmodum posteriorum magistrorum prava interpretatio concludebat. Atque rectè etiam sentit Seneca, quando 4. *de Benef.* negat; dici posse beneficium ignis accendendi potestatem facere. Aliud enim est Beneficium, aliud est Officium. Simplicius *ad cap. 7. enchir. Epict. Offic ut in universas partes tribuantur, partim sunt adversus homines, & similes, partim adversus præstantiores, partim adversus deteriores, partim etiam fortassis adversus nosmetipsos.*

(2) *Quasi lumen.*) Ovidius:

*Quis vetet apposito lumen de lumine sumi;*
*Atque cavum vastas in mare servet aquas.*

Apud

*Qua ex re ſatis percipitur, ut* (1) *quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique, vel ignoto. ex quo ſunt illa communia,* non prohibere aqua profluente: pati ab igne ignem capere, ſi quis velit: conſilium fidele deliberanti dare. *quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta.* (2) *quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum.* (3) *Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt:*

Apud eundem Lycios Latona ſic alloquitur:

*Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.*

(1) *Quidquid ſine.*) Generali hac regula videtur complecti voluiſſe omnia officia univerſalia hominum: cujus reſtrictionem mox addit, ſi accipientibus ſint utilia, dantibus non moleſta, aut detrimentoſa. Exemplis illam illuſtrat. Quia verò ſuprà rectè monebat, juxta Naturæ jus etiam Civile obſervandum eſſe, dubium non eſt, quin hujus univerſalis regulæ plures etiam reſtrictiones Jus Civile facere poſſit.

(2) *Quare & his.*) Ejusmodi officiorum communicatio ſemper fieri debet, &, quamvis quilibet ſibi ſuisque potiſſimum proſpicere debeat, perpetua tamen obligatione (etſi non ubique æquè arcta) tenetur aliis, ſive privatim ſive publicè, imò ſi fieri poſſit, omnibus ut proſit. Benè Plutarchus 7. *Sympoſiacῶν: Neque alimenta nobis fas eſt perdere, ubi ipſi plus ſatis habemus, neque fontem, poſtquam inde quantum libet potaverimus, obturare aut occultare, neque ſigna navigationis aut itineris abolere, quæ nobis uſui fuerint.*

(3) *Sed quoniam.*) Dicat quis, ſi omnibus egentibus ſubvenire ſumus obligati, nobis ſanè noſtrisque decrimus.

*ſunt: eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo: vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii finem, NIHILOMINVS VT IPSI LVCEAT: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.* (1) *Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. ut enim ab illa diſcedatur infinitate, proprior eſt ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines conjunguntur.* (2) *Interius etiam eſt, ejusdem eſſe civitatis. multa ſunt enim civi-*

*bus*

erimus. Privatorum enim plerorumque parvæ ſunt opes & copiæ, reſpectu tot egentium, qui vix regiis ſumptibus expleri poſſint. Reſpondet itaque Cicero, eo fine ac modo regi debere vulgarem, hoc eſt, erga omnes homines facilem liberalitatem noſtram, ne ipſi egeamus, vel illi qui propinquiori ſocietatis ac conjunctionis gradu à Natura nobis ſunt commendati, ſecundùm ea præcepta, quæ paulò antè dictavit.

(1) *Gradus autem.*) Recedit jam ab infinita illa hominum omnium ſocietate, quæritque contractiores. Quod verò ait, gradus plures eſſe Societatum, idem dicendum de Amicitia, & jure, adeoque & horum eſſe varios gradus, pro cujusque ſocietatis natura. Magis igitur obligati ſumus, ad officia præſtanda, iis, qui ſunt ejusdem gentis, nationis ac linguæ, quàm exteris, peregrinis & Barbaris.

(2) *Interius etiam.*) Arctior etiam Societas & Amicitia eſt inter Cives: quod ex jurium variorumque bonorum & commerciorum, quæ recenſet, communione facilè apparet. Reſpicit verò in ſpecie ad Civilem Societatem Romanorum ſingularium iſtorum enumeratione. De Civium officiis ita diſſerit Simplicius *ad c. 37. Enchir. Epict. Ab adfectione Civis, officium erga illum eſt reperiendum. Eſt autem quædam ea quoq; cognatio. Nam ſi commu-*

*nis*

*bus inter se communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines præterea, & familiaritates, multæq; cum multis res, rationis mater est civitas, & patrem simul ac matrem repræsentat: ea ratione quasi fratres quosdam esse cives, constat. Est & illud in promptu, inter omnes Germanos (de inquilini enim non loquor) etsi longinquam cognationem, tamen quandam intercedere; quamquam cognatio ejusdem originis, necessitudo satis ampla est. Magna enim est ingeniorum similitudo, non in iisdem modò civitatibus, sed etiam nationib. iisdem. Cives igitur sic tractandi sunt, ut cognati: dandaq; opera, ne qua re necessaria egeant: & disciplina eorum pro virili curanda, ut is quoq; fructus ex eis capiatur, ut & apud bonos viros habites, nec in victu & cultu corporis tuēdi causa quidquam desideres, & in periculis auxilio non destituaris. Pupillis quidem & viduis parentis loco esse debes. Potest enim alius pecunia, alius pro autoritate magistratus, alius per amicos, alius bono cōsilio, alius opera corporis, alius deniq; (ut cætera deficiant omnia) animi saltem propensione, & æquè propè dolendo civi suo subvenire. Civis autem, si etiam vicinus fuerit, aliquanto arctiore devincitur necessitudinis vinculo. Ut enim urbem eandem, & familiam eandem, non temerè neq; fortuitò consequimur: sic etiam eundem urbis locum communi quadam ratione sortimur. Major igitur benevolentia & familiaritas vicino debetur, quàm civi: quæq; de cive dicta sunt, uberius & cumulatius in vicino observantur, eiq; & communicantur & acceptæ referuntur quæ possunt omnia. Rebus eorum secundis gratulandū, adversis ingemiscendum, ægrotantes tanquam domestici curandi: & in omnib. aliorū congressib declarandū, se vicino in re nulla justa defuturum, pro virili adjutando. Deniq; turpe habendum & erubescendum est, vicinum ei in re ab aliis adjutū fuisse, qua adjuvari a nobis potuisset.*

*Arctior*

*rationesq; contractæ.* (1) *Arctior verò colligatio est, societas propinquorum: ab illa enim immensa societate humani generis, in exiguum, angustumq; concluditur.* (2) *Nam cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi;* (3) *prima societas in ipso est conjugio: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, & quasi seminarium Reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorum-*

(1) *Arctior.*) Major adhuc conjunctio est Societatum propinquorum, quàm Civium: adeoque quò ex his quæque Naturæ instituto & primævo Ordini propior, ita & major ad officia mutuò præstanda item ibi est obligatio.

(2) *Nam cum sit.*) Repetantur hic textus Aristot. suprà recitati ex 8. *Nicom.* 12. §. 32. & 1. *Pol.* 2. *p.* 3. Per libidinem procreandi autem Cicero intellectum vult naturalem simile generandi appetitum sine ulla fœditate. Simplicius cum explicasset, quid per χέσιν intellectum velit Epictetus, inter alia hæc subjungit ad c. 37. *Mariti & uxoris adfectio media quodammodo esse videtur inter naturales & voluntarias, ut & utrarumq; particeps, & dissimilitudine definienda. Nam maritus, uxoris est maritus: & uxor, mariti uxor.*

(3) *Prima Societas.*) Rectè. Nam omnium Societatum naturalium, Nuptialis prima est, altera est Paterna, tum Herilis, quam quidem omisit. Ex his oritur Domestica Societas: ex Domibus & vicis jam Urbes ac integræ Civitates ac Respublicæ existunt. Hunc progressum eleganter pluribus exponit. Pertinet huc omnino,

*norumq́:* (1) *qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. quæ propagatio, & soboles, origo est Rerumpublicarum.* (2) *sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit caritate homines. magnum est enim, eadem habere monumenta majorum, eisdem uti sacris,* (3) *sepulchra habere communia.* (4) *Sed omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti.*

c.12.l.8.*Nic.* ubi §.5. dicit: ἡ συγγενικὴ κοινωνία φαίνεται πολυειδὴς εἶναι, καὶ ἡ τῆδαι πᾶσα ἐκ τῆς πατρικῆς, *Cognatorum amicitia multiplex videtur esse, totaque à paterna pendere.*

(1) *Quicum.*) Arist.1.*Polit.*1.*p.*4. *Maximè secundum naturam videtur vicus, Colonia Domus esse: quos vocant nonnulli ὁμογάλακτας, natosq́ & natorum natos.*

(2) *Sanguinis autem.*) Ut quæque consanguineorum societas arctior est, & simplici Naturæ instituto vicinior, ita magis magisque se amant, amare certè debent. Multum verò imputat etiam consuetudini & moribus, quemadmodum & Aristot. *d.c.*12.*lib.*8.§.16.*seqq.*& §.26. *seqq.* Illustratque hoc Cicero exemplis in Romana cumprimis Republica usitatis.

(3) *Sepulcra.*) Hæc ideò dicebantur sepulcra familiaria *l.*5.*ff. de religios. & sumpt. fun.* Cum sacris verò sepulcra conjungit, quod hæc non minus sanctè quàm ipsa sacra à familiis fuerint custodita. Sigon. *de jur. civ. Rom. lib.*1.*p.m.*37.

(4) *Sed omnium.*) Hæc adeò præstat reliquis, ut Aristo-

*junctí.* (1) *Illud enim honeſtum, quod ſæpe diximus, etiamſi in alio cernimus; tamen nos movet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. & quanquam omnis virtus nos ad ſe allicit, facitque, ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videatur:* (2) *tamen juſtitia, & liberalitas id maxime efficit.*

*nihil*

Ariſtoteles non aliam amicitiam propriè dictam agnoſcat, quàm quæ eſt inter Viros bonos, reliquas ſpecies ex eventu ſolùm Amicitias æſtimat. Vid. *l.* 8. *Nic. c.* 4. *c.* 5. §. 15. ejuſd. lib. & alibi paſſim. De officiis Amicorum non minus præclarè quàm prolixè diſſerit *ad Epict. Enchir. c.* 37. Simplicius cujus pauca ſolùm hæc dabo: *Etſi autem ea quoque magna & admirabilia bona ſunt amicitiæ, quæ expoſuimus, pleraq; tamen humana ſunt. Quod verò in ea maximum eſt, maximeq; divinum, ignoratur: quod ſincera amicitia mentes amicorum in unum contraheas, meditatio pulcherrima eſt divinæ conjunctionis. Neque enim fieri poteſt, ut ad geniorum & Dei conjunctionem perveniatur, niſi ea, quæ eſt inter cognatos animos, præceſſerit. Rectè igitur Pythagorei præ aliis virtutibus amicitiam coluerunt, eamq; vinculum omnium virtutum eſſe pronuntiarunt. Nam ſi una quævis abfuerit virtus, adeſſe recuſat amicitia. Quis enim injuſtus, aut intemperans, aut timidus, ac magis etiam vecors, boni quod eſt in amicitia capax eſſe queat? Debet igitur, qui amicus eſſe vult, ſemetipſum repurgare, quantum fieri poteſt, à brutis adfectibus, actum ſui ſimile quærere, idq; inventum amplecti, quaſi dimidio animæ ſuæ, alterave corporis ſui parte reperta, ſecundũ fabulam Ariſtophanis.*

(1) *Illud enim honeſtum.*) 8. *Nic.* 5. §. 20. *ſeqq.* 9. *Nic. ult. pr.*

(2) *Tamen juſtitia.*) Quid mirum! ſi enim omnis

Amicitia

(1) *nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. in quibus enim eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficitur q; id, quod Pythagoras vult in amicitia,* (2) *ut unus fiat ex pluribus.* (3) *Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citroque datis, acceptisque. quæ mutua, & grata dum sunt, inter quos ea sunt,* (4) *firma devinciuntur* socie-

Amicitia aliquo jure conservatur, & cumprimis Honesta, si item conjuncta est cum benefaciendi studio, nullum est dubium, quin justitia & Liberalitas seu Beneficentia, plurimum ad Amicitiam possit. Conferantur cum his textus è Philosopho citati.

(1) *Nihil autem.*) 8. *Nic.* 1. §. 27. & c. 12. §. 25. *seqq.* 9. *Nic. ult.* §. 7. *seqq.* Atque hanc ob causam cumprimis vult Arist. Amicos συζῆν.

(2) *Ut unus fiat.*) Pythagoræ hæc tribuuntur: ἡ φιλία ἰσότης, καὶ μία ψυχὴ, καὶ ὁ φίλος ἕτερος αὐτὸς. vid. quæ prolixè differit in Commentario suo ad Convivium Platonis de Amore. *Marsil. Ficinus.*

(3) *Magna etiam.*) Hic de Amicitia Utili loqui videtur. Vid. *l.* 8. *Nic. c.* 3. 4. & 13. & passim alibi. Pertinent huc eximia Simplicii verba *ad cap.* 37. *Enchir. Epict. Tenendum est, quemque suam rectam voluntatem & bonas actiones mutuare Deo, easdemq; magna cum usura, & uberiore quàm homines solent mensura ab eo rependi.*

(4) *Firma.*) Non tamen ita firma, uti in Honesta Amicitia; multis enim querelis obnoxia est utilis: quod pluribus demonstrat Aristoteles.

*ſocietate.* (1) *Sed, cum omnia ratione, animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quàm ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrum. cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omneis omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* (2) *Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt.* (3) *Sed ſi contentio*

(1) *Sed cum.*) Quatenus paterna, aliorumque propinquorum Societates conſiderantur tanquam partes Reipnblicæ ſui totius, videtur verum eſſe, quod Cicero dicit, Rempublicam complecti omnium caritates. Illi quoque conſervandæ omnes Cives & membra non ſolùm quod ad bona, ſed etiam quod ad vitam ſunt obligati. Atque hinc qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *pr. Inſtit. de excuſat. tutor. vel curat.*

(2) *Quo eſt deteſtabilior.*) A contrario oſtendit, quanta ſit illorum impietas, qui patriam & Rempublicam turbant. Notat his verbis præcipuè J. Cæſarem & Triumviros ſuperſtites. Quamvis & ante hos Reſpublica Romana ejuſmodi arſerit facibus, Cinna, Mario, Catilina, Sylla, aliis.

(3) *Sed ſi contentio.*) Redit ad Quæſtionem illam toties decantatam, Quæ quibus ſint tribuenda: *Adi Ariſtot. 9. Nic. 2. Add. Grot l. 2. de J. B. P. c. 7. n. 9. & 10.* Simplicius breviter ita d. l. *Officia, ut in univerſas partes tribuantur, partim ſunt adverſus homines, & ſimiles, partim*

*tio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sunt patria, (1) & parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus: proximi liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere per-*

*tim adversus præstantiores, partim adversus deteriores, partim etiam fortassis adversus nosmetipsos.*

(1) *Et parentes.)* Sic quoque Simplicius ad d. c. docet. *Non eadem tribuenda esse patri & filio, civi & hospiti, bene merito & ei qui læserit, alia denique aliis: pro rutione adfectionis & necessitudinis, quæ cum quolibet intercedit. Alia ratio est adversus patrem, qui post Deum ortus nostri, & totius naturæ nostræ est autor & benefactor. Alia erga filium, cujus ipsi causa sumus, & qui nostri quædam pars est.* Post aliqua interjecta ita idem pergit: *Etsi malus fuerit pater, tamen officia quæ patri debentur, ei præstanda sunt. Omnibus itaq; modis est observandus, & curandus, ut & vitæ nostræ post Deum autor: & quod ejus cura & charitate muniti hucusq; processimus: quod denique cura parentibus, ut quam ab illis mutuam acceperimus, gratis animis, atque uberiore mensura, reddenda est, eorumq; mandata alacriter exsequenda omnia, iis exceptis, quæ animi vitia provocant. Hæc enim citra eorum offensam, quantum fieri potest, recusanda sunt, ut quæ patri animarum displiceant: cedendumque illis est cæteris rebus omnibus, tam externis, quàm ipso corpore. Nam si fortuitis Dominis, argento numerato & corpora & peculia servorum parent; quantò magis parebunt eadem illis, qui naturales ortus nostri autores fuerunt? Quare & verbera patrum æquioribus animis ferenda sunt filiis, quàm servis dominorum; multoq; magis*

*perfugium: deinceps (1) bene convenientes propinqui, quibus communis etiam plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria vitæ præsidia debentur iis maximè, quos ante dixi: (2) vita autem, victusq; communis, consilia, sermones, cohortationes, (3) consolationes, (4) interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maxime: est-convitium, aut contumelia. Itaq; veteres Romanorum leges, tum excellentia naturæ considerata, tum laboribus, quos filiorum causa parentes capiunt, expensis, tum eo etiam consilio, ut liberos omnino patriæ potestati subjicerent (fretæ scilicet naturali parentum erga liberos pietate) & vendendi illos, si vellent, potestatem dedere parentibus, & impunè occidendi. His verò antiquiores ita veneratæ sunt parentes, ut Deos appellare eos non dubitarint: divinam autem excellentiam reveriti, fratres patrum divinos (θείους) appellant: ut demonstrent, quam rationem parentum adversus liberos esse existiment. Sunt autem officia adversus parentes, tum quod æqua sunt, præstanda potissimum, ut ea ratione voluntatem nostram naturæ consentaneam conservemus: tum divinæ vindictæ ratio est rabenda, quod consentaneum est fore, ut tales liberorum erga nos animos experiamur, quales nos adversus parentes nostros præbuerimus.*

(1) *Bene convenientes propinqui.*) De χέσι inter fratres, propinquos, & hinc emergentibus mutuis officiis item cum fructu legi poterit c. l. Simplicius.

(2) *Vita autem victusq; communis.*) 9. *Nic. ult.*

(3) *Consolationes.*) 9. *Nic. c.* 11.

(4) *Interdum etiam objurgationes.*) Arist. 9. *Nic.* 3. §. 13. *seqq.*

Est-q;

(1) *Est q; ea jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.*

(2) *Sed in his omnibus officiis tribuendis, videndum erit, quid cuique maxime necesse sit, & quid quisque nobiscum, vel sine nobis aut possit consequi, aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui & temporum. Suntque officia, quæ aliis magis, quam aliis, debeantur:* (3) *ut, vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem: at, si lis in judicio sit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia*

(1) *Est q; ea jucundissima.)* Hoc obtinet in quôque Amicitiæ genere, honesta, utili, jucunda; ut tamen maximè & naturalis sit amicitia eorum, qui honestorum morum similitudine fuerint conjuncti.

(2) *Sed in his.)* Conjunctionum gradus satis accuratè posuit, & officia juxta illos descripsit. Hic verò exceptionem quandam subjungit, non esse eosdem gradus necessitudinum, qui sint temporum, τῶν καιρῶν, hoc est, τῶν χρείας ἀσεων. Necessitas igitur atque indigentia nonnunquam hosce gradus officiorum laxat, ut sæpè non conjunctissimi, sed egentissimi sint juvandi. 9. *Nic.* 2. §. 12. In officiis igitur Liberalitatis rectè collocandis non solùm Societatum naturalium gradus, sed & alias circumstantias spectare nos oportet: qua de re etiam quædam in Prolegomenis diximus.

(3) *Ut vicinum.)* Hinc Salomon, Melior est vicinus proximo, quàm frater procul habitans. Vicini enim mutuas sibi operas tradere debent in re familiari paranda.

*talia circumſpicienda ſunt in omni officio: &* (1) *conſuetudo, exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed, ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoque, exercitationemque deſiderat.* (2) *Atque ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ, quemadmodum ducatur honeſtum,* (3) *ex quo aptum eſt officium, ſatis fere diximus*

*In-*

Atquando in judicio de fortunis, de fama aut capite fratris agitur, huic potius ut conjunctiori patrocinium eſt præſtandum, quàm vicino. Repetantur hic, quæ paulò antè de officiis Civium & Vicinorum ex Simplicio recitavi.

(1) *Conſuetudo.*) Finis enim hujus doctrinæ de officiis eſt πρᾶξις, ad quam rectè condiſcendam multùm confert Adſuefactio & Exercitatio. Ariſtot. 2. *Nicom.* 1. §. 17. *ſeqq.* & c. 4. §. 7. uſque ad fin. Et 10. *Nicom. ult.* §. 2. *ſeqq.* Comprobat idem Cicero variarum Artium Inductione facta: *Virtutis laus omnis in actione conſiſtit*, inquit is alibi.

(2) *Atq; ab iis.*) Tranſitio ab officiis Juſtitiæ & Liberalitatis ad Fortitudinem, ejuſque officia.

(3) *Ex quo aptum.*) Vulgò dicimus, ex quo dependet. Alii legunt: *Ortum eſt.*

*Intelli-*

(1) *Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quatuor, è quibus honestas, officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno, elatoque, humanasque res despiciente factum sit.* (2) *Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:*

Vos etiam juvenes, animum geritis muliebrem,
Illa virago viri.

*& si quid hujusmodi:*

(3) Salmacida spolia sine & sudore, & sanguine.

*Contra-*

(1) *Intelligendum est.*) Fortitudinem & μεγαλοψυχίαν animi Magnitudinem hic conjungit, imò confundit; sicuti antè Justitiam & Liberalitatem. Elatus verò animus non denotat hic inflatum ac superbum animum, sed generosum excellentemque.

(2) *Itaq; in probris.*) Sicuti ignaviæ ac imbelliæ summum est dedecus, ita contrarii habitus, Fortitudinis putà, summum est decus atque laus. Adfert autem ex Ennio verba Imperatoris militum ignaviam increpantis.

(3) *Salmacida spolia.*) Hæc ita explicat Scaliger ad *Auson. l. 1. Lect. c. 28. Ad eosdem*, inquit, *molles & effœminatos pertinet versus ille in eodem Epigrammate: Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum. Obtinuit enim apud Veteres, eum fontem effœminatos, & cinædos efficere: Unde locus fabulæ de Hermaphrodito. Unde etiam Ennius videtur dixisse Salmacida spolia. Non enim disjunctim, sed sic legendum, Salmacida spolia, h. e. victoria non virilis, sed effœminata. At vetus Glossarium Salmacidā*

(1) *Contraque in laudibus, quæ magno animo & fortiter, excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris, Stratocle: hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles q; alii: maximeq; ipse populus Romanus animi magnitudine excellit.* (2) *Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque*

*interpretatur, ἁλμυρὸν. Ita apud Ennium Salmacida spolia, non θύλακα, sed ἐυθήρατα erunt. Nam captura marina facilior est, quàm venatio: ideoque ἀναίμακτος, cum tamen venatio ferarum neque ἀναίμακτος, neque ἀκίνδυνος sit.* Ita *igitur Ennius interpretandus erit.* Hæc ille. *Strabo lib. 14.* καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη δεδιάβληται ἔκ τινος αἰτίας, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας ἀπ' αὐτῆς. *Item Salmacis fons traduci solitus est, nescio quam ob causam, tanquam emolliens eos, qui inde bibant.* Fuit etiam Nympha ejusdem nominis. Hæc obiter.

(1) *Contraque in laudibus.*) Laus est testimonium externum virtutis, sicuti vituperium vitii. Benè verò observat Cicero, vulgari hominum calculo vix quenquam tantoperè ex ulla alia virtute laudari, quàm ex Fortitudine, sine dubio, quod hæc virtus difficillimum objectum sibi habeat propositum, pericula belli, vulnera, mortem: & quod Fortes tempore maximè necessario Reipublicæ subveniant: Vnde etiam Fortitudo & Græcis ἀρετὴ, & Latinis virtus κατ' ἐξοχὴν dicitur. *Plutarchus in vita Coriolani pr.*

(2) *Declaratur.*) Ejusmodi enim Heroibus, qui Fortitudine sua Patriæ cumprimis profuerant, statuæ solebant

*quoque videmus ornatu fere militari.* (1) *Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est: non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.* (2) *Itaque probe definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus*

bant poni accommodatæ, videlicet ornatu militari expolitæ, pedestres, equestres, triumphales. Apud Tacitum 4. *Annal.* fit mentio Statuarum laureatarum; Statuæ enim victoribus decretæ, lauru etiam cingi solebant. Præterea & enses gestabant Statuæ, & clypeum. Vide Paralipomena Dempsteri *ad Librum* 9. *Rosini de Antiqq. Rom.* Atque hæc omnia fiebant, ut major laus accederet viris fortibus, & ad felicem imitationem his exemplis & monumentis alii excitarentur.

(1) *Sed ea.)* Vnaquæque actio ex fine vel Honesta est vel Turpis: Fortitudo igitur cum ut honestissima res laudari soleat, Finis quoque ejus, cujus causa exercetur, honestus sit necesse est. Fortis omnis nonnisi honesti causa agit., inquit *Arist. 3. Nicom. cap. 7. §. 11. seqq.* Qui igitur Imperii, aut lucri, aut prædæ adipiscendæ studio imprimis militant, boni milites aut verè fortes non sunt. Vid. cumprimis Grotius *lib. 2. de J. B. P. c. 24. & l. 3. c. ult.*

(2) *Itaque probè.)* Stoicæ hujus definitionis hoc videtur fundamentum, quod omne bellum, sive publicum, sive privatum proximè oriatur ex Injusto. Vel igitur nostrum jus nostraque bellicâ vi defendimus, vel

*cutus est*, (1) *insidiis, & malitia, laudem est adeptus: nihil enim honestum esse potest, quod justitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: Non solum, inquit, scientia quæ est remota à justitia, calliditas potius, quam sapientia, est appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis. Itaque viros forteis, & magnanimos,* (2) *eosdem bonos, & simpliceis,* (3) *veritatis amicos, minimeq; fallaquod injuria ablatum est, repetimus & vindicamus, vel aliquando & pœnas justè exigimus.*

(1) *Insidiis.*) Hic quæri posset, an in bello nullo planè stratagemate, insidiis, aut dolo uti liceat? Respondet Augustinus: *Cum justum*, ait, *bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Huic Chrysostomus etiam adsentitur: ne dicam de Homero, Virgilio, aliisque quorum testimonia adfert Grotius *3. de J.B.P.c.1. n.6. seqq.* Hinc Romani Veteres quendam faciebant Dolum Bonum, & *pro solertia hoc nomen accipiebant: maxime, si adversus hostem latronemve quis machinetur.* Verba sunt Ulpiani *l.1. ff. de dolo malo.* Vide, quæ uberiùs ad d.l. Grotii hac de re commentati sumus.

(2) *Eosdem bonos.*) Quia enim non solùm ex sententia Peripateticorum, sed & Stoicorum, est omnium virtutum ἀνακολουθία, rectè colligit, Fortis qui propriè sit, eundem quoque esse virum bonum, & Justum. Et cùm inter καλοκἀγαθίαν & Prudentiam par sit nexus, idem quoque est vir bonus & vir prudens. *add. c. ult. & pen. l. 6. Nicom. & 9. Nic. c. 8. §. 36. seqq.*

(3) *Veritatis amicos.*) Quatenus in bellis mendacium vel

*fallaceis esse volumus*: (1) *quæ sunt ex media laude justitiæ.* (2) *sed illud odiosum est, quod in hac elatione, & magnitudine animi facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innascitur.* (3) *ut enim apud Platonem est, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi: sic, ut quisq; animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium esse, vel potius*

vel falsiloquium inveniat locum, disputat Grotius loco modo citato, quem non paucis illustravimus.

(1) *Quæ sunt.*) Veritas alia est Philosophis proposita, alia pars Justitiæ, quam suprà appellabat Fidem, hanc Justitiæ fundamentum esse adserens: alia est, quæ pertinet ad ὁμιλίαν, ipsaque inter virtutes ὁμιλητικὰς recensetur. Aristot. 4. *Nicom.* 7. toto capit. & speciatim §. ejus 15.

(2) *Sed illud.*) Illa naturalis animi magnitudo, nisi perficiatur veræ Fortitudinis habitu, facilè pertinaciam & φιλαρχίαν attrahit, ut ne latum quidem unguem de sua sententia velit discedere, sed ambitiosè pertendat, nec nisi primo loco consistere velit. Videre hoc licet in æmulis belli Ducibus. Cicero quidem notare his verbis videtur Cæsarem & Pompejum, quorum hic non poterat ferre parem, iste non superiorem.

(3) *Ut enim.*) Confirmat hoc exemplo Lacedæmoniorum & testimonio Platonis *in Lachete*, qui de his testatur, quod nihil æquè ipsis curæ fuerit, quam quomodo possent alios opprimere, & ipsi superiores esse. Jungatur his pulcherrimus textus Arist. 1. *Polit.* 14. *pag.* 485. Οἱ δὲ νῦν ἀθλητὰ δοκοῦντες. &c. ubi item Lacedæmoniorum rigorem & instituta ad bella tantùm non unicè comparata improbat.

Diffi-

*potius ſolus eſſe.*(1) *difficile autem eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſervare* (2) *æquitatem, quæ eſt juſtitiæ maxime propria. ex quo fit, ut neque* (3) *diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur.* (4) *exiſtuntque in republica plerumque largitores & factioſi, ut opes quam maximas conſequantur, & ſint vi potius ſuperiores,*

(1) *Difficile eſt*) οὐδεὶς γὰρ ἂν ἄρχειν αἰτήσαιτο, μὴ φιλότιμος ὤν. καί τοι τῶν γ' ἀδικημάτων ἐνιοῖς τὰ πλεῖστα ζυμβαίνει, ἡδονὴν διὰ φιλοτιμίαν καὶ διὰ φιλοχρηματίαν τοῖς ἀνθρώποις. *Nullus enim Imperium peteret, qui non cupidus honoris eſſet; cum maxima pars injuſtorum factorum, quæ ſponte faciunt homines, fermè proficiſcatur ab Ambitione & Avaritia* inquit Ariſt. 2. *Pol. c.* 7. *p.* 113.

(2) *Æquitatem.*) Ponitur hæc vox hic pro Æqualitate, ut ſæpe aliàs; propriè enim Æquitas eſt, quæ Græcis dicitur ἐπιείκεια, Juris legitimi correctio. Quomodo verò Æqualitas maximè propria ſit Juſtitiæ, docetur prolixè 5. *Nicom.*

(3) *Diſceptatione.*) Scilicet forenſi; protinus ad arma convolant. Hinc ſuprà dicebat, duo eſſe genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim. Ejus erat ingenii Marius, qui negabat præ armorum ſtrepitu leges à ſe exaudiri poſſe: His alia gemina legere eſt in *Proleg. Grotii.*

(4) *Exiſtuntq.*) His verbis ſine dubio iterum deſignat Cæſarem, qui largitionibus ſuis corrupit popellum, & ea ratione ad ſummos magiſtratus ac opes, hoc eſt, potentiam graſſatus eſt; mox etiam eò contendit, ut vi potius ſuperior, quàm jure aliis par eſſet. Benè monet Ariſto-

*periores, quam justitia pares.* (1) *sed quo difficilius, hoc præclarius. nullum est enim tempus, quod justitia vacare debeat. Fortes igitur & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. vera autem, &* (2) *sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat: principemque se esse mavult, quam videri.* (3) *etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic*

Aristophanes *in Ranis*: Leoninum catulum in urbe non esse alendum: aut si alatur, adsuefaciendum esse, legibus ut pareat.

(1) *Sed quo difficilius.*) Quantò difficilius est, ne quis animi sui magnitudine ac potentia abutatur, ad injustitiam, tantò præclarius est, si quis hasce virtutes semper copulatas habeat. Benè item Poëta:

*Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit*
*Oppida, nec virtus altiùs ire potest.*

Seneca 1. *de Benef. c. 7. Gentes facilius est barbaras impatientesque regere, quàm animum suum continere.* Et Valer. Max. *lib.* 4. *c.* 1. *Multò seipsum, quàm hostem superare operosius est.*

(2) *Sapiens animi magnitudo.*) Hoc est, Fortitudo, cum Prudentia conjuncta, à qua in singulis actionibus regatur, ipsius honestatis causa pericula resque magnas adit, non gloriæ cupiditate: atque ita non ex ambitu principem locum, sed ex meritis honestisque factis consequitur.

(3) *Etenim qui.*) Dicas, vulgò tamen haberi fortissimos, & tales tantùm non ab omnibus prædicari, qui quavis ratione ad gloriam contendentes præ aliis excellant,

*hic in magnis viris non est habendus.* (1) *Facillime autem ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriæ cupido. qui locus est sane lubricus: quod vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non, quasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam.*

(2) *Omnino fortis animus, & magnus, duabus rebus*

lant. Respondet Cicero: Non esse verè Fortem aut Magnanimum, qui à judicio vulgi pendeat, ejusve opinionibus. Cum enim virtutis suæ conscientia contentus esse possit, cur velit vanam vulgi gloriolam & applausum aucupari?

(1) *Facillime.*) Quàm difficile sibi moderari sciant generosa ejusmodi pectora, denuo docet. Quando enim quis id fastigium est consecutus, ut aliis jam potentior sit, iisque leges præscribere queat, solet profectò illa potentia plerumque ad gloriæ opumque cupiditatem converti, neglectâ æquitate, bonove publico. Pertinent huc exempla eorum, qui rerum feliciter gestarum successu intumuerunt, & victoriis impotenter abusi fuerunt. Hæc item in Cæsarem conveniunt, cujus ambitionem sine dubio his ipsis notare voluit libertatis & æqualitatis in Republica amantissimus Cicero.

(2) *Omninò fortis.*) Quemadmodum suprà Sapientiam & Prudentiam, tum Justitiam & Liberalitatem, ita hìc Fortitudinem cum Magnanimitate confundit, uti suprà jam monitum est, quæ virtutes cum revera specie sint distinctæ, specie distincta sequitur, ut sint illarum officia, quæ rectius etiam distinctè proponerentur, etiamsi propter Stoicam hypothesin, individuum esse καλοκαγαθίας nexum, uni subjecto omnia virtutum officia tribui possint.

Qua-

*rebus maxime cernitur: (1) quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum, decorumque sit, aut (2) admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulli neque homini, (3) neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere. (4) altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem, & maxime utileis, sed & vehementer arduas plenasque laborum, & periculorum, (5) tum caussa vitæ, tum multarum, alia-*

(1) *Quarum una.*) Hæc Arist. ad Magnanimitatem refert, 4. *Nic.* 3. §. 43. §. 68. §. 39. 73. & 9. *Nic.* 8. §. 38.

(2) *Admirari.*) Idem dicit Horatius:

*Nil admirari prope res est una, Numici,*
*Solaque, quæ possit facere & servare beatum.*

Admiratio hic intelligitur imprudens rerum vanarum. Alia est admiratio, quæ principium Philosophiæ dicitur, qua homines ad rerum causas investigandas excitati sunt.

(3) *Neque perturbationi.*) μάλα στωικῶς. Quia enim hæc secta adfectus omnes penitus exstirpatos esse voluit, non potest non à viro forti & magnanimo exigere, ne unquam cedat adfectibus, aut committat, ut ab iis vincatur.

(4) *Altera est.*) Proponit alterum Magnanimitatis objectum. Adde Arist. *d. l.* 4. *c.* 3. §. 55. & 9. *Nicom.* 8. §. 37. *seqq.*

(5) *Tum causa vitæ.*) Duos fines videtur conjungere, cur ita se gerere debeat Magnanimus & Fortis, primo vitæ honestè ac pacatè transigendæ gratia; ita enim hæc

*aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent.* (1) *Harum rerum duarum splendor omnis, & amplitudo est, addo etiam utilitatem, in posteriore: caussa autem, & ratio efficiens magnos viros, est in priore. In eo enim est illud, quod excellenteis animos, & humana contemnenteis facit.* (2) *Id autem ipsum cernitur in duobus, si & solum id, quod honestum sit,*

hæc accipio propter præcedentia: tum propter αὐταρκειαν, rerumque copiam, quibus homini ad vitam commodè transigendam opus est. Primarius enim cujusque viri boni, qualis certè est Magnanimus 4. *Nicom.* 3. §. 26. finis est, ut ipsius honestatis amore benè agat, tum ubi meminerit, se esse ζῶον πολιτικὸν, aut civem, ut publicè prosit.

(1) *Harum rerum.*) Duas has Fortitudinis partes inter se contendit, dicitque, priorem illam, rerum externarum, opum, gloriæ, ipsius vitæ, despicientiam posse statui causam efficientem posterioris facultatis, qua res magnas gerimus: Dignitatem verò ac merita viri fortis ac magnanimi præprimis conspici in posteriori. Si hæc juxta Peripateticorum placita rigidè examinentur, vera haut esse videntur. Quomodo enim specie distinctarum virtutum officia possint ejusmodi inter se habere nexum, qualis est inter causam & effectum? Benè verò hactenus dicetur, hæc esse valdè cognata & adfinia, ut qui res externas non magni faciat, invicto etiam ferè sit animo, ad res arduas obeundas. Quid quod Aristoteles docet, Magnanimitatem esse talem habitum, qui comprehendit, quicquid magnum est in quaque virtute? 4. *Nicom.* 3. §. 27. & 31.

(2) *Id autem ipsum.*) Illam despicientiam in duas partes

*ſit, bonum judices, & ab omni animi perturbatione liber ſis.* (1) *Nam & ea, quæ eximia plerisque, & præclara videntur, parva ducere: eaque ratione ſtabili, firmaque contemnere, fortis animi, magnique ducendum eſt: & ea, quæ videntur acerba, quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaq; verſantur, ita ferre* (2) *ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas* (3) *nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, ma-*

partes ſubdividit, quarum prima eſt, rectum de bonis judicium, in quorum numero nihil ex Stoicorum hypotheſi ponendum eſſe ait, niſi honeſtum. Omiſſa verò principii hujus conſideratione, de quo pluribus infrà agendum, prioribus ſanè conſentit Ariſt. 4. *Nic.* 3. §. 54. ὁ μεγαλόψυχος δικαίως καταφρονεῖ. δοξάζει γὰρ ἀληθῶς. οἱ δὲ πολλοὶ, τυχόντως. *Magnanimus non injuria deſpicit. De rebus enim verè opinatur & judicat. At vulgus, quomodocunque ſors tulerit, judicet.* Hinc Cicero 5. *Tuſcul. Securitatem nunc appello, vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata poſita eſt.* Atque hujus ſecuritatis ille, paulò poſt mentionem facit. Altera illius pars eſt ἀπάθεια, Stoicorum commentum, in qua illi ſummum bonum collocabant.

(1) *Nam & ea.*) His verbis præcedentium explicatio continetur: quibus magnam lucem adferre poterunt textus illi Ariſtotelici allegati.

(2) *Ut nihil à ſtatu.*) Stoicè. Hoc eſt, quod aliàs non una loquendi formula ac figura ſignificant: ſecundùm naturam vivere, convenienter naturæ vivere, Naturam ſequi, ſibi conſtare, ſe Deo tradere, Deum ſequi. Adde Lipſium *lib.* 2. *Manud. ad Philoſ. moral. Stoic. c.* 14. *ſeqq.* & quæ ſuprà hac de re propoſuimus.

(3) *Nihil.*) Et hoc Stoicum Panætii Spiritum redolet.

*magnæq; conſtantiæ.* (1) *Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate: quamobrem & hæc vitanda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas. nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honeſtius, magnificentiusque, quam pecuniã contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemq; conferre. Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas, ut ſupra dixi. eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. Vacandum autem eſt omni animi per-*

(1) *Non eſt autem.*) Oſtendit, quænam Fortitudini repugnent, & ſubindicat, ubi horum unum deprehendatur, ibi non eſſe veram Fortitudinem ac Magnanimitatem. Primum igitur vitium Fortitudini non conſentaneum dicit eſſe, φιλησονίαν, deinde φιλοπλουτίαν, tum φιλοδοξίαν verb. *cavenda eſt.* &c. Denique φιλαρχίαν, verb. *Nec verò* &c. Cognata verò Fortitudini dicit eſſe Pecuniarum contemptum, ſi non habeas; vel ſi habeas, ut Liberalis ſis: deinde ſtudium libertatis (cujus jugulum petere ſolet ambitio) conſervandæ, imperii non ambitioſa adfectatio, vel etiam detrectatio ac recuſatio, denique ἀπάθεια; Hinc enim oriri εὐθυμίαν, ſecuritatem, inquit Cicero, conſtantiam ac dignitatem. Quod verò dicit de Imperiis, vel non accipiendis vel deponendis, ita interpretari debemus, ſi utrobique id ſuadeat vel major utilitas; vel jubeat honeſtas. Si enim alii te rectiùs gerere Imperium

*perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia; ut tranquillitas animi adsit, & securitas, quæ affert tum constantiam, tum etiam dignitatem.* (1) *Multi autem & sunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se remo-*

Imperium possint, tu illis cedes illud, non accipies. Depones, si vel leges ita jubeant: vel ex aliis causis tale quid fieri honestas, vel major utilitas commendet. Nam temerè imperium seu magistratum recusare, aut deponere, bono civi integrum non est. Arist. 4. *Nicom.* 3. §. 38. *seqq.* Videtur autem Cicero notare denuò Cæsarem, qui sanè elatissimi erat animi, & ex provincia privatus discedere, aut post à dictatura, nolebat.

(1) *Multi autem.*) Temeritatis est, res magnas, quibus impar sis, aut non satis tibi exploratas, aggredi: ne igitur rebus turbulentis ac impeditis, qualia certè multa sunt negotia civilia, se miscerent, faciliusque tranquillitatem adipiscerentur, à publicis negotiis ad otium vitamque privatam multi transierunt. Quos sanè ita videtur hic laudare, ac si sui sit oblitus; supra enim dicebat, contra officium esse, si quis solius contemplationis studio se negotiis civilibus subducat. Hic igitur Cicero, cum oppressæ Reipublicæ Romanæ valedixisset, secessumque quæsivisset, jam Stoicos & Epicureos sequitur, quorum Sapiens non accedet ad Rempublicam. Vide *Plut. de contrar. Stoic. Senec. de Otio Sap. cap.* 30. & 31. Gassendus *in Animadvers. ad moral. Philos. Epicuri. pag.* 1207. Sanè quod exempli loco Philosophos adfert, tolerari potest, si excellentes sint, & suo studio ac institutione Reipublicæ prosint. Aliàs in Democratiis, populi, aut in

*removerunt, ad otiumque perfugerunt. In his & nobiliſſimi Philoſophi, longeque principes, & quidam homines ſeveri, & graves, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt:* (1) *vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari.* (2) *His idem propoſitum fuit, quod & regibus, ut ne*

Monarchiis Principum diverſis ſtudiis, invidiâ, metu, ac moroſitate nemo bonus & fortis civis ſe patietur facilè abſterreri à magiſtratibus gerendis. *Quare iſtos* (de Epicureis loquitur) *ſine ulla contumelia dimittamus. Sunt enim & boni viri, & quoniam ſibi ita videntur, beati, tantumque eos admoneamus, ut illud etiam ſi eſt veriſſimum, tacitum tamen, tanquam myſterium teneant, quod negant verſari in Republica, eſſe Sapientis. Nam ſi hoc nobis, atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, otioſi. Cic. 3. de Orat. p. m. 266.*

(1) *Vixerunt.*) Non ſolùm vitam privatam otioſam, perpetuò amplexi ſunt Philoſophi quidam, aliique viri graves, ſed & plurimi Senatores ac Magiſtratus Romani, ubi vacatio dabatur, hanc remiſſionem animi & ſeceſſus perlibenter quærebant. Exemplo ſit T. Pomp. Atticus, qui æſtuante bello civili, ſe in agro abdebat. Idem tandem & Cicero faciebat, cum videret agi ferri omnia. Et ante hos impensè vitam ruſticam adamabant Qu. Cincinnatus, Cato, alii.

(2) *His idem.*) Hæc ſûnt planè Stoica. Horum enim ſapiens Rex eſt, ſemper liber, ubique felix, & αὐταρκὴς. Quo verò pacto idem fuerit propoſitum Philoſophorum & Regum ita explicat Cato apud Ciceronem 3. *de finib. ſub f. Sapiens rectius appellabitur Rex, quàm Tarquinius, qui nec ſe, nec ſuos regere potuit: rectiùs Magiſter populi, (is enim eſt Dictator) quàm Sylla, qui trium peſtiferorum*

*ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur:* (1) *cujus proprium est, sic vivere, ut velis.* (2) *Quare, cum hoc commune sit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis; alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant: alteri, si contenti sint & suo, & parvo. In quo quidem neutrorum omnino contemnenda est sententia:* (3) *sed & facilior, & tutior, & minus aliis gravis, aut molefero-*

*rum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit: rectius Dives, quàm Crassus, qui, nisi eguisset, nunquã Euphratem, nulla belli causa transire voluisset. Rectè ejus omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus. Rectè etiam Pulcher appellabitur; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quàm corporis: Rectè solus liber, nec dominationi cujusquam parens, neque obediens cupiditati: Rectè invictus, cujus etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula injici non possunt.*

(1) *Cujus proprium.*) Hinc definitur JCto l. 4. ff. *de stat. hom. Libertas, naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibetur.* Nam ut Cicero pro Cluentio ait, ideò Legum servi sumus, ut liberi esse possimus. οὐκ ἐστὶ δουλεία τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν. Non est servitus vitam juxta Reipublicæ finem & leges componere. *Arist.*

(2) *Quare.*) Ex præcedentibus colligit, non solùm Magnates, sed & Philosophos ejusque generis alios tranquillæ vitæ studiosos posse esse magnanimos: illos quidem hanc altitudinem ex potentia & honoribus consequi, hos ἐκ τῆς ἀυταρκείας.

(3) *Sed &.*) Contendit horum vitas inter se, & utriusq; commoda & incommoda innuit. Otiosorum tutior est, ac Politicorum fructuosior & honorabilior, benè



Digitized by Google

de

*moleſta vita eſt otioſorum: fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemq; aptior eorum, qui ſe ad Rempublicam & ad res magnas gerendas accommodaverunt.* (1) *Quapropter & his forſitan concedendum ſit Rempublicam non capeſſentibus, qui excellenti ingenio, doctrinæ ſeſe dediderunt; & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſſa impediti, à Republica receſſerunt, cum ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis laudemq; concederent.* (2) *Quibus autem talis nulla eſt cauſſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique admirentur, imperia, & magiſtratus, his non modo non laudi, verum etiam vitio dandum*

de Republica & privatim merentium, & nominis immortalitatem ſibi conſtituentium.

(1) *Quapropter.*) Monet, non videri illos contra officium facere, qui doctrinæ ſtudio à Republica recedunt, ut Plato; modo hoc privato ſtudio ſaltem aliqua ratione publicè proſint, ingenii monumenta poſteritati relinquentes: multò minus illos, qui valetudine, ut Scipio ſuperioris Africani filius aliave graviote cauſa, ut ipſe Cicero Cæſaris tyrannidem abominans ac fugiens, impediuntur.

(2) *Quibus autem.*) Si qui ſint, qui ejuſmodi honores contemnant non juſta aliqua cauſa adducti, ii potius ceu ignavi ſunt reprehendendi, μικρόψυχοι dicti Ariſtot. 4. *Nic.* 3. §. 78. 83. Et 4. *Nicom.* 4. §. 4. ita docet: φιλότιμος eſt, *quem vituperamus, tanquam nimiâ honoris cupiditate inflammatum, honoremque, unde non oportet, aucupantem: & honoris contemptorem item, ut qui ne ex honeſtis quidem rebus adipiſcendi honoris conſilium capiat.*

Quo-

*dum puto.* (1) *Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu est non probare: sed videntur labores, & molestias tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam, timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi constent, voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores, gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter.* (2) *Sed iis qui habent à natura adjumenta rerum gerendarum,*

(1) *Quorum judicium.)* Duplex hîc primùm constituenda est gloria, una externa, altera propriè dicta, quę virtutis est merces. Hanc uti nemo prudens contempserit, ita istam non magnifacere, generosi videtur esse animi. Cæterum à Magistratibus, externa gloria renidentibus, alienum habere animum nonnullos videas, non tam splendorem illum generosè contemnentes, quàm metu infamiæ & fuga laborum absterritos, qui sanè non magnanimi, sed ignavi & μικρόψυχοι dicendi sunt. Qui enim verè velit esse magnanimus & bonus, is non solùm debet animum habere benè compositum, adversus voluptatis insultus: sed & adversus metus & molestiarum terriculamenta, atque hæc constanter contemnere, non alibi contemnere, alibi expavescere. Add. *Arist.* 4. *Nic.* 3. §. 39.

(2) *Sed iis.)* Inversione utitur: quò magis externa illa despiciunt, & quò majoribus sive Naturæ sive Fortunæ dotibus sunt instructi tantò majori alacritate Rempublicam capessere debent. Cujus rei duas adfert causas, quod sine Imperio & Magistratu Respublica esse, & sine despicientia externi splendoris generosè regi nequeat,

*darum,* (1) *abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda Respublica est. Nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo potest.* (2) *Capessentibus autem Rempublicam nihil minus quam Philosophis, haud scio an magis etiam, & magnificentia, & despicientia adhibenda est rerum humanarum, quam sæpe dico, & tranquillitas animi, atque securitas: siquidem nec anxii futuri sunt, & cum gravitate con-*

deinde, quod vile latens virtus. Præterea cum homo sit ζῶον πολιτικὸν, non solùm ad parendum, sed & ad imperandum se meminerit à Natura esse conditum, siquidem singulares ab ea dotes & adminicula, quod eum in finem acceperit, nec lex obstet. Quid quod omnis Civis pars est Reipublicæ adeoque ad totius conservationem sit obligatus: Conservatur verò Respublica justo ac legitimo imperio. Benè Aristot. δεῖ βυλόμενον, καὶ μὴ βυλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον. *Imperium suscipere oportet, sive volentem, sive invitum eum, qui ei par est.*

(1) *Abjecta.*) Arist. 4. *Nic.* 3. §. 21. *seqq.*

(2) *Capessentibus.*) Qui jam huic Clavo manum admoverunt, ita statuent, non minus sibi, imò magis necessariam esse magnanimitatem, quàm Philosophis; sic enim nec anxii adversus fortunæ procellas, nec insolentes in re lauta erunt. Qui igitur imperia capessunt, boni publici amore adduci debent, non externæ gloriæ cupiditate, quin potius Philosophica generositate eam contemnere, sic nihil superbè facient, & plurimis involuti negotiis nihilominus bonæ conscientiæ tranquillitate ac securitate fruentur.

*constantiaque victuri.* (1) *Quæ eo faciliora sunt Philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent: & quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt.* (2) *Quocirca non sine causſa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda Rempublicam gerentibus, quam quietis: quo magis his & magnitudo animi est adhibenda, & vacuitas ab angoribus.* (3) *Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne*

(1) *Quæ eo.*) Fortuna suis insultibus non æquè lædit Philosophos, atque eos, qui externam gloriam, potentiam, honores, opes, populique applausum magnifaciunt. Hanc Philosophorum conditionem & mentem eleganter exprimit Horatius *lib. 3. od. 29.*

*Fortuna sævo læta negotio, &*
*Ludum insolentem ludere pertinax,*
*Transmutat incertos honores,*
*Nunc mihi, nunc alii benigna.*
*Laudo manentem: si celeres quatit*
*Pennas, resigno quæ dedit, & mea*
*Virtute me involvo, probamque*
*Pauperiem sine dote quæro.*

(2) *Quocirca.*) Generosior quædam indoles ac virtus opus est imperantibus, quàm privatis. Quod ipsum consentaneum est doctrinæ Peripateticæ; docet enim Aristot. in Politicis, alias esse virtutes imperantium, alias parentiũ.

(3) *Ad rem.*) Sicuti propter ignaviam non debemus nos Reipublicæ muniis subtrahere, ita nec temerè illa adfectare, sed antè explorare, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Est enim res pulchetrima non solùm



Digitized by Google

*ne id modo consideret, quam illa res honesta sit: sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem, in quo ipso considerandum est, ne aut temerè desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem.* (1) *In omnibus autem negotiis priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.* (2) *Sed cum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas; minuenda est hæc opinio. Multi enim bella sæpe quæsiverunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis, ingeniisque plerumque contingit; eoque magis, si sunt ad*

Imperare, sed & difficillima: à qua proinde imprudens planè abstineat, & peritus peritiori cedat. Majora igitur viribus aggredi temeritatis est: quæ possis, in his tibi diffidere, ignaviæ.

(1) *In omnibus.*) Hæc est generalis regula, in omnibus deliberationibus ac gravioribus negotiis observanda. Nam antequam incipias consulto; ubi consulueris, maturè facto opus est.

(2) *Sed cum.*) Dividit Fortitudinem hîc in Togatam sive Civilem & Bellicam, easque inter se confert, sic ut eò inclinet, quod hâc ista præstantior sit, sicuti ipsa pax bello. Etsi enim & bellica Fortitudo sit amplissima Virtus, danda tamen potius opera est, ut in pace vivamus. Cæterum latiùs illum significationem Fortitudinis extendere, facilè apparet. Togata enim illa est potius quædam animi præsentia, vigilantia ac magnanimitas, cum Prudentia conjuncta. Hinc à Cicerone persuasus ita colligit Gassendus *de mor. Philos. Epic. pag.* 1484. etiamsi Fortes κατ' ἐξοχὴν illi censeantur, qui se fortiter excellenterque in bello gerunt, non in iis tamen solis virtu-

tem

*ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus judicare, multæ res extiterunt urbanæ majores, clarioresque, quam bellicæ.* (1) *Quamvis enim Themistocles jure laudetur, & sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius, citetur q; Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas; non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixit, in quo ipse Areopagum adjuverit: at ille adjuvit Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus ejus, qui à Solone erat constitutus. Liceat eadem de Pausania, Lysandroque dicere. Quorum rebus gestis quanquam imperium Lacedæmoniorum dilatatum*

tem fortitudinis sitam esse. Malè verò hinc colligit Cicero, Togatam Fortitudinem esse præstantiorem bellica, quod multi ambitione ducti bella moverint; quippe in his non fuit vera fortitudo bellica, ut à qua non potest abesse Prudentia, quæ certè ut alia vitia omnia, ita & ambitionem excludit. Proinde si quæ contentio instituì inter has debeat, potius utraque in abstracto consideranda erit. Sed ut suprà monui, propriè Fortitudo non est, nisi bellica: in aliis negotiis Civilibus, si quæ apparet Generositas animique magnitudo, nonnisi ἀνύρως Fortitudo dicetur.

(1) *Quamvis enim.*) At nisi Themistocles sua virtute patriam ab exitio vindicasset, ubi fuisset Areopagus? Ita

*tatum putatur:* (1) *tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus, & disciplinæ conferendi sunt: quin etiam ob has ipsas causſas & paratiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem, neque pueris nobis,* (2) *M. Scaurus C. Mario, neque, cum versaremur in Republica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. Parva enim sunt foris arma, nisi est consilium domi.* (3) *Nec plus Africanus, singularis & vir, & imperator, in excidenda Numantia Reipublicæ profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum Tib. Gracchum interemit:* (4) *quanquam hæc quidē res*

Ita ipſe Cicero ſentit, quando paulò poſt Pompeji vocem ſuæ gloriæ velificantem producit. Et togæ igitur, & ſago ſuus eſt honos.

(1) *Tamen ne minima.*) Reſpublica duabus potiſſimum rebus conſervatur, Legibus & Armis, felicius tamen, & juxta intentionem naturæ commodiùs, Legibus. Hæ enim ipſæ non ſolùm modum vivendi præſcribunt in pace, ſed & in bello. Utrorumque igitur habenda eſt ratio, uti Juſtinianus Imp. monet initio *Inſtit. ſuarum.*

(2) *M. Scaurus.*) Scaurus eloquentia & juris ſcientia, Q. Catulus in rebus Civilibus; Marius & Pompejus belli gloria floruerunt.

(3) *Nec plus.*) Scipio Æmilianus Numantiam evertit: Scipio Naſica Tib. Gracchum pernicioſas leges ferentem occidit. Sed cum hoc fecerit privatus Naſica, malè hoc factum cum illo Æmiliani confertur, cum illi vera gloria ineſſe nequeat, ut quod damnet Prudentia; quale eſt homicidium.

(4) *Quanquam hæc.*) Illud Naſicæ factum cum ad Civilem

*res non solũ ex domestica est ratione: attingit enim & bellicam, quoniam vi manuq; confecta est: sed tamen idipsum gestum est consilio urbano, sine exercitu.* (1) *Illud autem optimum est, in quo me invadi solere ab invidis, & improbis audio;*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

*Vt enim. alios omittam; nobis Rempublicam gubernantibus nonne togæ arma cessere? neque enim in Republica periculum fuit gravius unquam, nec majus otium. ita consiliis, diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta est unquam in bello tanta? quis triumphus conferendus? licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet.* (2) *Mihi quidẽ certe, vir abundans belli-*

vilem sive Domesticam Fortitudinem etiam retulisset, correctione quadam utitur, dicitque, quodammodo etiam pertinere ad bellicam, quia non judicio, sed vi manuque confecta sit.

(1) *Illud autem.*) Hic immodicum gloriæ studium prodit, quod Catilina oppresso isto versu decantare solebat, licet propter τὸ ὁμοιόπλωτον ridebatur: quemadmodum & alter ille à Juvenale *Sat.* 10. *O fortunatam natam me Consule Romam.* Ille verò hoc factum & ἀβελτερολογίαν cum quadam ad Ciceronem filium ἀποστροφῇ defendit. Meretur hic legi *P. Victor. lib. 7. Var. lect. cap. 24. & lib. 7. c. 13.*

(2) *Mihi quidem.*) Pompejus ter triumphavit, semel de

*bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in Rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.* (1) *Sunt ergo domesticæ fortitudines non inferiores militaribus:* (2) *in quibus plus etiam, quam in his, operæ, studiiq; ponendum est. Omnino enim illud honestum, quod ex animo excelso, magnificoq; quærimus, animi efficitur, non corporis viribus.* (3) *Exercendum tamen est corpus, & ita afficiendum, ut obedire consilio, rationiq; possit in exequendis negotiis, & in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura, & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reipublicæ præsunt, quam qui bella gerunt. Itaque eorum consilio sæpe aut non suscepta, aut confecta bella sunt,* de Afris, iterum de Hispanis, tertiùm de Mithridate.

(1) *Sunt ergo.*) Modestiùs concludit, quàm proposuit hanc Quæstionem.

(2) *In quibus.*) Videtur hoc velle, ac si Fortitudo bellica potiùs manu, quàm consilio, Domestica ferè unicè consilio & prudentia perficiatur; Et cum Honestas in animo consistat, hinc Togatam honestiorem Bellicâ pronunciat, cum hoc non sine corporis viribus expediatur.

(3) *Exercendum.*) Etsi animi viribus honestas fortitudinis maximè acquiritur, corpus tamen exercitiis suis, saltu, venatione, lucta, natatione ad obsequium animo præstandum est adsuefaciendum. Qua verò subjectione

*ſunt, nonnunquam etiam (1) illata: ut M. Catonis conſilio bellum tertium Punicum: in quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis eſt (2) decernendi ratio, quam decertandi fortitudo; ſed cavendum, (3) ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione, faciamus. (4) Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax quæſita videatur. (5) Fortis verò animi, & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; ſed præſentis animi uti conſilio, nec à ratione diſcedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenii*

ction rationi pareat corpus, paucis docet Ariſt. 1. *Pol.* 3. *p.* 14. ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἀρχῇ, δεσποτικὴν ἀρχήν. *Anima corpori imperat imperio herili.*

(1) *Illata.*) Bella enim Senatus autoritate ſuſcepta fuerunt.

(2) *Decernendi.*) Id quod fit benficio togatæ fortitudinis in Senatu vel Judicio.

(3) *Ne id.*) Et temeritas & timiditas hîc eſt vitanda. Sed repetenda hîc ſunt Grotii monita. *lib.* 2. *de J. B. P. c.* 24. *& lib.* 3. *c. ult.* quæque alia hujus generis paſſim inſpergit.

(4) *Bellum autem.*) Hæc ſuperioribus conſentanea ſunt. Carolus V. inquit hîc Hieron. Wolfius, bello & Gallico & Schmalcaldico confecto, inſigni moderatione uſus eſt: ad pœnitentiam uſque clemens. Adde Grot. *lib.* 3. *de J. B. P.* ubi de variis agit Temperamentis.

(5) *Fortis verò.*) Redit ad proprietates verè fortis & magnanimi explicandas. Ariſt. 4. *Nic.* 3. §. 39. *ita:* ὁ μεγαλόψυχος περὶ πᾶσαν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν μετρίως ἔξει, ὅπως

Digitized by

*nii magni est, percipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem; & quid agendum sit, cum quid evenerit; nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit, NON FVTARAM. Hæc sunt opera magni animi, & excelsi, & prudentia, consilioq; fidentis.* (1) *Temerè autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & beluarum simile est: sed, cum tempus necessitasq; postulat, decertandum manu est, &* (2) *mors servituti, turpitudinique anteponenda.* (3) *De evertendis autem, diripiendisque urbibus valde illud considerandum est, NE QVID TEMERE, NE QVID*

ὅπως ἂν γένηται. καὶ ὅτ' εὐτυχῶν εὐχαρὴς ἔσται, ὅτε ἀτυχῶν περίλυπος. *Vir magnanimus in omni secunda & adversa fortuna, quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit: neque in rebus secundis lætitia efferetur, neque in adversis mœrore superabitur.* Deinde monet cum fortitudine conjungendam esse Prudentiam. More suo scilicet multa repetit aut explicat; aliàs notum est, à Prudentia omnes omnium virtutum actiones regi debere.

(1) *Temerè autem.*) Id quod fit, si vel nulla justa causa bellum suscipiatur, vel non satis gravi & necessaria, vel si in modo belli gerendi peccetur. Grot. *l. 2. de J. B. P. c. 24.*

(2) *Mors servituti.*) Non sanè simpliciter mors servituti est anteponenda, sed tum demum, si vitæ jactura Patriæ aut Civibus prosis, præferenda.

(3) *De evertendis.*) Recenset alia officia Fortitudinis bellicæ, de quibus etiam nonnulla suprà, ubi de Justitia dicebatur, propter illam virtutum ἀνταικολούθησιν.

Quo

*QVID CRVDELITER FIAT.* (1) *Idque est viri magnanimi, rebus agitatis, punire sonteis, multitudinem conservare, in omni fortuna recta, atque honesta retinere. Vt enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt:* (2) *sic reperies multos, quibus periculosa, & calida consilia quietis cogitationibus splendidiora & majora videantur.* (3) *Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidiq; videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine caussa, quo nihil posset esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotanteis leviter curant: gravioribus autem morbis peri-*

Quo verò Temperamento, in Urbium excidio uti debeamus, suprà indicatum fuit ex Grotio quem vid. *lib. 3. de J.B.P. c. 5. & c. 12.*

(1) *Idque est.*) Officium fortis est, ut causa benè examinata autores scelerum, seditionis, aut rebellionis puniantur, innocenti multitudini parcatur, & in quavis fortuna potior semper honestatis ratio habeatur. Grot. *l. 2. de J.B.P. c. 21. & l. 3. cap. 11.*

(2) *Sic reperies.*) Utrumq; Fortitudinis extremum vitandum est, & Temeritas, & Timiditas. Istâ inter alia tum peccatur, ubi belli jure seu licentia, vel fortuna & opibus quis abutitur, & potius turbulenta, quàm moderata consilia sequitur.

(3) *Nunquam.*) Non quodvis periculum est declinandum, nec quodvis obeundum. Videatur hujus textus accurata explicatio apud Grotium *l. 2. de J.B.P. c. 24. n. 5.* Summa eximii hujus præcepti eò redit, non esse mo-



Digitized by Google

*periculoſas curationes & ancipiteis adhibere cõguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt : ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione, ſapientis : eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni, quam addubitata mali.* (1) *Periculoſæ autem rerum actiones partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim Reipublicæ. Itemq; alii de vita, alii de gloria, & benevolentia civium in diſcrimen vocantur.* (2) *Promptiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quam ad communia : dimicareq; paratius de honore, & gloria*

venda aut ſuſcipienda bella, niſi neceſſaria, atque hæc fortiter ac prudenter eſſe gerenda.

(1) *Periculoſæ.*) Pericula, quæ nonnunquam ſunt adeunda, vel ſunt Privata vel Publica: eademque vel concernunt ſingulos ſeotſim, vel plures communiter. Privata ergò & ſingularia pericula promptiùs adire licet, quàm publica aut communia, ne fortè noſtro facto aut temeritate etiam Reſpublica, vel alii lædantur. Publicam enim aut communem noſtra ſalute nobis potiorem eſſe debere certum eſt.

(2) *Promptiores.*) Ubi bellum movetur, tunc Reſpublica & ſinguli qui bello interſunt, variorum bonorum pericula ſubeunt. Eſt ergò officii, ut ſuam quiſque ſalutem publicæ, ſuamque gloriam publicæ poſtponat. Spectandum igitur in bello, quæ bona & quorum in diſcrimen adducantur, ne majori periculo exponantur, quibus major debetur ſecuritas & ſalutis conſervandæ cura.

*Inven-*

*gloria, quam de cæteris commodis.* (1) *Inventi autem multi ſunt, qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent: iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne Republica quidem poſtulante: ut Callicratidas, qui, cum Lacedæmoniorum Dux eſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregie,* (2) *vertit ad extremum omnia, cum conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit; Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris fuit: illa peſtifera, qua, cum Cleombrotus,* (3) *invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt.* (4) *Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius:*

*Vnus*

(1) *Inventi autem ſunt.)* Contrariis exemplis τὸ καλὸν præcepti jam traditi illuſtrat.

(3) *Vertit ad extremum.)* Et publicam felicitatem perdidit, & ſuam gloriam una cum vita amiſit. Ita poſt Manutium Wolfius. Quid verò ſi ſic: Omnia conſilia & incepta ipſum belli aleæ & extremo periculo temerè commiſiſſe, inque eo ſuam remque publicam perdidiſſe. Non igitur hæc Fortitudo, ſed temeritas ſtolida & ſupplicio digna fuit.

(3) *Invidiam timens.)* Calumnias malevolorum, qui obtrectabant eum cum Thebanis colludere.

(4) *Quanto.)* Duobus exemplis illuſtravit, quomodo

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postque magisq; viri nunc gloria claret.

(1) *Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod sentiunt, etiam si optimum sit, tamen invidiæ metu non audent dicere.* (2) *Omnino, qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant:* (3) *unũ, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus Reipublicæ curent;* (4) *ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.*

ἀλλὰ τὸ δέον nonnulli egerint: hic illud δέον tertio convenienti exemplo confirmat Q. Fabii Maximi, qui cunctando impetum Hannibalis fregit, unde Cunctatoris nomen retulit. Sæpè enim vires hostium asperæ rectiùs franguntur mora, quàm vi belli opposita, donec vel socordia vel securitate relanguerit hostium impetus. Hoc igitur modo hostem vincere magnæ profectò est Prudentiæ.

(1) *Quod genus.*) Ab officiis fortitudinis bellicæ ad togatam relabitur, nonnullos calumniæ metu sæpè optima consilia premere arguens.

(2) *Omnino.*) Hæc præcepta apud Platonem sparsim habentur libris de Republica.

(3) *Unum.*) Quisque civium pars est Reipublicæ, adeoque singulorum actiones ad rationem & bonum commune Reipublicæ referri par est.

(4) *Nedum partem.*) Contrarium optimè patet ex moribus & statu Reipublicæ Romanæ, ubi tres erant Populi ordines, Patricius, Equestris & Plebejus. Notũ verò est quomodo vel ab hoc Senatore, aut illo Tribuno ordo

*deſerant.*(1) *Vt enim tutela, ſic procuratio Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atq; diſcordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujusq; videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ ortæ: in noſtra Republica, non ſolum ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia: quæ gravis & fortis civis in Republica, dignus principatu, fugiet, atq; oderit,* (2) *tradetq; ſe totum Reipublicæ neque*

adverſus Ordinem fuerit concitatus. In Imperio noſtro hodiè diſſidiis religionis idem efficitur. Interim ubi eſt Civium inæqualitas, reducenda illa eſt ad æqualitatẽ adhibita proportione Geometrica: de qua Ariſt. 8. *Nic.* 7. & 9. *Nic.* 1. *pr.* Diligenter cumprimis inveſtigandum eſt, penes quos ſit Reipub. ſumma, & ſi ſummi Imperii jura vel ſint diviſa inter plures ordines, vel iis communia, cautè diſtinguenda ſunt negotia, ne quis in ſuo jure & authoritate iniquè lædatur.

(1) *Vt enim tutela.*) Conſtituitur verò tutor in rem pupilli, & ut ejus rationibus ſerviat. Hinc in ſuam rem autor fieri tutor prohibetur. *l.* 1. *pr. ff. de autor. & conſ. tut.* Neq; lucrũ facere ex tutela quiſquam debet. *l.* 58. *pr. ff. de adm. & peric. tut.* Neque in hoc adminiſtrantur tutelæ, ut mergantur pupilli. *l.* 3. *pr. ff. de contr. tut. act.* Quæ aliæque ſimiles juris regulæ etiam religioſiùs in Reip. adminiſtratione obſervandæ ſunt.

(2) *Tradetq;.*) Omnia ſua conſilia & actiones ad ſalutem Reipublicæ tanquam ſcopum conferet, hujus non partium ſtudiis addictus.

(1) *neque opes, aut potentiam consectabitur: totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat.* (2) *Nec verò criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoq; ita justitiæ, honestatique adhæresçet, ut dum eam conservet, quamvis graviter offendat,* (3) *mortem appetat potius, quam deserat illa, quæ dixi.* (4) *Miserrima est omnino ambitio, honorumq; contentio: de qua præclare apud eundem est Platonem: similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius Rempublicam administret, ut, si naturæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret.* (5) *Idemque præce-*

(1) *Neque opes.*) Per factiones, clientelas, æmulationes, aliosque modos ejusmodi.

(2) *Nec verò.*) Cavebit etiam quisque Magistratus & cumprimis Populus, ne patulis auribus calumnias excipiat, iisque fidem habeat, & gravis sit aliis. Tales Sycophantæ erant Athenis δημαγωγοὶ qui seditiosis concionibus populum concitabant: de quibus Demosthenes πρὸς Στέφανον, & πρὸς Ἀνδροτίωνα.

(3) *Mortemq;.*) Hoc suo exemplo comprobavit Cicero, qui maluit caput abscindendum præbere, quàm Antonii tyrannidi cum interitu Libertatis & Reipublicæ cedere.

(4) *Miserrima.*) Et hæc illustrantur istius ævi statu, quo hoc scripsit Cicero, cum de summa Reipublicæ ambitiosè & in mutuam perniciem contenderent Triumviri, quique singulis se adsociaverant.

(5) *Idemque præcepit.*) Evenit nonnunquam, ut boni cives ejusdem Reipublicæ ad bonum publicum & debitum

*præcepit, ut eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant: non eos, qui suo judicio tueri Rempublicam velint: qualis fuit inter P. Africanum, & Q. Metellum sine acerbitate dissensio.* (1) *Nec verò audiendi, qui graviter irascendum inimicis putant, idque magnanimi, & fortis viri esse censent: nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia.* (2) *In liberis verò populis, & juris æquabilitate, exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem, & odiosam incidamus.*

debitum finem contendant, sed non iisdem mediis & consiliis utantur, Itaque si dissentientem non possimus in nostram sententiam traducere, æquo tamen animo illum ferre debemus, non tanquam vel nostrum vel Reipublicæ hostem odisse, sed talem eum demum censere, qui bona consilia armis & vi velit evertere.

(1) *Nec verò.)* Hæc regula clementiam commendans & in toga & in sago locum habere potest. Uti autem Cicero ex hac magnanimum cumprimis æstimat; Ita eundem Aristoteles negat esse *μνησίκακον injuriarum memorem. 4 Nic. 3. §. 69.* Grotius *lib. 2. de J. B. P. c. 24. §. 3.*

(2) *In liberis verò.)* Quomodo magnitudo animi temperari debeat clementia, generatim exposuit. Subjicit jam in Democratiis, ubi maxima juris est æquabilitas, illam temperari debere facilitate, affabilitate, comitate, virtutibus populari ingenio convenientissimis. Unde accidit, quod austeri & morosi in Democratiis homines frequentissimè & aura populari, & mox honoribus



Digitized by Google

*mus.* (1) *Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur Reipublicæ caussa, severitas, sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem &* (2) *animadversio, & castigatio, contumelia vacare debet: neque ad ejus, qui*

ribus à populo commissis exciderint. Sed est hoc rarum mixturæ genus Petronio arbitro.

(1) *Et tamen.*) Ne hoc accidat, quod ait Poëta, stulti dum vitant vitia, in contraria currunt, monet illam facilitatem non debere esse nimiam. Nam sicuti arcum intensio frangit; nimia autem remissio telum ad scopum non expedit; ita nimia severitate animi civium exasperantur, nimiaq; disciplinæ & justitiæ remissione perit felicitas civilis, legumq; & magistratus autoritas proculcatur. Prudens ergo justitiæ & Imperii moderatio adhibenda est: alia quæ sit, inertia & summa stultitia meritò appellanda est, quæ vix est ut à malitia absolvi queat, ubi affectata est imperantium semper-lenitas: qua adeo fit, ut collapsa disciplina & justitiæ administratio, vix ullo tempore, neque sine motu, invidia ac calumnia à boni publici studiosis restaurari queat.

(2) *Animadversio & castigatio.*) Designari hic videntur & κόλασις & τιμωρία, quæ multum differunt. διαφέρει, inquit Arist. 1. *Rhet.* 10. ἡ τιμωρία τῆς κολάσεως. ἡ μὲν γὰρ κόλασις, τοῦ πάσχοντός ἕνεκά ἐστιν. ἡ δὲ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος, ἵνα πληρωθῇ. *Differt ultio à castigatione. Nam castigatio patientis caussa est: Ultio efficientis, ut expleatur.* Ab utraq; pœna abesse debet contumelia; ut illa exigatur, quò satisfiat justitiæ, non adfectui Magistratus. Nam uti Claudianus ait: *Qui fruitur pœna, ferus est, legumq; videtur vindictam præstare sibi.* Gell. 6. *Noct. Att.* c. 14.

Sed

*qui punit aliquem, aut verbis castigat,* (1) *sed ad Reipublicæ utilitatem referri.* (2) *Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa, sit:* (3) *&, ne iisdem de caussis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* (4) *Prohibenda autem maxime est ira in puniendo: numquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatẽ illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum: quæ placet Peripateticis, & recte placet, modo ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam: Illa verò omnibus in*

(1) *Sed ad Reipublicæ.*) De finibus Pœnarum vid. Grot. *l.* 2. *de J. B. P. c.* 20. *n.* 6. *seqq.* Add. Disquis. nostram *de Pœnis* §. 72. *seqq.*

(2) *Cavendum.*) Hoc est, quod aliàs dicunt, Pœnam delictis æqualem esse debere. vid. Arist. 10. *Nic. ult.* §. 30.

(3) *Et ne iisdem.*) Damnat iniquam προσωπολημψίαν in pœnarum irrogatione, juxta illud Poëtæ: *Dat veniam corvis vexat censura columbas.*

(4) *Prohibenda.*) Dum iracundiam vitandam monet, deserit, Peripateticos, & Stoicorum ἀπάθειαν amplectitur, eamq; etiam contra eosdem defendit 4. *Tuscul. qu.* Cæterum quod hic maximè reprehendit, ubi legitur apud Peripateticos, videlicet iracundiam esse bonam & laudabilem? Nonne Aristoteles ubiq; iracundiam ὀργιλότητα in vitio ponit? at ipsa ὀργὴ, Ira, est naturalis, quàm qui criminatur, impius est in Deum, qui hunc stimulum naturalem animo hominis impressit. Cæterum quomodo Judicem non solùm ab Ira, sed & aliis adfectibus immunem esse conveniat, egregiè etiam docet JCtus *l.* 19. *ff. de offic. præsid.* Et quidem juxta Senecam de Ira, Judicis tum maximè placidus vultus esse debet, cùm magna pronuntiat.

*in rebus repudianda est : optandumque, ut ii, qui præsunt Reipublicæ,* (1) *legum similes sint : quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.* (2) *Atque etiam in rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam magnopere, fastidium, arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est : præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademq; frons : ut de Socrate, item de Cajo quoque Lælio accepimus. Philippum quidem, Macedonum Regem, rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate verò, & huma-*

(1) *Legum similes.*) Iracundia debet abesse, non verò justa ira aut severitas; hæc enim si abesse debeat, solis legibus Imperium esset relinquendum: id quod fieri nequit, cum omninò necesse sit, ut νομοφύλακες & Magistratus adsint. Si itaque Judex iram ratione moderetur, legum similis est. Ciceroni videtur favere Arist. 3. *Pol.* 12. *p.* 208. *Qui igitur mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque leges: qui verò jubet hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuscemodi quiddam est, atque excandescentia, eos, qui imperium habent, distorquet & optimos etiam viros. Quare Lex est sine appetitione mens.* Cæterum hæc benè conciliari possunt cum ejusdem verbis paulò antè positis: *Eadem ratione, si aliquos imperare melius est, hos constituere oportet custodes Legum, & earundem ministros. Necesse namq; est Magistratus quosdam esse.*

(2) *Atque etiam.*) Constantiam & inprimis animi moderationem commendat, rebus prosperè fluentibus. Adde omninò textum accommodatissimum 4. *Nic.* 3. §. 39.

*humanitate video superiorem fuisse. Itaq; alter semper magnus, alter sæpe turpissimus fuit.* (1) *Vt recte præcipere videantur, qui monent, ut quanto superiores simus, tanto nos summissius geramus.* (2) *Panætius quidem Africanum auditorem & familiarem suum solitum ait dicere: ut equos, propter crebras contentiones præliorum ferocitate exsultanteis, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti, sic homines, secundis rebus effrænatos, sibiq; præsidenteis, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq; fortunæ.* (3) *Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum: hisque major etiam, quam ante, tribuenda est auctoritas. iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aureis, nec adulari nos sinamus: in quo falli facile est, taleis enim nos esse putamus, ut jure laudemur. ex quo nascuntur innumerabilia*

39. *Nunquam solido stetit superba felicitas: & ingentium Imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt*, inquit Seneca *Suasor.* 2.

(1) *Vt rectè.*) Nam, uti Symmachus ait, *l.* 9. *ep.* 86. *ille verè incrementis suis major est, quem sublimitas parti honoris inclinat.*

(2) *Panætius.*) Eleganter homo dulci fortuna ebrius exsultanti ac ferocienti equo; ratio & doctrina freno comparatur.

(3) *Atque etiam.*) Cum nemo de rebus suis satis benè judicet, minimè omnium id fieri poterit, ubi den-

sissima

*merabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis versantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus.* (1) *Illud autem sic est judicandum, maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui Rempublicam regant, quod eorum administratio latissime pateat, ad plurimosq; pertineat: esse autem magni animi, & fuisse multos, etiam in vita otiosa, qui aut investigarent, aut conarentur magna quædam, seseque suarum rerum finibus continerent; aut interjecti inter Philosophos, & eos, qui Rempublicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam qui-*

sissima nubes & caligo menti offunditur, vel à secunda fortuna, vel ab adsentatoribus. Proinde tum candidos amicos in consilium adhibebimus, & tantam iis fidem tribuemus, quantam alio tempore rerumq; statu tribuere non consuevimus. Hoc ni fiat, cœcutire & errare facit fortuna eos, quos blandiens illa captatum advenit, atque ita prosperitatem suam corrumpunt imprudentia sua, & prudentioribus ludibrium debent. Add. Arist. 9. *Nic.* 11. & 8. *Nic.* 8. *pr.*

(1) *Illud autem.*) Hic Fortitudinem in publicam & privatam dispescere videtur. Etsi verò, inquit, Publicæ fortitudinis officia latissimè pateant, ejusq; beneficio res maximæ gerantur; non tamen magnitudo animi privatam vitam colentibus defuit. Sive enim in Philosophica Studia, sive in rei familiaris curam se abdiderint, magna tamen multi conati sunt, & cum in opum acquisitione tum usu officium æquè diligenter observarunt, non sine quadam generositate.

*Neque*

*quidem omni ratione exaggerantes,* (1) *neque excludentes ab ejus usu suos: potiusque & amicis impartientes, & Reipublicæ, si quando usus esset. Quæ primum bene parta sit, nulloque turpi quæstu, neque odioso: tum, quamplurimis, modo dignis, se utilem præbeat: deinde,* (2) *augeatur ratione, diligentia, parsimonia: nec libidini potius luxuriæque, quam liberalitati, & beneficentiæ, pareat. Hæc præscripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque vivere, atque etiam simpliciter, fideliter, vitæque hominum amice.* (3) *Sequitur, ut de illa reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ, temperantia, & modestia, omnisque sedatio perturbationum animi: & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latinè* decorum *potest: Græcè enim*

(1) *Neque excludentes.*) Talem opum αὐτάρκειαν ad Felicitatem etiam exigit Arist. 1. *Nic.* 7. §. 20.

(2) *Augeatur parsimonia.*) ὁ γὰρ μόνον πρὸς τὰ ὑπάρχοντα προστιθέντες πλουσιώτεροι γίνονται, ἀλλὰ καὶ ἀφαιροῦντες τῶν δαπανημάτων inquit Arist. 1. *Rhet. cap.* 4. *Non solùm enim ad ea, quæ adsunt adjungendo ditiores fiunt, sed etiam detrahendo de sumptibus.* Magnum, ait Noster *in Parad.* vectigal est parcimonia.

(3) *Sequitur.*) Jam de quarto Honestatis rivo, Temperantia, de qua nihil distinctè, sed confusè tradit omnia, quæ si in suas classes referantur, essent pulcherrima. Temperantiam enim, Modestiam, Verecundiam, Virtutes ὁμιλητικὰς, totius vitæ ordinem (ita enim suprà appellabat) & ornatum, omnium adfectuum moderationem omne-

*enim πρέπον dicitur.* (1) *Hujus vis est ea, ut ab honesto non queat separari. Nam &, quod decet, honestum est: &, quod honestum est, decet. Qualis autem differentia sit honesti, & decori, facilius intelligi, quam explanari potest. Quidquid enim est, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam & ratione uti, atque oratione prudenter; & agere, quod agas considerare; omnique in re, quid sit veri, videre, & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, & mente captum esse. Et justa omnia decora sunt: injusta omnia contra, ut turpia, sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, & decorum videtur: quod contra, id ut turpe, sic indecorum. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu.*

*Est*

omneque πρέπον conglomerat, & in unum κυκεῶνα confundit.

(1) *Hujus vis.*) τὸ πρέπον ἀπὸ τοῦ καλοῦ aliquo modo differre ostendit: hanc verò differentiam magis intelligi, quàm explanari posse, ait. Decorum enim Honesto tanquam necessarium consequens seu ἀκολούθημα adhæresci. Hinc non solùm τὸ πρέπον, Temperantiæ, sed omnium virtutum officiis inest, uti pluribus ostendit.

Et

*Est enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis à virtute potest, quam re separari.* (1) *Vt enim venustas, & pulchritudo corporis secerni non potest à valetudine: sic hoc, de quo loquimur, decorum, totum quidem illud est cum virtute confusum, sed mente & cogitatione distinguitur.* (2) *Est autem ejus descriptio duplex. Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur; & aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas parteis honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet: decorum id esse quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat. Quæ autem*

Et quia moralitas in variis circumstantiis sæpè vertitur, ideò τὸ πρέπον explicat in sequentibus, quomodo & in sermone, & in vestitu, & incessu sit observandum, quid, quoque loco, tempore, ætate, aut similibus circumstantiis deceat. Plura de Honesto & Decoro horumque Differentia dicta à nobis sunt in Prolegomenis.

(1) *Vt enim venustas.*) Add. 10. *Nic.* 4. §. 40. & 41. & τῶν προλεγομένων *n.* 45. & 46. *seq.*

(2) *Est autem ejus descriptio duplex.*) Dividit τὸ πρέπον, atque unum quidem Universale, alterum singulare constituit. Illud in omnibus iis officiis cernitur, quæ homini ejusque excellenti naturæ propria sunt, quæ videlicet Rationis ductu, & fortè Orationis etiam auxilio expediuntur. Speciale πρέπον videtur ponere in officiis singularum actionum honestarum, præprimis Temperantiæ, cum specie quadam liberali, hoc est, libero & ingenuo

*autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali. Hæc ita intelligi à Philoſophis, poſſumus exiſtimare ex eo decoro,* (1) *quod poëtæ ſequuntur: de quo* (2) *alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poëtas dicimus, quod deceat, cum id quod quaque perſona dignum eſt, & fit, & dicitur:* (3) *ut, ſi aut Æacus, aut Minos diceret.*

Oderint, dum metuant: *aut,*
Natis ſepulchrum ipſe eſt parens;

*inde-*

ingenuo homine digna, qui Cynicorum impudentiam deteſtetur, Stoicorum ἀπάθειαν non probet, voluptatum verò & dolorum ſenſu adficiatur non more Epicureorum, ſed uti judicio prudentis convenit. Notandum iterum quod hic ea latitudine Temperantia ſit accipienda, qua ſuprà illam diffundi à Cicerone audivimus.

(1) *Quod Poëtæ.*) Eſt quoque tertii generis πρέπον, Poëticum. Quando enim quæque perſona, in fabula ſuam ὑπόθεσιν rectè obſervat, agendo, dicendoque, quæ illi conveniunt, πρέπον eſt; ſive vitioſi ſive probi hominis perſonam ſuſtineas.

(2) *Alio loco plura.*) A Poëtis, & qui de Arte Poëtica, aut de Imitatione ſcripſerunt, Ariſtoteles, J. C. Scaliger, Voſſius, alii.

(3) *Ut ſi aut.*) Duobus verſibus declarat, quomodo aliquid fiat contra τὸ πρέπον, Poëticum: nec enim juſtitiâ celebribus Judicibus ejusmodi Oratio conveniret. Atreus verò ſi poſteriori voce utatur, πρέπον eſt, & applauſu ſcenico comprobaretur. Quia enim Thyeſtes

Atrei

*indecorum videretur, quod eos fuisse justos accepimus. At, Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio.* (1) *Sed Poëtæ quid quemque deceat, ex persona judicabunt:* (2) *nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, præstantiaque animantium reliquorum. Quocirca Poëtæ in magna varietate personarum, etiam vitiosis quid conveniat, & quid deceat, videbunt. Nobis autem cum à natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ sint: cumque eadem natura doceat non negli-*

Atrei fratris uxorem stupraverat, eoque nomine has pœnas dederat, ut Tantalum & Plisthenem filios inscius devoraret, ejusmodi sanè oratio Atreum deceret. De Odio & Metu, & præstetne metui quàm amari Principem, vide dissentem Nic. Machiavellum in Principe *cap.* 17. & quæ ibi notavit Conringius noster.

(1) *Sed Poëtæ.*) Ostendit, quæ sit Differentia inter τὸ πρέπον poëticum, & morale.

(2) *Nobis autem.*) Illa persona & partes tanto majori studio ac decore in hoc mundi theatro nobis sunt agendæ, quantò excellentiores dotes præ aliis animantibus accepimus. Elegans hanc in rem exstat Epicteti sententia *Enchirid. cap.* 23. Μέμνησο ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματος, οἷος ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος. *Actorem esse fabulæ talis, qualis magistro probata fuerit, te memento &c.* in quæ verba post alia ita commentatur Simplicius: *Impositam personã belle repræsentare, designati histrionis est. Quare sæpè servus, aut mendicus, aut furiosus probatur in fabula: dives autẽ, aut Imperator, aut Rex improbatur, cum illi datam personã*

*negligere quemadmodum nos adversus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum, quam late fusum sit, appareat: & hoc, quod spectatur in unoquoque genere virtutis.* (1) *Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & constantia, moderatione dictorum omnium, atque factorum.* (2) *Adhibenda est igitur quædam reverentia adversus homines & optimi cujusque, & reliquorum. nam negli-*

*bellè exprimunt, hi verò suam malè, prout utrique in eo elaborarunt. Sic etiam fit in vita. Quot enim regibus, divitibus, robustis, servus, pauper & claudus Epictetus tam à chorago & magistro Deo, quàm ab hujus vitæ spectatoribus est prælatus, qui personam sibi impositam benè ex magistri sententia egit, & quod in ipso fuit, probè administravit? in quo bonum & malum hominis situm est, & id quod à cordatis hominibus vel laudetur vel vituperetur.*

(1) *Ut enim pulchritudo.*) Vid. quæ diximus citatis nostris prolegomenis n. 45. & 46. ubi & alia similia proposuimus, quorum unum suppeditavit Alexand. Aphrodis. quibus hoc omne illustrari queat.

(2) *Adhibenda.*) Sunt nonnulla, quæ jure naturæ sunt licita, & necessaria, quibus tamen quovis modo vacare pudor vetat, ut adeò hoc velo tegi illa velit natura. Si quis ergò istis natura quidem licitis impudenter utatur, is cumprimis offendit optimos quosque. Nam vir bonus rectissimè de his rebus judicat, ὥσπερ καινὸν καὶ μέτρον

*negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.* (1) *Est autem, quod differat in omni ratione habenda, inter justitiam, & verecundiam. Iustitiæ partes sunt, non violare homines: verecundiæ, non offendere: in quo maxime perspicitur vis decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.*

(2) *Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc pri-*

*μέτρον αὐτῶν ὧν quasi earum norma sit ac mensura,* inquit *Arist. 3. Nicom. 4. §. 12.* Quin etiam alios malo exemplo lædit, licet non optimos; nam si juxta Satyricum Maxima debetur puero reverentia, & peccaturo obsistere debet filius infans, multò magis pudore erga maturi judicii homines uti par est: quin etiam, ut alibi Cicero ait, cavere debemus, ab omni re, quæ possit reprehendi, etiam cum sumus cum malis.

(1) *Est autem.*) Quando officia Justitiæ & Verecundiæ considerantur in rebus seu actionibus cum ratione suscipiendis, hoc discrimen tenendum est, ut Justitiæ censeantur, non violare per vim ac injuriam: quod variis in bonis variisque modis fieri potest. Verecundiæ, non offendere, hoc est, non movere sui fastidium dictis aut factis indecoris. Plato alicubi refert, Deum cum metuisset, ne planè interiret genus humanum, dedisse hominibus Justitiam, & Pudorem, ornamenta Civitatum, & ad amicitiam colligandam vincula. Plutarchus in vita Thesei simili modo *δίκην* vocat *ἔνοικον αἰδοῦς, Justitiam pudoris cohabitatricem.* Vid. quæ dixi ad Grotii *l. 3. de J. B. P. c. 10. §. 1.*

(2) *Officium autem.*) Decori officia ut rectè perfi-

*primum habet viam, quæ deducit ad convenientiam, conservationemque naturæ: quam si sequemur ducem, numquam aberrabimus: sequemurque & id, quod acutum & perspicax natura est; & id, quod ad hominum societatem accommodatum; & id, quod vehemens, atque forte. Sed maxima vis decori in hac inest parte, de qua disputamus.* (1) *Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt.*

*Duplex*

ciantur, illũ finem sibi debent habere propositum, quem veteres Stoici convenientiam Naturæ, seu ὁμολογίαν appellabant, si videlicet vitam Rationi consentaneam agas. Huic fini adjungit conservationem sui, uti suprà: quod scilicet hominis natura rationalis unicè suam perfectionem & conservationem in honestate adipiscatur. Quam naturam si ducem sequamur, nuspiam aberrabimus, sed & Prudentiæ, Sapientiæque (*id quod acutum &c.*) & & Justitiæ (*quod ad hominum*) & Fortitudinis (*& id quod vehemens &c.*) & cumprimis Temperantiæ officia ritè implebimus. Repetit itaque & τὸ πρέπον generale, quod omnibus virtutibus inest, & quod speciatim ex Temperantia relucet.

(1) *Neque enim.*) Si miramur aut laudamus agilitatem ac elegantiam membrorum corporis, quę suis usibus à Natura optimè sunt aptata, quantò majus studium est ponendum in animi cultura, ut ejus motus rectè se habeant, ne in hanc aut illam partem evagentur, sed auream mediocritatem teneant, secundùm Peripateticos.

*Duplex*

(1) *Duplex est enim vis animorum, atque naturæ: una pars in appetitu posita est; quæ est* ὁρμὴ *Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione; quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumque sit.* (2) *Ita fit, ut ratio præsit, appetitus verò obtemperet.* (3) *Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec verò agere quidquam, cujus non possis caussam probabilem*

(1) *Duplex est.*) Quia plures sunt Animæ humanæ facultates, natura verò nihil facit frustra, & quamque facultatem ad peculiarem functionem destinavit; ideò illas jam enumerat, ut intelligamus, cujus facultatis perfectio seu virtus sit Temperantia, quæque sint illius officia. Planius verò hæc de facultatibus animæ doctrina peti potest ex *c. ult.* 1. *Nic.* Et nos quoque alibi de iis diximus pluribus.

(2) *Ita fit.*) Etsi facultas appetitiva essentialiter rationis non sit particeps in homine, potest tamen rationis Imperium exaudire, eique morem gerere. Quale verò hoc sit Imperium & obsequium docetur 1. *Polit.* 3. *p.* 14. ἡ μὲν ψυχὴ τοῦ σώματος ἀρχῇ, δεσποτικὴν ἀρχήν. ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως, πολιτικὴν καὶ βασιλικήν. *Animus imperat corpori herili imperio: Mens autem appetitui civili & regio.* Et 1. *Nic. ult.* §. 30. ait: Appetitum ad rationem perinde se habere, uti filius ad parentis monita ille, qui ejus dicto audiens sit.

(3) *Omnis autem.*) Si omnis actio prudenter suscipienda & perficienda est, abesse omninò debet temeritas & supina negligentia. Hinc cum Aristot. 1. *Pol.* 3. docuisset, è re esse & corporis, & appetitus, ut imperio rationis subsint, subjicit, τὸ δ' ἐξ ἴσου ἢ ἀνάπαλιν βλαβερὸν πᾶσι, h. e. inutile & pernitiosum his omnib. fore, ut vel eodē omnia esſent

*babilem reddere.* (1) *Hæc est enim ferè descriptio officii.* (2) *Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant: sintq; tranquilli, atque* (3) *omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisq; moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exultantes sive cupiendo, sive fugiendo, non satis ratione retinentur, hi sine dubio* (4) *finem, & modum transeunt. Relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt*

essent jure, nullum alteri vel imperaret, vel pareret: aut omnia essent alia, id est, imperaret corpus vel appetitus, pareret autem ratio. *Gifanius h.* Illam descriptionem officii quod attinet aliàs jam expendimus.

(1) *Hæc est enim ferè.*) Benè addit *Ferè*; nam est hæc descriptio officii medii, non κατορθώματος.

(2) *Efficiendum.*) Hic jam explicat, quomodo aliquid temerè aut negligenter adfectuum vitio fiat. Quomodo præcurrant sæpè rationem, eleganter traditur 7. *Nicom.* 6. §. 2. *seqq.* Quomodo deserant, in Timidis videre est, & qui ἀναισθησίας aut μικροψυχίας vitio laborant. Quod si eadem tradit Panætius, quæ hic Cicero, manifestò rejicitur, illa cadaverosa Stoicorum ab ipso Stoico ἀπάθεια.

(3) *Omni perturbatione.*) Manifestè hic denotat per hanc vocem adfectuum sive ὑπερβολὴν, sive ἔλλειψιν.

(4) *Finem & modum.*) Planè hic explicat, quomodo Mediocritas Aristotelica transiliatur, dum modò nimia appetitus ὄρεξις ad excessum, aut nimia φυγὴ seu ἔκκλισις ejus ad defectum exorbitat. Vid. *lib. 2. Nicom.*

Lege

*ſunt ſubjecti* (1) *lege naturæ: à quibus non modo animi perturbantur,* (2) *ſed etiam corpora:* (3) *licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur,* (*ut ad officii formam revertamur*) *appetitus omneis contrahendos, ſedandoſque, excitandamque eſſe animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuito, inconſiderate, negligenterque agamus.* (4) *Neque enim ita generati à natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti*

(1) *Lege naturæ.*) Hac enim conſtitutum eſt, ut minus præſtans præſtantiori ſubſit. Add. *c.* 3. *&* 4. *lib.* 1. *Pol.* οὐθενὶ, inquit *c.* 4. *p.* 20. ἀλλ' ἢ ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διορίζουσι τὸ δοῦλον καὶ ἐλεύθερον. *Nulla alia re, niſi virtute ac vitio definiunt ſervum & liberum.*

(2) *Sed etiam corpora.*) Vehementiori adfectuum motu non ſolùm animum, ſed & corpus adfici ait: ἔστι τὰ πάθη inquit Ariſtoteles 2. *Rhet.* 1. δι' ὅσα μεταβάλλουσιν, διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή. *Adfectus ſunt, per quos cum ſe immutant, differunt in judicationibus, quos ſequitur moleſtia & voluptas.* Sanè illa μεταβολὴ & in animo & in corpore cernitur. Hinc à Thoma Adfectus definitur, quod ſit motus appetitus ſenſitivi, ex apprehenſione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis.

(3) *Licet ora.*) Addantur Senecæ libri de Ira, ubi horum motuum enormitas graphicè depingitur.

(4) *Neque enim.*) Cauſam adjicit, cur nihil temerè ac oſcitanter ſit agendum, quia actionibus noſtris certus

*cti esse videamur: sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora, atque majora.* (1) *Ludo autem, & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno: & quietibus cæteris, tum, cum gravibus, seriisq; rebus satisfecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetum esse debet. ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus: sed eam, quæ ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.*

*Duplex omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua*

à Natura finis est præfixus, quem non quovis modo, nec qualibuscunque actionibus consequi datur, sed solum honestis & severis, quales sunt officia. Idem eleganter his verbis docet 3. *de Finib. ut histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus; sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet.*

(1) *Ludo autem.*) Hac occasione digreditur ad illorum officiorum explicationem, quæ in familiari ὁμιλίᾳ locum habeant, & quidem in specie de officiis εὐτραπελίας, ejusque contrariis. Add. *c.* 8. *lib.* 4. *Nic.* Est autem hujus virtutis locus lubricus, inquit *Joach. Camerarius ad l.* 4. *Nicom. c.* 8. Non enim facilis res est, cum homo non ad lusum & jocum factus sit, in lusu & joco decorum servare, & laudem invenire. Itaque ii quoque qui pro summis viris & ingenio præstantibus, & sapientia excellentibus, & doctrina percultis habiti fuerunt, cum jocorum etiam artem profiterentur, in hoc genere interdum

(1) *antiqua comœdia, ſed etiam Philoſophorum* (2) *Socraticorum libri referti ſunt, multaq; multorum facete dicta: ut ea, quæ à ſene Catone ſunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis joci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus: alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas.*

*Lu*terdum lapſi ſunt, & meritam reprehenſionem non vitarunt: ut Cicero & Demoſthenes.

(1) *Antiqua comœdia.*) A Cicerone hic diſcedimus, & cum Ariſtotele facimus, cujus hæc ſunt verba *d.c.* 8. *lib.* 4. §. 13. *Plurimum inter ingenuo dignum & ſervilem jocum intereſt, interq; eruditi jocum & ineruditi. Quod quidem ex veteribus & novis Comœdiis cuivis intelligere, licet. Illis enim ridicula reſerat obſcœnitas, his ὑπόνια, ſententia verbis tecta.* Nec ſolum obſcœna, ſed plurima σκώμματα antiqua Comœdia eructabat, qualium fabularum autores fuere Ariſtophanes, Eupolis, & Cratinus. Qua tandem re effectum eſt, ut illam verborum obſcœnitatem & inſectationem lege coercuerint Græci. Unde Horatius de arte Poëtica:

*Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa*
*Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim*
*Dignam lege regi. Lex eſt accepta, chorusque*
*Turpiter obticuit ſublato jure nocendi.*

Addi poterit *Ariſtot.* 4. *Nicom.* 8. §. 20. ſeqq. & *de Art. Poët.* & *P. Victor var. lect. l.* 9. *c.* 20.

(2) *Socraticorum.*) Nam & ipſe Socrates erat εἴρων teſte Ariſt. 4. *Nicom.* 7. §. 28. & 29. & cuivis Platonem legenti hoc manifeſtum fit. Ipſe Cicero quoque fuit εὐτράπελος, ὑπόκρισις & ſæpè εἴρων. Imò Fabii

(1) *Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & (2) campus noster, & studia venandi honesta exempla ludendi.*

(3) *Sed pertinet ad omnem officii quæstionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecedat. Illæ nihil* judicio nimius sæpè in risu captando fuit. Vide illum *l.6. c.3.*

(1) *Ludendi.*) Proponit alterum τῆς εὐτραπελίας objectum, Ludos, quomodo decenter in his versari conveniat. Quia enim nullæ res humanæ adsiduam operationem perferre possunt 10. *Nic.* 4. §. 45. ideò ad hominum vitam requies & jocus videntur esse necessaria. 4. *Nicom.* 8. §. 26. Est verò Ludus remissio animorum, siquidem est requies 7. *Nicom.* 7. §. 27. & 8. *Polit.* 3. *p. m.* 510. Tales igitur Ludi deligendi sunt, non qui frangant vires aut opprimant, cum primis animi, sed illas reficiant & excitent; Deinde non nimio studio eos consectari convenit. Nam qui ludo & joco magnoperè dediti sunt, eos Molles appellat Arist. 7. *Nicom.* 7. §. 26.

(2) *Campus noster.*) In Campo Martio varia certamina exercebantur, cursus, saltus, jactus, lucta, natatio, equorum decursiones, & quadrigarum contentiones: de quibus plura legi poterunt apud rerum Romanarum Scriptores: quibus addantur Hieronymi Mercurialis Forolivienſis Artis Gymnasticæ libri sex.

(3) *Sed pertinet.*) In cujuslibet virturis officiis præstandis semper nobis obversari debet, quantum bestiis antecedamus. Quò enim excellentior nostra est natura

præ

*nihil ſentiunt, niſi voluptatem; ad eamque ferun-tur omni impetu: hominis autem mens diſcendo, aliter, & cogitando, ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione du-citur. Quin etiam, ſi quis eſt paulo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulo erectior, quamvis voluptate capia-tur, occultat, & diſſimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem* (1) *non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni, & rejici oportere: ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, dili-*

præ belluina, tantò major ratio & moderatio cum alia-rum rerum, tum etiam voluptatum eſt adhibenda. Quò verò nos illa excellentior natura ducat, exponit verbis quorum ſententiam etiam principio hujus libri vidi-mus. Ratione igitur, uti omnia alia, ita & Temperantiæ officia regi debent: quod tum fiet, ſi nihil turpiter aga-tur, & ad hominis neceſſariam conſervationem & pro-pagationem uſus voluptatum referatur, quas & ipſas ideò Neceſſarias Ariſtoteles appellat & Naturales. *Nic.* II.

(1) *Non ſatis eſſe dignam.*) Nam Temperantia & Intemperantia in hujusmodi voluptatibus verſantur, quæ nobis ſunt etiam cum reliquis animantibus com-munes. ὅθεν ἀνδραποδώδεις καὶ θηριώδεις φανονται, *Ex quo ſerviles eas & belluinas eſſe apparet*, inquit Ariſt. 3. *Nicom.* 10. §. 23. & 24. & §. 30. hæc habet: *Omnium ſen-ſuum maximè communis eſt is ſenſus, in quo poſita eſt In-temperantia, meritoq; ut turpis & flagitioſa maledicti loco objicien-*

*diligenter ei tenendum esse ejus fruendæ modum.*
(1) *Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vireis, non ad voluptatem.*
(2) *Atque etiam, si considerare volumus, quæ sit in natura excellentia, & dignitas: intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, & delicate, ac molliter vivere: quamque honestum parce, continenter, severe, sobrieque.*

(3) *Intelligendum est etiam, duabus quasi nos à natura indutos esse personis, quarum una est communis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis, præstantiæque ejus, qua antecellimus bestiis, à qua omne honestum, decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ proprie singulis est tributa. Vt*

*abjicienda videatur, propterea, quia inest in nobis non quà homines, sed quà animalia sumus. His porrò talibus delectari, aq; vehementius amare, belluarum est.*

(1) *Itaque victus.*) Benè monet, qui voluptatibus velint non belluino, sed humano more uti, eos curam quoque corporis, veluti cibum, potum, unguenta, balnea, frictiones, debere ad valetudinem & vires, non autem ad percipiendas voluptates referre.

(2) *Atque etiam.*) Est quædam priorum repetitio & expolitio. Nam vita sobriâ & frugali animi vires & functiones exsitantur & conservantur: luxuriosa enervantur & oppimuntur.

(3) *Intelligendum est.*) Ut excellentiam hominis rectiùs declaret, metaphora quadam iterum ex scena petita significat, Hominem à Natura indutum duabus Personis, Communi una, Propria altera: quibus pòst duas alias addit.

Digitized by Google

Illa

*Vt enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemq; in formis, aliis dignitatem inesse, aliis venustatem) sic & in animis existunt etiam majores varietates. Erat in L. Crasso, & L. Philippo multus lepos: major etiam,* (1) *magisque de industria in C. Cæsare, L. filio,*

Illa est facultas ratiocinandi & dijudicandi bonũ à malo, & appetitũ rectè moderandi. Hæc verò est inclinatio quędam naturalis ad certas res atq; præclaras actiones, certis Individuis propria: uti multis exemplis ostenditur: Ciceroni illa inclinatio aliàs dicitur Naturæ bonitas, Aristoteli & Platoni εὐφυία, de qua peculiaris nostra exstat commentatio. De his eleganter & breviter Gassendus *de Mor. Phil. Epic. p.* 150. *Vt in scena histrioni laudi vertitur, si ejus Personæ, qua à Poëta fuerit indutus, modum teneat, omniaq; illi aptè convenienterq; agat; Sic in vita ille laudatur, qui omnes actiones eâ moderatione regit, ut aptè congruant illi personæ, quam indutam seu à Natura, seu à Fortuna, seu à voluntate sua habet.* Quatuor enim quædam sunt quasi Personæ, inquit Cicero, quibus vulgò induimur: duæ quidem ab ipsa Natura; una communis, quâ sumus omnes & rationis participes, & præcellentes bestiis; Altera propria, quæ ipsa est indoles cujusq; privata. Tertia verò ab ipsa Fortuna, qua nimirum quispiam est Rex, nobilis, dives &c. Quarta denique à delectu, seu judicio proprio, qua quis evadit Jurisperitus, miles, mercator, aut alius. Et cum hujusmodi Personæ in unam quasi coalescant, sic se gerere quisque debet, ut nihil peccans in singulis generalem ex omnibus quasi resultantem præclarè sustineat.

(1) *Magisq; de Industria.*) Non solùm ad Facetias naturæ

*L. filio. At iisdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeveritas, in C. Lælio multa hilaritas, in ejus familiari Scipione* (1) *ambitio major, vita triſtior. De Græcis autem, dulcem & facetum, feſtivique ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram, & Periclem, ſummam auctoritatem conſecutos ſine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Pœnorum; ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus, facile celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem Athenienſem, & Pheræum Iaſonem, cæteris anteponunt. In primisq; verſutum, & callidum factum Solonis: qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto Reipublicæ prodeſſet, furere ſe ſimulavit. Sunt his alii multum diſpares, ſimplices, & aperti, qui nihil ex occulto, nil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum, quod velint, conſequantur. ut Syllam, & M. Craſſum videbamus. quo in genere verſutiſſimum, & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus: contraque Callicratidam, qui præfectus claſſi proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemq;*

naturæ ductu ferebatur, ſed etiam ſtudio quodam eas adfectabat.

(1) *Ambitio major, vita triſtior.*) Hæc non ſunt in malam partem hoc loco accipienda.

Unus

*Itemq; in ſermonibus, alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere, ut (1) unus de multis eſſe videatur. Quod in Catulo, & in patre, & in filio, idemque & in Q. Mucio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu, hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſica: contraque, patrem ejus, illum, qui T. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuiſſe ſermonis: nec non Xenocratem quidem, ſeveriſſimum Philoſophorum, ob eamque rem ipſam magnum, clarumque fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturæ, morumque, (2) minime tamen vituperandorum. (3) Admodum autem tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam univerſam nihil contendamus:*

(1) *Unus de multis.*) Quod uſus fuerit ſermone & affabilitate populari. Aliàs à Luciano aliisque Græcis εἷς τῶν πολλῶν ad contemptum refertur.

(2) *Minimè vituperandorum.*) Si ſcilicet illæ naturales inclinationes debita moderatione regantur, nec per pravam adſuefactionem aliquid labis contraxerint. Unde mox addit, ſua cuique tenenda eſſe, non vitioſa, ſed tantum propria. Add. Ariſt. 6. *Nicom.* 13.

(3) *Admodum.*) De ejusmodi naturalibus inclinationibus locutus eſt, quæ uſum ſuum potiſſimum in ὁμιλίᾳ & familiari conſuetudine habent. Monet igitur, ut quisque ſuæ Naturæ ductum ſequatur, nec ſit κακόζηλος, hoc eſt, ineptè ac ſtolidè aliorum mores, geſtus, aut

*damus*: (1) *ea tamen conſervata, propriam naturam ſequamur: ut, etiam ſi ſint alia graviora, atq; meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ: nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud: ideo, quia nihil decet invita, ut ajunt, Minerva, id eſt adverſante, & repugnante natura. Omnino, ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis,* (2) *quam æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Vt enim ſermone*

aut orationem adfectet, ac ita quidpiam invita Minerva moliatur, uti mox ait.

(1) *Ea tamen conſervata.*) Nihil omninò ſuſcipere debemus, quod univerſæ Naturæ noſtræ, hoc eſt, rationali repugnet; hanc ſuprà Communem Perſonam appellabat: Propria autem Natura ſive Perſona decenter, debemus uti; & noſtro nos pede ac modulo metiri, etiamſi majora videas ab aliis geri. Si enim hiſtriones non quamlibet, ſed ſibi convenientem perſonam agunt, quantò magis hæc conſideratio in vita eſt tenenda. Si qui igitur ſublimiora & majora ſuo ingenio, viribus, conditione, ac vitæ genere adfectant, turpiter ſe in hoc mundi theatro dare & proſtituere ſolent; ut non immeritò ceu inepti hiſtriones videantur atque explodantur. Itaque Cicero alibi ait, eos more gigantum cum diis pugnare, qui naturæ obnitantur. Et Plato 3. *de Republ.* monet, quemque civem ad unum duntaxat id opus, ad quod natura aptus ſit, ducendum eſſe.

(2) *Quàm æquabilitas.*) In id nobis eſt incumbendũ,

ut

*ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne (ut quidam) Græca verba inculcantes, jure optimo rideamur: ſic in actiones, omnemque vitam, nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, (1) ut nonnunquam mortem ſibi ipſi alius conſciſcere debeat, alius in eadem cauſſa non debeat. Num enim alia in cauſſa M. Cato fuit, alia cæteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? atqui cæteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendum potius, quam (2) tyranni vultus aſpiciendus fuit.*

*Quam*

ut ſemper noſtri ſimus ſimiles, in actionibus & Prudentiam & conſtantiam repræſentantes, non fluctuantes, nec ineptam κακοζηλίαν infeliciter adfectantes: id quod eleganti mox ſimili & monito, ad Orationis concinnitatem pertinente, declarat.

(1) *Ut nonnunquam.)* Hæc ſunt planè Stoica, & falſa. Defendit enim hic, aut ſaltem licitam eſſe concedit εὐλογειείαν, factumque Catonis Uticenſis collaudat: in quo extollendo nemo copioſior eſt, aut ingenioſior Seneca. Sed hanc dementiam refutavimus Diſput. noſtra περὶ εὐλογειείας, ſolidisque argumentis oſtendimus, Stoicorum εὔλογον ἐξαγωγὴν, eſſe prorſus ἄλογον.

(2) *Tyranni.)* Cujus hæc vox fertur: *In-*

*Quam multa passus est Vlysses in illo errore diuturno, cum & mulieribus (si Circe, & Calypso, (1) mulieres appellandæ sunt) inservîret, & in omni sermone omnibus affabilem & jucundum se esse vellet! domi verò etiam contumelias servorum, ancillarumque pertulit, (2) ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. At Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti, maluisset. Quæ contemplanteis expendere oportebit; Quid quisq; habeat sui; eaq; moderari; (3) nec velle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maximè quemque decet, quod est cujusque suum maxime. Suum igitur quisque noscat ingenium, ac remque se & vitiorum, & bonorum suorum judicem præbeat: ne scenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt, Epigonos, Medeamque: qui gestu,*

*video tibi istam mortem, Cato; nam & tu gloriæ meæ invidisti.*

(1) *Mulieres.*) Feruntur enim divina progenies: qua de re videantur Poëtæ, & mythologi.

(2) *Ut ad id.*) Hoc est, ut occisis procis, Penelopes pudicitiam sollicitantibus, & rem familiarem abligurientibus, paternam domum ac principatum recuperaret. Hac igitur re æquavit aut vicit Ulysses patientiam Syllæ, Crassi, Lysandri, de quibus suprà.

(3) *Nec velle experiri.*) Appositè docet Epictetus: ἐὰν ὑπὲρ δύναμιν ἀναλάβῃς τι πρόσωπον, καὶ ἐν τούτῳ ᾐσχημόνησας, καὶ ὃ ἠδύνασο ἐκπλῆρῶσαι, παρέλιπες. *Si quam Personam,*

*geſtu, Menalippam, Clytæmneſtram: ſemper Rupilius, quem ego memini, Antiopam: non ſæpe Æſopus Ajacem. Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita?* (1) *Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaborabimus.* (2) *Sin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, ſi non decore, at quamminimum indecore facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, ut bona, quæ nobis data non ſunt, ſequamur, quam ut vitia fugiamus.*

*Ac*

*Perſonam, quæ vires tuas ſuperat, indueris; tum eam indecorè geres, tum eam, quam ſuſtinere poſſes, negliges. Enchir. cap. 59.* Cui add. etiam *ſeqq. c. 60.* His optimè conveniunt, quæ hic à Cicerone diſſeruntur, ex eadem Schola profecta.

(1) *Ad quas.*) Ad illa ſtudia animum debemus adjicere, ad quæ naturâ facultatem præcipuè accepimus: id quod diligenter explorandum eſt in tenera ætate, ut ſcias, cui ſtudio liberi aut alii adoleſcentuli ſint applicandi. Hinc Plato 7. *de Republ.* docet, pueros non coactos ſequi debere, ſed quaſi ludentes in diſciplinis enutriendos eſſe, ut magis, ad quod quiſque natura ſit aptus, poſſis agnoſcere.

(2) *Sin aliquando.*) Nonnunquam accidit, ut non noſtra voluntate iis rebus implicemur, ad quas explicandas Natura ſumus inepti; quid igitur tunc agendum? officii noſtri, inquit, erit, id unicè operam dare, ut quàm honeſtiſſimè recedas, & quàm minimùm indecorè gradũ

(1) *Ac duabus his perſonis, quas ſupra dixi, tertia adjungitur, quam caſus aliquis, vel tempus imponit: quarta etiam, quam nobiſmet ipſis judicio noſtro accommodabimus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur: ipſi autem quam perſonam gerere velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. Itaque ſe alii ad Philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere.* (2) *Quorum verò patres, aut majores aliqua gloria præſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere: ut Q. Mucius P. filius in jure civili: Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas* referas. Magis enim nobis iucumbit, vitia fugere, quàm bona à Natura negata adfectare velle.

(1) *Ac duabus.*) Duabus perſonis naturalibus ſuprà propoſitis Communi & Propriæ, adjungit Fortuitam & Voluntariam, harumque conditionem exemplis illuſtrat. Videntur autem hæc ex Panætio deſumpta, quemadmodum & illa τῦ πρέποντος divisio ſuperior, ut eſſet illud vel univerſale omnium virtutum, vel ſpeciale ſingularum, vel ſpecialiſſimum Temperantiæ, vel Poëticum. Adde ex Epicteti Enchiridio *c.* 23. 59 & 60. & in illa ἐξήγησιν Simplicii.

(2) *Quorum verò patres.*) Hoc toties rectè fit, ubi par eſt in liberis εὐφυΐα, & naturalis inclinatio, quam adeò pari ſtudio ac diſciplina perficere ſtudebunt: alioqui idem ipſis eveniet, quod Phaëtonti, cui hoc elogium ſcripſit Ovidius:

*quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam, quod idem fecit Timotheus, Cononis filius; qui cum belli laude non inferior fuiſſet, quàm pater, ad eam laudem doctrinæ, & ingenii gloriam adjecit.* (1) *Fit autem interdum, ut nonnulli omiſſa imitatione majorũ, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximeq; in eo plerumq; elaborant ii, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti parentibus. Hæc igitur omnia, cũ quærimus quid deceat, complecti animo, & cogitatione debemus.*

(2) *Inprimis autem conſtituendum eſt, quos nos, & qualeis eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, cum ineſt maxima imbecillitas conſilii, tunc id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maxime adamavit: itaque ante*

*Hic ſitus eſt Phaëthon, currus auriga paterni,*
*Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.*

Sed multi jam infeliciter audent, ut non ſolùm ſpe ſua & ambitione fruſtrentur, ſed & quod brevibus Gyaris, carcere, aut ſupplicio dignum putetur.

(1) *Fit autem.*) Ita Cicero per Eloquentiam, ejusq; municeps Marius per belli gloriam inclaruit.

(2) *Imprimis autem.*) Quartæ perſonæ, quæ à noſtro arbitrio pendeat, præcepta tradit. Primùm, certum finem eſſe conſtituendum, tum conveniens vitæ genus eſſe eligendum, per quod & illum finem obtineas, & quo te etiam ducat tua natura; nam ad eundem finem ſeu ſcopum non ſolùm diverſis viis ſæpè itur, ſed & omnino eundum eſt iis, qui diverſam perſonam induerunt. Finem

*ante implicatur aliquo certo genere, cursuq; vivendi, quam potuit, quod optimum esset, judicare.* (1) *Nam quod Herculem Prodicus dicit, (ut est apud Xenophontem) cum primum pubesceret, quod tempus à natura ad diligendum, quam quisq; viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumq; dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Iovis satu edito, potuit fortasse contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuiq; visum est, atque ad eorum studia, institutaque impellimur.* (2) *Plerumque autem parentum præceptis*

verò sibi nemo non proponit hunc, ut possit esse felix: at in mediis nimis fluctuant & errant homines. Unde dicit, hanc deliberationem esse difficillimam. Declarat hoc experientia, & exemplo.

(1) *Nam quod.*) Quia adolescentia multis erroribus & vitiis obnoxia est, ideò maturè de recto vitæ genere deliberandum est. Herculi sanè ejusmodi deliberatio feliciter cessit; sed hoc divinæ ejus indoli aut beneficio divino imputandum, cum videas alios adolescentes & homines in longè diversas sententias & vias abripi. Proinde & Publica & Privata παιδεία juventutis sedulò est conservanda, cujusque ingenium explorandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent, & via à magistris & prudentioribus cuique demonstranda, quam sequi in vita, & qua ad veram felicitatem progredi possit; hoc enim ut fiat, publicè ac privatim plurimùm interest.

(2) *Plerumque autem.*) Quid mirum? cum apud eos sint educati, qui semper idem negotium tractant,

paula-

*ptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moremque deducimur.* (1) *alii multitudinis judicio feruntur: quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant,* (2) *nonnulli tamen, sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina, rectam vitæ secuti sunt viam.*

*Illud*

paulatim eidem adsuescant, eo placere parentibus studeant, ab iisdem allici ad hoc, monitis institutisque confirmari & juvari soleant. Sic Hippocratis familiam medicinæ possessionem diu retinuisse ferunt.

(1) *Alii multitudinis.*) Atque οἱ πολλοὶ sequuntur ferè vitæ genus δημοτικὸν, per varia studia, & artes.

(2) *Nonnulli.*) Quidam singulari ingenii bonitate, aut parentum institutione adjuti, ad verum vitæ genus capessendum excitati fuerunt: quale est quod sine ambagibus aut errore ducit ad εὐπραξίαν. Unde facilè colligitur, quantum iis debeamus, qui nos bene educant, & per honesta studia ad veram felicitatem ducunt: qua de re ita docet Simplicius ad *Epict. Enchir. c. 37. p. m.* 201. *Officia erga bonarum artium Doctores eadem sunt, quæ erga parentes, & fortasse cum aliquo cumulo: quid hi alitores & curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt: idq; nec naturali necessitate, ut parentes tum apud brutas animantes, tum apud homines, sed bona voluntate, divinam bonitatem imitante, quæ animas in ortum delapsas, eò unde venerunt reducere conatur. Illud etiam præterea habent officia adversus magistros, quod omnibus eorum præceptis, tanquam divinis edictis, absque tergiversatione est obtemperandum. Earum enim rerum doctor, quæ secundùm naturam nobis conveniunt, nihil præcipiet, nisi quod ad hunc finem referatur. Si verò parentes nostri bonarum etiam artium doctores fuerint; tum binis affectionib.*



Digitized by Google

(1) *Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione, atque doctrina, aut utraque re ornati, spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent. In qua deliberatione ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum. Nam cum in omnibus, quæ aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, (ut supra dictum est) quid deceat, exquirimus: tum in tota vita constituenda multo est ejus rei curæ major adhibenda, ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare.*

*Ad conjunctis, etiam officia utrisq; debita præstanda erunt; ipsiq; ut divina quædam imago adorandi, quod & ut essemus, & ut bene essemus, hi non secus ac Deus autores fuerint.*

(1) *Illud autem.*) Illi verò sunt omnium feliciſſimi, qui tempore opportuno copiam habuerunt deliberandi, & ex προαιρέσει certum vitæ genus eligendi; sic enim quisque id eliget, eligere certè debet, quod suæ naturæ ac indoli est convenientiſſimum. Nam, inquit, in singulis actionibus ut Decorum eluceat, Natura duce opus est: quantò major deliberatio adhibenda est in totius vitæ Decoro conservando, ut studium quod semel attigeris, continues, nec unquam fluctues. Requirit verò in his vel excellens ingenium seu εὐφυΐαν, vel eruditionis præstantiam, qua naturalis illa excellentia sit perfecta, vel utrumque. Nam his adminiculis adjutus quin feliciter proficere, rectumque vitæ cursum tenere possit, nullum est dubium.

Ad

(1) *Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam: utriusque omnino ratio habenda est in deligendo genere vitæ: sed naturæ magis: multo enim & firmior est, & constantior: ut fortuna nonnunquam ipsa mortalis cum immortali natura pugnare videatur.* (2) *Qui igitur ad naturæ suæ non vitiosæ genus consilium vitæ omne contulerit, is constantiam teneat; id enim maxime decet. Nisi forte se errasse intellexerit in deligendo genere vitæ.*

*Quod*

(1) *Ad hanc autem.*) In deligendo vitæ genere duo spectanda esse monet, Naturam & Fortunam. Naturæ nomine intelligi possunt omnes facultates animi corporisque. Per Fortunam illa, quæ suprà recensuit. Quia verò Natura Fortunæ præstat, ideò in deliberatione tali magis illius quàm hujus ratio est habenda. Naturæ enim major vis est & constantia, ut si huic Fortuna velit adversari, res fragilis & inconstans esset obstitura frustrà Naturali propensioni, abditissimis animæ fibris ita infixæ, ut hæc Fortunæ comparata sit, quasi immortalem cum mortali contendere velis. Plutarchus ad honestum vitæ genus requirit φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν. Aristoteles φύσιν, μάθησιν & ἐθισμὸν: qui tamen fortunæ dotes opesque non penitus excludit, sed tanquam instrumenta vitæ bene agendæ item exigit *lib.* 1. *&* 2. *Nicom.*

(2) *Qui igitur.*) Qui naturæ suæ conveniens vitæ genus elegerit, benè faciet; siquidem illa non ad vitium, sed ad virtutem potius prona fuerit; nam talis demum Naturæ regina est Prudentia: atque tum constanter in eo perseverandum est. Constantia enim insigne officii ac vitæ benè institutæ decus est, magnumq; ad illam perficiendam momentum adferre potest. Si tamen in certæ vitæ

*Quod si acciderit, (potest autem accidere) facienda morum, institutorumque mutatio est. Eam igitur mutationem, si tempora adjuvabunt, facilius, commodiusque faciemus: sin minus, sensim erit, pedetentimque facienda:* (1) *ut amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere, censent sapientes, sensim dissuere, quam repente præcidere.* (2) *Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse videamur.* (3) *Sed quoniam paulo ante dictum*

delectu forsan (ut sumus homines) suo aut alieno consilio inductus erraverit, non perseverabit in illa; hæc enim non constantia sed animi obstinatio & ἰδιογνωμοσύνη foret, quin potius morum studiorumque mutationem subibit: Hunc verò, inquit, Tempora adjuvabunt, hoc est, ea possunt incidere tempora, ut omnia alia studia tractanda sint, nec inconstantiæ crimen tibi meritò objici queat, v.g. si Cicero Republica oppressa, foro & Senatu relicto, secedat, & Philosophica studia tractet. Extra verò ejusmodi temporum necessitatem pedetentim mutationem hanc suscipiendam esse monet, ne illa importunitati aut levitati animi imputetur. Add. *Val. Max. cap. de mutatione morum & fortunæ.*

(1) *Ut amicitias.)* Add. Arist. 9. *Nic.* 3. & quidem §. 13. *seqq.*

(2) *Commutato.)* Si in deligendo vitæ genere primo tanta adhibenda cautio est, quanta fuerit adhibenda, si primo illo repudiato transieris ad aliud, siquidem levitatis opinionem aut aliud crimen effugere velis?

(3) *Sed quoniam.)* Ad adsuefactionem debitam multùm conferunt exempla parentum & majorum: quæ si

bona

*ctum est, imitandos esse majores: primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda: deinde, si natura non feret, ut quædam imitari possint, ut superioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui. Si igitur non poterit sive causas defensitare, sive populum concionibus tenere, sive bella gerere; illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, justitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam: quo minus ab eo id, quod desit, requiratur.* (1) *Optima autem hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis, rerumque gestarum: cui dedecori esse*

bona fuerint, imitari studiosè debent liberi, sin mala, fugere. Ita Platonis gibbum, Aristotelis balbutiem, Alexandri M. aquilinum nasum stolidè discipuli aulicique imitabantur. Deinde illa imitatio debet etiam juxta suprà traditam regulam institui, ne quid invita Minerva tentes: Si ergo non poteris patrum virtutem bellicam adsequi, aut valetudine impediaris in molesta Reipublicæ administratione, illis incumbe studiis & officiis, quibus par sis. Sic viribus tuis majora ab æquis rerum humanarum arbitris à te non exigentur.

(1) *Optima.*) Contrario facto hoc illustrat. Si quis non solùm non imitetur parentum virtutes, sed etiam degenere sit animo, dedecori est suis natalibus. Cum hac Ciceronis sententia ex asse convenit illa Isocratis: ἄμεινον δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν, ταῖς πανσὶ καταλιπεῖν. *Satius est, honestam existimationem, quàm magnas*

*esse nefas, & vitium, judicandum est.* (1) *Et quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliaq; sunt juvenum, alia seniorum*; *aliquid etiam de hac distinctione dicendum est.*

(2) *Est igitur adolescentis, majores natu vereri, exque his deligere optimos, & probatissimos, quorum consilio, atque auctoritate nitatur. ineuntis enim ætatis inscitia, senum constituenda, & regenda prudentia est. Maxime autem hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque & animi, & corporis, ut eorum & in magnas divitias liberis relinquere.* Arrige aures Marce fili!

(1) *Et quoniam.*) Non eadem ab omnibus exiguntur officia etiam si diversas ætates inspicias. Nam & hinc est quædam πειράσεις τῶν καθηκόντων petenda.

(2) *Est igitur.*) Perspicuè hic Adolescentiæ officia recensentur: quæ utinam satis sedulò & fideliter Juvenibus inculcentur, id quod ad omnem vitam & Reipublicæ etiam felicitatem plurimùm profuerit. Primò exigitur Reverentia erga majores natu; hæc enim ipsi ætati debetur, cumprimis si cum virtute & prudentia sit conjuncta. Deinde ut propter has dotes tradant se in disciplinam seniorum, ut qui habent τῆς ἐμπειρίας ὄμμα. 6. *Nicom.* 11. §. 23. Si qui enim suo sibi consilio prospicere nequeunt, proximum est, ut alieno utantur; neutrum qui fecerit juxta Hesiodum est sanè ἀχρήϊον ἀνήρ. Tertiò hæc ætas studiosissimè ab illo vitio revocanda est, ad quod per ætatem maximè propendet, voluptate 2. *Nic.* 8. §. 13. erga quam adeò adfecti debent esse juvenes, perinde uti erga Helenam seniores apud Homerum, qui illam

*in bellicis, & civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos, & dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu interesse velint.*

*Senibus*

illam amandandam esse contendebant 2.*Nic.*9.§.6.*seqq.* Subjicit mox quæ hanc in rem idonea præsidia suppetere queant, putà Labores. *Nam otia si tollas periere cupidinis arcus.* Add.*Horat.lib.3.od.2.* Prætereà hæc ætas ideò quoque laboribus frequenter est exercenda, ut & hos ferre, & sperata illorum præmia, subitò se non offerentia, æquo animo opperiri condiscat, juxta illud Epicharmi, *Dii omnia vendunt laboribus.* Denique cùm perpetuum laborem nemo hominum ferre queat, adeoque & huic ætati relaxatione opus sit, primò quidem opera danda est, ne ea sit talis, quæ ducat ad Intemperantiam. Cumque ei perquam sit difficile futurum, ut Temperantię habitum sibi comparet, saltem verecundię freno juventus ab Intemperantia erit retrahenda. Nam non *omni ætati, sed primæ modo verecundia convenit. Qui enim hac ætate sunt, pudentes & verecundos putamus esse oportere, eò quod eorum vita adsiduis perturbationibus agitetur, & multa peccet, à quibus pudore revocantur. Adolescentes itaq; laudamus eos, qui sunt pudentes,* 4.*Nicom.ult.* Cæterùm ne imbecilla hæc ætas vel suis adfectibus succumbat, vel occasione aut pravo sodalitio atque exemplo corrupta in errores & vitia abducatur, consilium minimè contemnendum suppeditat Cicero, ut otii & relaxationis constituantur inspectores & censores natu majores: ceu quondam in Græciæ Civitatibus cumprimis Spartana fieri solebat. Nam si oculus Domini, ut in proverbio est, pascit equum, quantò majori usui erit imprudenti discipulo perspicax boni magistri oculus?

*Senibus*

(1) *Senibus autem labores corporis sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur: danda verò opera, ut amicos, & juventutem, & maxime Rempublicam* (2) *consilio, & prudentia quamplurimum adjuvent.* (3) *Nihil autem*

*magis*

(1) *Senibus.*) Jam de officiis Senum propriis: quibus cum corpus soleat esse infirmum, corporis labores sunt minuendi: animus autem cum sit benè constitutus per rerum usum & prudentiam, à laboribus animi immunes esse nequeunt, quin illi potiùs eatenus exigi possunt, quatenus valetudo eorum permittit. Nam Senectus ipsa morbus est. Rectè verò putat Cicero, Senes benè mereri posse cum de aliis amicis, tum de Republica, Magistratus ex bono publico gerendo, variaque ejus negotia expediendo: Unde Senatorum nomen Romanis. Adde Ciceronis Catonem Majorem seu *de Senectute* Dialogum. Aut etiam instituendo juventutem, sive privatim, sive in Scholis publicis, iisque vel regiis, vel his inferioribus. *Nam & is*, inquit, Seneca, *Reipublicæ prodest, qui juventutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia virtute instruat animos.*

(2) *Consilio & Prudentia.*) Hæc enim cum colligatur ex multorum singularium experientia, & hæc multo tempore indigeat, senes sine dubio prudentiores aliis erunt, siquidem rectè ætatem suam collocaverint. *Arist.* 1. *Metaph.* 1.

(3) *Nihil autem.*) Enumerat jam quædam, quæ sunt contra hujus ætatis officium. A languore abstinebunt senes, quod etiam juvenum animi eo marcescere soleant. A luxuria, quod hac tantò magis functiones animi impediuntur, quò magis gulæ ventrique indulgetur,

*magis cavendum est senectuti, quam ne languori, desidiæque se dedat. Luxuria verò cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem & libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.*

(1) *Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorũ officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratus, intelligere,* (2) *se gerere personã civitatis, debereq; ejus dignitatem & decus sustinere,* (3) *servare*

dulgetur, cum istis senes quàm maximè debeant valere, & prodesse. Præterea *turpe senex miles, turpe senilis amor. Ovid.* cujus duplex grande malum probè observat: ad posterius pertinet imprecatio Servatoris nostri in eos concepta, qui teneram ætatem morum improbitate offendunt. Et illud Satyrici:

*Maxima debetur puero reverentia, si quid*
*Turpe paras, nec tu pueri contempseris aures.*

Nam si peccant senes omittendo officium, dum juventutem non instituunt ad virtutem, quantopere eos peccare credas, dum contraria committunt?

(1) *Ac ne illud.*) Transit ad alias τῶ πρέποντος πειρασεις, à conditione & statu hominum petitas.

(2) *Se gerere personam Civitatis.*) Hoc est, se esse personam publicam, quæ vel solo exemplo vitæ aliorum mores ad legum normam componere studeat, ut sit οἷον δίκαιον ἔμψυχον, *jus quoddam animatum. 5. Nicom. 4. §. 21.* Add. *3. Polit. 12. p. m. 208.*

(3) *Servare leges.*) Illas cumprimis, quibus potestas

illius

*vare leges*, (1) *jura deſcribere*, (2) *ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe*. (3) *Privatum autem oportet æquo*,

illius reſtricta; alieno enim munere non ſuo fungitur, magiſtratus, adeoque meminerit ſe non eſſe αὐτοκράτωρα aut ἀνυπεύθυνον, ſed ὑπεύθυνον Majeſtati. Nam de iis hic intelligimus, qui reverà Magiſtratus ſolùm jure imperant. Interim & illorum, qui habent τὸ κύριον in Republica, officium eſt, ut ſint omni meliore modo νομοφύλακες. Add. *l.* 4. *C. de legg.*

(1) *Jura deſcribere.*) Hoc eſt, ſalutares leges in uſum publicum & privatum condere.

(2) *Ea fidei.*) Sit igitur νομοφύλαξ καὶ ὑπηρέτης τοῖς νόμοις. Ariſt. 3 *Pol.* 12. *p.* 207. & 208.

(3) *Privatum autem.*) Cum Cicero nihil dixerit, quomodo parentes ſe gerere debeant erga imperantes, juvat etiam hac de re diſſerentem audire Simplicium *ad Epict. Enchir. c.* 37. *Populi etiam cum principibus civitatis quandam eſſe adfectionem, perſpicuum eſt, & officia illi adfectioni congruentia. Legitimis autem & Germanis principibus parere in omnibus populus debet, & alacriter obtemperare, & venerari eos, ut qui proximè & ſecundum Deum maxima in Remp. beneficia conferant. Veri enim principes ab animo ſuæ curationis munus auſpicantur, & hominis partes pervagantur: & quod de Medicis dixit Hippocrates, in principibus copioſiùs videre licet. Nam ob alienos caſus privatis non quidem doloribus adficiuntur, ſi Epicteto pareant: ſed curas & labores ſubeunt, rem familiarem negligunt, occupationibus detinentur, quibus & à ſui & rerum meliorum cura abſtrahuntur. Neque verò magiſtratibus obſequi tantùm, ſed & operam qui poſſunt navare debent, atque exiſtimare, in iis niti ſalutem civitatis. Sin autem verbo tantùm principes erunt, &*

*magi-*

*æquo, & (1) pari cum civibus jure vivere, (2) neque ſummiſſum & abjectum, neque ſe efferentem; tum in Republica ea velle, (3) quæ tranquilla, & honeſta ſint. (4) Talem enim & ſentire, & bonum civem dicere ſolemus. Peregrini autem, & (5) incolæ officium eſt, nihil præter (6) ſuum negotium agere, magiſtratus officia negligent; improbandi quidem illi erunt, ut ſunt improbi: ſed quod magiſtratui convenit, eis præſtabitur: ut & principatum eis deferamus, & iis in rebus pareamus, quibus animus non laditur.*

(1) *Pari cum civibus jure.*) πανταχοῦ γὰρ ἐφὶ τὸ ἄνισον ἡ στάσις. ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον. τὸ μὲν γάρ, ἀριθμῷ. τὸ δὲ, καὶ ἀξίαν ἐστί. *Ubique propter inæqualitatem exoritur ſeditio. Eſt autem duplex æquale: hoc quidem numero, hoc autem dignitate eſt.* inquit Ariſtot. 5. *Pol.* 1. *pag.* 297. Add. 3. *Pol.* 12.

(2) *Neque ſubmiſſum.*) Servorum enim nulla Civitas eſt aut Reſpublica.

(3) *Quæ tranquilla.*) Præſentem Reipublicæ ſtatum debet amplecti, & ad illius commodum ac tranquillitatem omnia ſua ſtudia conferre. Notat denuo Cæſarem qui æquo cum aliis jure uti noluit, eoque Rempublicam evertit.

(4) *Talem enim.*) Quo pacto boni viri, & boni civis, officia conveniant, aut fortè diſcrepent docet optimè Ariſt. 3. *Polit.* 3.

(5) *Incolæ.*) Reſpicit ad morem Romanorum & forſan etiam Athenienſium, apud quos inquilini deteriore erant loco, quàm indigenæ cives. Neque verò iniquum eſt, ſi iſti non omninò cum his pari loco, jure, & cenſu veniant.

(6) *Suum negotium.*) Lycurgus peregrinos Lacedæmone

*agere, nihil de alio acquirere,* (1) *minimeq; in aliena esse Republica curiosum. Ita fere officia reperientur, cum quæretur, quid deceat, & quid aptũ sit*

dæmone palàm arcebat, ne civium mores peregrinis corrumperentur. Ubi non omnino arcentur, quod inhumanum videri queat, debent suum negotium agere, quatenus iis hoc integrum est per legès moresque Reipublicæ, in qua morantur, nihil de eorum bonis aut juribus adquirere, quorum commercium solis indigenis competit. Ita in Republica Romana cum peregrinis non erat Testamenti factio. Sed iterum hic audiendus est Simplicius *eod.c. Est etiam*, inquit, *adfectio quædam adversus peregrinos, qui ad nos veniunt, ab hospitum curatore Deo conciliata. Est igitur & his suum tribuendum, tum ob curatorem eorum Deum: tum propter incrementum humanitatis nostræ, quæ non solius necessitudinis & cognationis rationem habere, sed ad universum hominum genus porrigi debet: tum verò, ut & nos cum fiducia supplicemus Hospitali Deo, divinaq; providentia & ipsi ea consequamur, quæ hospitibus tribuimus. Terendum enim est, quemq; suam rectam voluntatem & bonas actiones mutuare Deo, easdemq; magna cum usura, & uberiore, quàm homines solent, mensura ab eo rependi. Nullo autem modo violandus est hospes: sed si ab aliis violetur, summa vi defendendus. Eum enim ope humana destitutum, curator hospitum Deus magis & respicit & ulciscitur. Est & in eo negotio, cujus conficiendi causa venit, adjuvandus ab eo, qui potest, & victus genti prabendus pro facultatibus: & in morbo juvandus est hospes, quantum licet, & in reditu ad suos, quoad possis.*

(1) *Minimeq;.*) Hæc curiositas cum alibi, tum Venetiis perquam est periculosa. Hactenus tamen in alienis

Rebus-

*sit personis, temporibus, ætatibus.* (1) *Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioq; capiendo servare constantiam.*

(2) *Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, (difficilius ad eloquendum, sed satis erit intelligi:) in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur*

Rebuspublicis licet esse curiosis peregrinis, quatenus rerum suarum notitiam non celatam cupiunt illis; nam aliàs omnis peregrinatio esset inanis & frustranea; certè tanto sumptu & molestia dignus non posset percipi fructus. At arcana Reipublicæ, interiora consilia, aut morbos scrutari sæpissimè indigenis, nedum peregrinis fuit pernicioſum & exitiale.

(1) *Nihil est autem.*) Constantia omnium virtutum comes est, quarum inter alia hoc essentiale requisitum est, ut honesta agas, βεβαίως καὶ ἀμεταπτώτως ἔχων. 2. *Nicom.* 4. §. 10.

(2) *Sed quoniam.*) πρέπον suum Stoicum pluribus etiam coloribus depingit, ejusque tres hic facit partes, Formositatem, Ordinem & Ornatum ad actionem aptũ. Denique consequens harum esse approbationem morum nostrorum. Quid verò distinctè significare his velit, vix puto hariolo liquere. Formositas τὸ πρέπον] & secundum Wolfium est, si omnia fiant eleganter & concinnè: Ordo si quidque fiat suo tempore, loco, fine. Ornatus, si debito cultu, gestu, habitu. Sed sanè hæc ad externam corporis formositatem, hoc est, admirabilem structuram, Ordinem, id est, accuratissimam συμμετρίαν,

*mur ab iis, cum quibus, & apud quos vivamus: his quoque de rebus pauca dicantur.*

(1) *Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu: quæ autem partes corporis, ad naturæ necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ, atque turpem, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis, ipsique necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant: quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque parteis, neque earum usus suis nominibus appellant, quodque facere non turpe est, modo occulte, id* (2) *dicere obscœnum est. Itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia vacat, nec oratio obscœnitate.* (3) *Nec verò audiendi sunt Cynici, aut si qui*

Ornatum, id est, vestitum non ineptè retuleris, quatenus & ex his, τὸ πρέπον elucet. Etsi enim aliàs latissimè diffundat suum πρέπον, hic tamen ad jam memorata capita illud restringit, ut ne quidem omnia Temperantiæ (qua quidem latitudine hæc ab eo accipitur) officia velit comprehensa.

(1) *Principio corporis nostri.*) Add. Lactantius *de Opificio hominis*: & Galenus *de Usu partium.*

(2) *Dicere obscœnum est.*) Epictet. *Enchirid. c. 55.*

(3) *Nec vero.*) Cynici ita colligebant; Si res ipsæ turpes non sunt, quantò minus verba, notæ rerum? Hinc Cra-

*qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus: illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe eſt: ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eisdem contra verecundiam diſputantur. Nos autem naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipſa, oculorum, auriumq; comprobatione, fugiamus.*

*Status,* Cratetem Cynicum cum uxore Hipparchia in propatulo coiiſſe legimus. Idem ſentiebant Stoici penè Cynici, hoc eſt, Cynicorum placitis addictiores. Nam *κοινωνία τὶς τῷ τε σωϊσμῷ καὶ τῷ κυνισμῷ ἐστίν. ὅθεν καὶ τὸν κυνισμὸν αἱρήσασι σωύτομον ἐπ' ἀρετὰς ὁδόν.* Verba ſunt Laërtii *in vita Diogenis.* Sed huic argumento ſatis commodè reſpondet Gaſſendus *Animad. in Phil. mor. Epic. pag.* 1510. in hanc ſententiam: *Tametſi natura nihil fecerit, cujus quaſi obſcœni pudere nos debeat, adideò poſſit quadantenus ſervari ritus apud eas gentes, quæ aut in partibus corporis, aut in uſu, ac vocibus, quibus nominantur, obſcœnitatem nullam agnoſcunt; apud illas tamen, quæ aliquam agnoſcunt eſſe, eam omninò cavendam, ac nulla ratione pudorem, quo cavetur, eliminandum. Quippe ſeu natura, ſeu lex, ſeu conſuetudo decorum faciat, ipſa eſt natura, quæ tueri id jubet, quatenus ſervatur ob commune bonum, ex cujus incolumitate pendet ſingularis incolumitas, quæ eſt unicuique ſecundum naturam.* Atque hoc Cicero vult, quando regerit: *Nos autem naturam ſequamur.* De Cynicorum ſecta vide plura Introductionis noſtræ in Ariſtotelis opus ad *Nicom. cap. 6. pag.* 51.

(1) *Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo ſunt maxime fugienda, ne quid effœminatum, aut molle, aut ne quid durum, aut ruſticum ſit.* (2) *Nec verò hiſtrionibus, oratoribusque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet à vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcena ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aſpiciantur non decore.* (3) *Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris quidem generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra, & duce.*

*Cum* ubi quædam memoravimus ex Arriani *in Epictet. l. 3. c. 22.* & Juliani *Imp. Orat. 6.*

(1) *Status, inceſſus.*) Horum omnium decens uſus plurimum prodeſt ad vitam honeſtè & commodè degendam: è contrario mores diſſoluti & agreſtes dedecori ſunt agentibus, & aliis valdè moleſti. Add. 4. *Nic. 3. §. 75. & 76.*

(2) *Nec verò.*) Argumento utitur à Minori ad Majus.

(3) *Noſtro quidem.*) Si verecundia ubique & ab omnibus obſervanda eſt, præcipuè id fieri convenit, ab iis & inter illos, qui ſibi ſunt parentum & liberorum loco. Meritò igitur Cato ſenior præſente filio, non aliter verborum turpitudine abſtinuit, quàm ſi virgo veſtalis adfuiſſet. Et rectè dixit Ennius: *Flagitii principium eſſe, nudari*

(1) *Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas; venustatem muliebrem ducere debemus; dignitatẽ virilem.* (2) *Ergo & à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus,* (3) *& huic simile vitiũ in gestu, nudari inter cives corpora.* De nostrorũm igitur temporum moribus quid sentiendum sit, nemo bonus non videt; quorum tam ingenioſa est lascivia, ut simpliciorum & benè moratorum fidem superet.

(1) *Cum autem pulchritudinis.*) Pulchritudinis duas facit species, venustatem & Dignitatem: illam mulieres, hanc viros decere ait. Arist. 4. *Nicom.* 3. §. 9. tali utitur discrimine: τὸ καλὸν ἐν μεγάλῳ σώματι. οἱ μικροὶ δ' ἀγεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. *In magno corpore pulchritudo est. Brevis autem statura homines venusti ac lepidi quidem sunt, illi, aptaque membrorum convenientia & proportione præditi, pulchri tamen non item.* Quid jam utrique Ciceronianæ, vel potius Stoicæ pulchritudini conveniat, nec ne, exponitur in sequentibus.

(2) *Ergò & à forma.*) Abesse ergò debent & fuci, & purpura, & calamistri, & cincinni, & cætera de genere hoc. Ovidius;

*Sint procul à nobis juvenes ut femina compti;*
*Fine coli modico forma virilis amat.*

Thales dicebat, non componere faciem, sed bonarum artium studiis animum excolere præclarum esse. Et Fabius: *Mollis ornatus & expolitio cutis virum non ornat, sed ejus mentem judicat.* Senecæ hoc est: *Non est ornamentum virile concinnitas.*

(3) *Et huic simile.*) Hoc est quod paulò antè his verbis dicebat, nihil debere esse effeminatum, aut molle.

*geſtu motuq; caveatur. Nam & palæſtrici motus ſæpe ſunt* (1) *odioſiores: & hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant: & in utroq; genere, quæ ſunt recta, & ſimplicia, laudantur. Formæ autem dignitas* (2) *coloris bonitate tuenda eſt: color* (3) *exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa, neque exquiſita nimis; tantum quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam.* (4) *Eadem ratio eſt habenda veſtitus: in*

(1) *Odioſiores.*) Quippe omne adfectatum eſt odioſum.

(2) *Coloris bonitate.*) Si quis ergo ea cauſa pallet, qua Pamphilus, formæ dignitatem improbè negligit.

(3) *Exercitationibus.*) Non iræ aliarumve perturbationum æſtuatione.

(4) *Eadem ratio.*) Πάντων μέτριον ἄριστον. Id quoque in veſtitu locum habere ait, cumprimis ne ille vel ſplendidior ſit, nec ſordidus. Hic debet haberi ratio conditionis & ſtatus, nec non temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum. Alia igitur poteſt eſſe veſtis æſtiva, alia hyberna, alia nuptialis, alia funebris &c. *Socrates certè veſtibus iisdem & hyeme & æſtate uſus perhibetur. Iis verò qui Socrati collati delicatè vivunt, ſatis erit adverſus caloris & frigoris intemperiem, lino è terrâ nato, & uſitatorum nobis animalium lana & velleribus uti. At verò flumina Occidentis perſcrutari, & quæ in iis ſunt animalia excoriare, & ſerum Orientalium egere opera, & fila vermicum pretioſiſſimis & firmiſſimis apud nos rebus auro atque argento redimere, magni fuerit & luxus & inconſiderantiæ.* Verba ſunt Simplicii ad *Epictet. cap.* 45. Sordidum veſtitum in Lacedæmoniis reprehendit Ariſt. 4. *Nicom.* 3.

§. 85.

*in quo, ſicut in pleriſq; rebus, mediocritas optima eſt.* (1) *Cavendum eſt autem, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam.* (2) *Sed multo etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus à natura recedant: quod aſſequemur, ſi cavebimus, ne in perturbationes,*

§. 85. *Superbi ex veſtitu, ex habitu, geſtuq; corporis, & conſimilibus aliis ornatum ſibi quærunt, ſuasq; res ſecundas omnibus notas & manifeſtas eſſe volunt, & de ſeipſis prædicant, quaſi ex his honorem conſecuturi.* Sed hoſce χάυνους paulò ante appellat ἠλιθίους, ſtolidos. Contra hoc præceptum Ciceronis miris peccatur modis à Gallis cumprimis & Germanis. Iſti enim primas hac in re tenent, hi ſecundas, ſeduli Gallorum imitatores. Nam his non ſolùm veſtitus eſt ſæpè odioſus, & exquiſitus nimis, ſed alius alio (ut ſunt eâ in re leves inſtabilesque) abſurdior & ineptior, perinde ac ſi inter reliquas gentes perpetuam hiſtrioniam veſtiariam certatim exerceant.

(1) *Cavendum eſt.*) Add. 4. *Nic.* 3. §. 75. & 76. In Phyſiognomicis eidem Ariſtoteli alii ſunt μακροβάμονες, alii βραχυβάμονες, alii ταχυβάμονες, alii βραδυβάμονες. Hæc ſi enormia non ſint, tolerari poſſunt, tanquam naturalia ingreſſus diſcrimina. De Ferculis videantur rituum & antiquitatum Romanarum Scriptores. Nam ea res nobis hîc non magnoperè curæ eſt.

(2) *Sed multò.*) Si tanta cura adhibenda eſt in geſtu habituque corporis moderando, quantò magis elaborandum eſt, ne animi motus & appetitiones à natura,

*bationes, atque examinationes incidamus: &, si attentos animos ad decori conservationem tenebimus.* (1) *Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationes; alteri appetitus. Cogitatio in verò exquirendo maxime versatur: appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus.*

(2) *Et quoniam magna vis orationis est, eademque*

quam optimam vitæ ducem constituit, seu ratione recedant.

(1) *Motus autem.*) Præcipuas animæ facultates, Intelligentem & Appetentem, Stoici vocabant λόγου & ὁρμήν. Intelligens illa vel est Theoretica, vel Practica. Istius motus secundum Ciceronem (impropriè enim Intellectus dicuntur Motus esse) tum erunt recti & κατόρθωμα, si in vero exquirendo theoretico versetur: hujus vis recta erit, si in practico ita versetur, ut accuratè bonum à malo distinguat. Appetitus motus erunt recti, si rationi sine ulla refragatione obediat. Quod verò dicit, Appetitum impellere ad agendum, ita explicat. Arist. 1. *Magn. mor. c.* 12. ἀρχὴ δ' ἐστὶ πράξεως καὶ σπουδαίας καὶ φαύλης, προαίρεσις, καὶ βούλησις, καὶ τὸ μετὰ λόγου πᾶν. *Principium actionis cum bonæ tum malæ est proæresis, voluntas, & quidquid cum ratione movetur. cap. seq.* 13. his: ἔστι μὲν οὖν καθ' ὃ πράττομεν ὄρεξις. ὀρέξεως δὲ ὅσα εἴδη τρία, ἐπιθυμία, θυμὸς, βούλησις. *Est igitur secundum quod agimus appetitus: appetitus verò species tres sunt, cupiditas, ira, voluntas.*

(2) *Et quoniam.*) Orationis jam κατόρθωμα investigat. Illam verò facit duplicem, contentiosam, quæ locum habet in Senatu, foro & concionibus; alteram familiarem.

Istius

*demque duplex; altera contentionis, altera ſermonis: contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis,* (1) *diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur: perſequatur etiam convivia. Contentionis præcepta rhetorum ſunt, nulla ſermonis. Quamquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe. Sed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri; huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli: rhetorum turba referta omnia: quanquam quæ verborum ſententiarumq; præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt.* (2) *Sed cum orationis indicem vocem habeamus,*

Iſtius τρίπου præceptis Rhetoricis comprehenditur. Hujus præcepta nulla eſſe ait, quædam tamen ex rhetorum loculis illi accommodari poſſe cenſet. His accedunt præcepta Grammatices, ſi ſermonem ſimpliciter conſideres: quo verò ſermone uti conveniat in familiari congreſſu docent Philoſophi morales, ubi tractant virtutes ὁμιλητικὰς Ariſt. 4. *Nic. c. 6. ſeqq.* cui addi poterunt Eraſmus *de civil. mor.* Althuſius & Steph. Guazzius *de civil. converſ.* Jo. Caſa Galatæus *de mor. honeſtate.* Non ergo omnino verum videtur eſſe, quod ait Cicero, huic rei ſtuduiſſe nullos, cum aliud ex Ariſtotele diſcere potuiſſet.

(1) *Diſputationibus.*) Harum finem ſi ſpectes, utimur ſanè & in his ſermone contentioſo; ſicut enim in judiciis de Juſto, & in Senatu de utili, ita in Diſputationibus de verò contendimus. Cicero autem non earum finem, ſed modum reſpiciens vult diſputantes placida & ſedata oratione uti, ne animus contendendo effervescens veritatem perdat.

(2) *Sed cum.*) Oratio noſtra non ſimpliciter voce

ſed

*mus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis; utrumque omnino à natura petendum eſt: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter. Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquiſito judicio putares uti litterarum; quanquam erant litterati: ſed & alii. Hi autem optimè uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis: litteræ neque expreſſæ, neque oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, aut putidum. Sine contentione vox nec languens, nec canora. Vberior oratio L. Craſſi, nec minus faceta; ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale verò conditus, & facetiis Cæſar. Catuli patris frater, vicit omneis: ut in ipſo illo forenſi genere dicendi, contentiones aliorum ſermone vinceret. In omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi in omnibus, quod deceat, exquirimus.*

(1) *Sit igitur hic ſermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis,* (2) *minimeq; pertinax: inſit*

*in*

ſed voce ſignificante exprimitur: Ideò Ariſt. diſtinguit inter vocem & ſermonem 1. *Polit.* 2. *p. m.* 7. Hujus τὸ πρέπον eſt, ſi Clarus ſit & ſuavis. Hæc quidem dicit eſſe à natura, poſſe tamen augeri exercitatione ac imitatione. Illuſtrat hæc exemplis, quæ potius ἀυτηκοΐαν requirunt.

(1) *Sit igitur.*) Repetit τὸ πρέπον Orationis familiaris, idque cerni poſſe ait ex Dialogis ac Diſputationibus Socraticis, quæ mira venuſtate, argutiis, ac ſalibus ſcatent.

(2) *Minimè pertinax.*) εἰσὶ δὲ ἰσχυρογνώμονες οἱ ἰδιογνώμονες καὶ οἱ ἁμάθεις, καὶ ἄτροποι. οἱ μὲν ἰδιογνώμονες δι

ἡδονὴν

*in eo lepos.* (1) *Nec verò tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed cum reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudine nonnunquam utendum putet. Ac videat inprimis, quibus de rebus loquatur: ſi ſeriis ſeveritatem adhibeat; ſi jocoſis, leporem. Inprimis provideat,* (2) *ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus: quod maxime tum ſolet evenire, cum ſtudioſè*

ἡδονὴν καὶ λύπην. χαίρουσι γὰρ νικῶντες, ἐὰν μὴ μεταπείθωνται καὶ λυπῶνται, ἂν ἄκυρα τὰ αὑτῶν ἢ ὥσπερ ψηφίσματα. 7. Nicom. 9. §. 12. & 13. *Obfirmati in ſententia ſunt ii, qui ſuas quasdam ſententias animo tenent, indocti item, & agreſtes homines. Atque ii quidem, qui ſuas ſententias animo tenent, propter voluntatem ac dolorem ſunt pertinaces. Lætantur enim ſe vincere, cum de ſententia ſua non deducuntur: & graviter moleſteque ferunt, cum ſua veluti decreta reſcindi ipſis videntur atque infirmari.*

(1) *Nec verò.*) Multi ambitioſa quadam garrulitate ſunt præditi, ut ſibi ſolis loquendi partes vindicent, nec alterius ſermonem admittant: quod eſt contra τὸ πρέπον. σιωπὴ τὸ πολὺ ἔξω, ἢ λαλεῖσθω τὰ ἀναγκαῖα, καὶ ὀλίγων. *Majori quidem ex parte ſilentium præſtetur, aut neceſſaria dicantur eaque paucis.* Epictet. *enchir. cap.* 41.

(2) *Ne ſermo.*) Sermo enim character animi. Nec ſanè ita eſt quod queritur Euripides:

ἀδεὴς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι,
ᾧ χρὴ τὸν ἐσθλὸν τοῦ κακοῦ δεδέναι.

*Nullus character corpori coaluit, quo bonum à malo queas dignoſcere.* Bonitas enim & malitia animo non corpori inſunt, ut ſi illius ſit character, ſatis ad hunc cognoſcendum eſſe queat.

*Detra-*

*ſtudiosè de abſentibus,* (1) *detrahẽdi cauſſa, aut perridiculum, aut ſevere, maledice, contumelioſeq; dicitur.* (2) *Habentur autem plerumq; ſermones, aut de domeſticis negotiis, aut de Republica, aut de artium ſtudiis, & doctrina. Danda igitur opera eſt, ut,* (3) *etiamſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: ſed utcumque aderunt res. Neque enim iisdem de rebus, nec in omni tempore, nec ſimiliter delectamur.* (4) *Animadvertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat, &, ut*

(1) *Detrahendi cauſa.*) μάλιστα δὲ μὴ περὶ ἀνθρώπων λέγοντες ἢ ἐπαινοῦντες, ἢ συγκρίνοντες. *Imprimis autem ne homines vituperemus vel laudemus, vel comparemus caveatur*; inquit Epictet. *enchir. c.* 41. Pertinet huc tritum illud, De abſentibus & mortuis nil niſi benè loquendum eſſe. Add. Ariſt. 4. *Nic.* 3. §. 30. *ſeqq.*

(2) *Habentur.*) De quibus rebus ſermo ſit inſtituendus docet. Epictetus uno verbo dicebat περὶ τῶν ἀναγκαίων, ſive ad virtutem adhortando ſive docendo, ſive conſulendo, ſive conſolando, ſive de veritate naturaq; rerum inquirendo & diſputando, ſive Dei excellentiam & providentiam celebrando, & auxilium ad degendam vitam naturæ congruentem votis expoſcendo. Uti hæc interpretatur Simplicius.

(3) *Si abberrare.*) Add. *Epictet. c.* 42. Nam temerè ab una re ad aliam ſermonem convertere, character foret levitatis & inconſtantiæ.

(4) *Animadvertendum.*) Hoc obtinebimus, ſi mentem noſtram exponamus ſi ὀλίγων ut monet Epictetus; niſi rei gravitas uberiorem quandam orationem exigat, cui tamen item ſuus eſt modus conſtituendus.

Sed

*ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.* (1) *Sed quomodo in omni vita rectissime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperanteis: sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ita existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat. Maximeq; curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus,* (2) *& vereri,* (3) *& diligere videamur. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ; in quibus utendum est fortasse, & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore.* (4) *Id agendum etiam,*

(1) *Sed quomodo.*) A familiari sermone abesse debet animi commotio, nisi forsan justa objurgatione opus sit, quæ quandam contentionem requirit: de qua mox ipse monet.

(2) *Vereri.*) Ut scilicet fastus & Impudentia vitetur, ne nimia familiaritas contemptum pariat.

(3) *Diligere.*) Ut vitetur σκυθρωπία & austeritas. Non tamen debet esse adulatoria dilectio, nisi cum stultis in contraria velimus currere vitia.

(4) *Id agendum.*) Cum objurgatio quædam pœna sit, hæc verò vel κολάσεως vel τιμωρίας nomine veniat, uti suprà intelleximus; sanè quidquid ad κόλασιν pertinet, significandum est, ipsius causa, qui objurgatur aut castigatur, suscептum esse. Ira verò non potest abesse, sed indecens illius enormitas vitari debet, quàm cum Stoicis per Iram intelligit. Ad pœnam verò hanc nonnisi necessariò descendendum esse præcipit, si nulla reperietur alia medicina. Nam animi vitiis corrupti non una est medicina; sæpè enim docendo, monendo, suadendo, hortando

pre-

*etiam, ut ea facere non videamur irati, sed, ut adurendum, & secandum medici, sic nos ad hoc genus castigandi raro, invitique veniamus, nec unquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ira procul absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil considerate potest. Magna autem ex parte clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut & severitas adhibeatur, (1) & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, significandum est, (2) ipsius caussa, qui objurgetur, susceptum esse. (3) Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione*

precando, illa eximuntur: at pœnarum mollissima est Objurgatio. Quomodo verò pœna sit medicina vid. Disquis. meam Philos. *de Pœnis th.* 22. *seqq.* Breviter: si κόλασις fuerit, medicinam judex ipsi facit delinquenti, sin τιμωρία, Reipublicæ, liberando hanc à putrido membro, aut ut illud ea severitate tractet, quò emendetur & convalescat, quomodo os luxatum restitui adsolet.

(1) *Contumelia repellatur.*) Objurgatio non debet esse conjuncta cum contumelia, ingenuo homine indigna.

(2) *Ipsius causa.*) Optimè hoc convenit cum Aristotele qui 1. *Rhet.* 10. tradit τὴν κόλασιν τοῦ πάσχοντος ἕνεκα εἶναι.

(3) *Rectum est.*) Docet qua moderatione uti debeamus, etiam si inimicissimis respondebimus: cumprimis hæc decet viros doctos & graves. λοιδορεῖσθαι δὲ πρέπει ἀνδρὶ

*tione fiunt, ea neque conſtanter fieri poſſunt, nec ab iis, qui adſunt, approbari.* (1) *Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.* (2) *Et quoniam omnia perſequimur, (volumus quidem certè) dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati, & principis domum placeat eſſe. Cujus finis eſt uſus, ad quem accommodanda eſt*

ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας, inquit ille. Quod ſi ab his non obſervetur dicas ex Virgilio:

*——Cur vos Natura magis, quàm*
*Diſciplina trahit.*

(1) *Deforme.*) ἀλαζονείας καὶ βωμολοχίας vitium quoque vitandum monet, quo ipſe Cicero laboravit. Vid. Oratio in Ciceronem Salluſtio tributa. Ariſt. 4. *Nic. com.* 7. §. 20. *ſeqq.* Plutarchus περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως. *Quomodo quis citra invidiam ſe laudare poſſit:* cujus commentarii hæc concluſio eſt ὅτι τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις ἀλλότριος ἕπεται ψόγος ἀεὶ, καὶ γίνεται τέλος ἀδοξία τῆς κενοδοξίας. *Quod laudem propriam alienum ſequatur ſemper vituperium, hujusque gloriæ inanis finis ſit ignominia,* uti hæc vertit *Thomas Naogeorgus.*

(2) *Et quoniam.*) Breviter de his *Epict. c.* 46. *Quæ corpori ſerviunt eatenus adhibeantur, quatenus animo ſunt uſui: veluti cibi, potus, amictus, ædes, ſervitium. Quidquid autem ad oſtentationem aut delicias attinet repudiato.* Sunt enim hæc omnia vitæ humanæ inſtrumenta, uti ait Ariſt. 1. *Polit.* Inſtrumenta verò ſunt propter uſum: quo fine jam illum uſum determinaverit Epictetus, accepimus. Quia verò non una eſt eademq; conditio omnium hominũ ergò forſan viro principi generoſo ac magnifico

*est ædificandi descriptio: & tamen adhibenda dignitatis, commoditatisq; diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset* (1) *in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus,* (2) *accessionem adjunxit ædibus. Itaque ille in suam domum* splendidior & magnificentior convenit Domus. Consentit Aristoteles 4. *Nic.* 2. §. 40. *seqq. &* c. 3. §. 74. Audiendus hic iterum est Simplicius cum non sit in omnium manibus ad Epictet. c. 46. *Crateti domum idoneam præbuit dolium, quamvis pulchram Hipparchiam uxorem habenti. Nobis autem sit sanè domus, sed ad usum accommodata, tam magnitudine, quàm ornatu, quæ & virorum & mulierum distincta habeat conclavia; quamvis & hæc fortassis supervacanea fuerint. Ea quidem esse magnitudine, ut triginta lectulos capiat, ut parietibus & pavimento marmoreo ac tessellato & picturato sit, aut singulis mensibus diversoria distincta habeat, nihil est necesse. Neque enim vel usus ista postulat. Et miserum est, hujusmodi adsuetum, cæteras habitationes omnes improbare. Neque jam dico, qui his impensè delectetur, eum felicitatem etiam in hisce collocare, suimetipsius prorsus oblitum. Qui si his exciderit, (quod quidem multis de causis accidere potest) plorare necesse erit & lamentari, seque infelicem tum judicare. Enimverò tum infeliciores eramus, cum hisce deliciis circumfluerémus.* Hæc ille.

(1) *In Palatio.*) Quo loco nunc sunt horti Farnesiani, inquit Manutius h.

(2) *Accessionem.*) Octavii domo destructa, spatium illud suæ adjecit.

*Igno-*

Digitized by Google

*domum consulatum primus intulit : hic summi, & clarissimi viri filius, in domum multiplicatam non repulsam solum retulit, sed* (1) *ignominiam, & calamitatem. Ornanda est enim dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda : nec domo Dominus, sed Domino domus honestanda est.* (2) *Et, ut in cæteris habenda ratio non sui solum, sed etiam aliorum : sic in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominum cujusque generis multitudo, adhibenda est cura laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino sæpe fit, si est in ea solitudo, & maxime,* (4) *si aliquando alio domino solita est frequentari. Odiosum est enim, cum à prætereuntibus dicitur* : O domus antiqua, heu, quam dispari dominare domino ! *quod quidem,* (4) *his temporibus, in*

(1) *Ignominiam.*) Quod Sullæ in Sicilia quæstor repetundarum damnatus fuit. Cujus criminis quæ fuerit pœna, videre est ex *l.* 6. §. 6. & *l.* 7. §. 3. *ff. de L. Jul. repetund.* Vid. Plin. l. 36. c. 15.

(2) *Et ut in cæteris.*) Quatuor illustris domus requisita videtur ponere, ut sufficiat usui & necessitati, deinde ut satis sit commoda, tertiò dignitatem ac splendorem convenientem habeat, denique ampla sit.

(3) *Si aliquando.*) Si olim fuerit habitata à Domino illustri, qui vel ab amicis, vel clientibus frequentissimè fuerit appellatus.

(4) *His temporibus.*) Quibus per bella civilia & proscriptiones optimi quique principesque viri fuerunt profligati.

*in multis licet dicere.* (1) *Cavendum est etiam, præsertim si ipse ædifices, ne extra modum sumptu, & magnificentia prodeas. Quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiosè enim plerique, præsertim in hac parte, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi viri, virtutem, quis? quam multi* (2) *villarum magnificentiam imitati sunt? quarum quidem certè est adhibendus modus, ad mediocritatem revocandus. Eademque mediocritas ad communem usum, cultumque vitæ referenda est. Sed hæc hactenus.*

(3) *In omni autem actione suscipienda, tria sunt*

(1) *Cavendum est.*) Vid. ille Arist. locus allegatus *c. 2. l. 4. Nic.* Exemplo verò nocet altiùs ac splendidiùs ædificans, quod idem alii sive contra leges tentent, sive quod tantæ ipsius opes non sint. De altitudine ædificiorum Romanorum legi quædam possunt apud Barn. Brisson. *antiq. select. lib. 1. c. 1.* Notum est illud Theognidis:

σώματα πολλὰ τρέφειν, μὴ δ' ὤμαλα πολλ' ἀνεγείρειν
ἄτραπός ἐσπενίην ἐς ἐτοιμοτάτη.

Contra hæc præcepta graviter peccavit is, qui magnificentissimum illud ædificium Erfordiæ molitus est, emoliri autem non potuit: cujus generis privatum quempiam alium in Germania unquam aggressum fuisse vix puto. Sed inusitatæ, vanitatis sufficit unum exemplum.

(2) *Villarum magnificentiam.*) Vid. *Plutarch. in vita Luculli. Varr. de re rust. lib. 3.* Hinc Lucullus à Pompejo M. Xerxes togatus appellatus, teste *Plin. l. 9. nat. hist. cap. 54.*

(3) *In omni.*) Suprà dicebat τὸ πρέπον in tribus rebus positum esse, formositate, ordine, ornatu ad actionem

*ſunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat; quo nihil eſt ad officia conſervanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur, quanta illa res ſit, quam efficere velimus; ut neve major, neve minor cura, & opera ſuſcipiatur, quam cauſſa poſtulet: tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem, moderata ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum autem trium præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi.*

(1) *Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate, dicendum eſt. Hæc autem ſcientia continet eam, quam Græci* εὐταξίαν *nominant, non*

nem apto. De poſtremo hic jam docet, & tria circa illud proponit præcepta, quorum primum ipſo Ciceronе judice, eſt præſtantiſſimum, videlicet ſi appetitus rationi obtemperet; hæc enim totius Philoſophiæ moralis ſumma eſt. Quod ſi accuratè expendere, nec Panætium potius ſequi voluiſſet, nihil opus fuiſſet altero & tertio præcepto. Qui enim appetitum rationi obſequentem habet, ſic ut hæc quoque per Prudentiam ſit perfecta, is quoque circa qualitatem, quantitatem rei, modum, aliaque τὰ καθ' ἕκαστα probè obſervabit appetitus ſui totiusque actionis prudentem moderationem.

(1) *Deinceps.*) Jam τὸ πρέπον ordinis depingit. Varia ſunt actionum moralium attributa, & circumſtantiæ, quæ ita ſunt attentè dijudicandæ, ut Decorum & Honeſtum ubiq; quæratur. Hic jam in ſpecie attingit Locū &

*non hanc, quam interpretamur modeſtiam: quo in verbo modus ineſt. ſed illa eſt* εὐταξία, *in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque, ut eandem nos modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis, ut modeſtia ſit ſcientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Itaque videtur eadem vis ordinis, & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis, & accommodatis locis: locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt. tempus autem actionis oportunum, Græcè* εὐκαιρία, *Latinè appellatur occaſio. Sic fit, ut modeſtia hæc, quam interpretamur ita, ut dixi, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.*

(1) *Sed poteſt eſſe eadem prudentiæ definitio, de qua*

Tempus, ut quidque fiat ſuo loco & tempore. Illius opportunitatem εὐταξίαν, hujus εὐκαιρίαν Græci vocabant. Quia verò nimiam hanc ſcrupuloſamque Stoicorum ſubtilitatem, & facilem in tali lingua ἀνοματοποίησιν, non æquè in Latino ſermone adſequi & exprimere poterat, dicit Modeſtiam forſan poſſe dici illam εὐταξίαν: quia verò etiam σωφροσύνη eodem venit vocabulo, non hanc, ſed iſtam ſe hic intelligere ait. Deinde cum hæc non ſatis explicare poſſet, implicat: Locum, inquit, actionis, opportunitatem temporis eſſe dicuntur. Planè ac ſi id diceret, εὐταξίαν hanc ab εὐκαιρίᾳ nihil differre: atq; hinc ipſam εὐκαιρίαν mox quoque appellat Modeſtiam, qua paulò antè εὐταξίαν deſignabat.

(1) *Sed poteſt eadem.*) Aliquid hic veritatis videt. Non enim Prudentiæ hæc poteſt eſſe definitio: at illius bene-

Digitized by Google

*quæ principio diximus: hoc autem loco de moderatione, & temperantia, & aliis similibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, suo loco dicta sunt: quæ autem harum virtutum, de quibus jamdudum loquimur, quæ pertinent ad verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt.*

(1) *Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti sic in vita omnia sint apta, & inter se convenientia.*

*turpe*

beneficio & facultate omnium actionum moralium circumstantiæ, locus, tempus, modus, aliæque reguntur, & ad debitum honestatis finem transferuntur. Prudentiæ definitionem vide apud Aristotelem 6. *Nic.* 5. §. 9. Quomodo verò Prudentiæ officium concurrat cum officio Appetitus rationi obsequente, audiamus item Aristot. 6. *Nic.* 12. §. 16. & 17. *Ex prudentia & virtute morali opus virtutis absolvitur. Virtus enim scopum propositum agenti rectum efficit: Prudentia verò ea, quæ ad scopum ducunt.* Non poterat veriora paucis planiùs proloqui: Apage igitur illas ineptias Stoicas. Nam quidquid hic Modestiæ tribuit, & ratione ordinis, εὐταξίας aut εὐκοσμίας exigit, omne aptum est à directione prudentiæ; hæc enim debito decentique modo singulas actiones omnium circumstantiarum accuratâ ratione habita ad verum finem dirigit ac disponit.

(1) *Talis est.*) Speciatim jam explicat suam εὐταξίαν & εὐκαιρίαν. Potuisset hoc uno dicere verbo, Actionum singularia seu circumstantias prudenter ubique esse distinguendas, sic nihil indecori aut inhonesti commissum iri. Si enim tanto artificio ac studio εὐταξία Orationis,

*turpe est enim, valdeq; vitiosum, in re severa convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem Poëtam, hique de communi officio convenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles; O puerum pulchrum, Pericle!* At enim prætorem, Sophocle, decet, non solùm manus, sed etiam oculos abstinentes habere. (1) *Atque hoc idem Sophocles, si in athletarum approbatione dixisset, justa reprehensione caruisset. Tanta vis est & loci, & temporis: ut, si quis, cum caussam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at, hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur insciti a temporis.* (2) *Sed ea, quæ multum ab humanitate discrepant, ut, si quis in foro cantet, aut si qua*

*est*

tionis, quanto majori ipsius vitæ harmonia quærenda est. Atque hæc est illa decantata Mediocritas rationis Aristotelica, qualis quidem convenit judicio viri prudentis 2. *Nicom.* 6. §. 26.

(1) *Atque hoc idem.*) Quemadmodum rectè vox Sophoclis reprehensa fuit, à Pericle, tanquam aliena ab isto collegii sui negotio, quod tractabant: sic justa reprehensione caruisset, si in theatro prolata fuisset; ibi enim vires ac pulchritudo corporis spectantur cumprimis apud Græcos, ubi nudi certabant athletæ.

(2) *Sed ea.*) Non opus esse putat ad officium & πρέπον præceptis quibusdam illa revocare, quæ nimium à Decoro & Honesto recedunt, quin majori diligentia

ad

*est alia magna perversitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem, & præcepta desiderant: quæ autem parva videntur esse delicta, neq; à multis intelligi possunt, ab his est diligentius declinandũ. Vt in fidibus, aut in tibiis, quamvis paullum discrepent, tamen id à sciente animadverti solet: sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet; vel multo etiam magis, quo major, & melior actionum, quam sonorum, concentus est. Itaque, ut in fidibus musicorũ aures vel minima sentiunt: sic nos, si acres, ac diligentes judices esse volumus, animadversoresq; vitiorum,* (1) *magna intelligimus sæpe ex parvis: ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione, aut contractione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex summissione, ex cæteris similibus facilè*

ad officium reducendi sunt illi, qui in minimis erratis versantur, ne his decepti, atque fascinati animi ad majora vitia prolabantur. Atque hâc ex causa natum fuit illud Stoicorum παράδοξον, Peccata esse æqualia.

(1) *Magna intelligimus.*) Ex rebus minimis Indecorum quiddam præ se ferentibus, sæpè licet de maximis conjicere vitiis. Cæterum cum in his facillimè judicium nostrum falli possit, temerè nihil de aliorum moribus in sinistram partem pronuntiandum est. Ciceronis illa confirmat D. Ambrosii & Nazianzeni testimonium, dicentium, se ex motu, incessu, & ineptis corporis gestibus maturè deprehendisse perversum Juliani Apostatæ ingenium. Notum & illud est de Pompejo Magno:

*facilè judicabimus, quid apte eorum fiat, quid ab officio, naturaque discrepet.* (1) *Quo in genere non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex aliis judicare: ut, si quid dedeceat in aliis, vitemus & ipsi. Fit enim nescio, quo modo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur.* (1) *Itaque facillimè corriguntur illi in discen-*

*Fasciola qui crura ligat, digito caput uno,*
*Scalpit: quid credas hunc sibi velle? Virum.*

Et alterum illud, quo jubebantur Romani sibi cavere à malè procincto puero. Martialis:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.*
*Rem facis egregiam, Zoile, si bonus es.*

(1) *Quo in genere.*) Ejusmodi igitur indicia, notas & circumstantias attentè dijudicare debemus, sic ut si ex his quidquam probemus in aliis, imitemur: sin improbemus, & nos fugiamus. Et verò ad hoc alienorum morum speculum tantò diligentius nostros mores explorare ac emendare debemus, quanto cœciores in re nostra Judices sumus propter φιλαυτίαν, adfectuumque nebulam. κεδὸν οἱ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων, *Plerique malè suarum rerum judices sunt,* inquit Arist. 3. *Pol.* 6. *p.* 165.

*Nimirum idem omnes fallimur: neque est quisquam*
*Quem non in aliqua re videre Suffenum*
*Possis: suus cuique attributus est error:*
*Sed non videmus manticæ quod in tergo est:*

uti venustè ait: Catullus *ep.* 22.

(2) *Itaque facillimè.*) Hunc modum etiam Deus ipse non improbavit. Illius enim jussu Propheta jubebatur meretricem ducere, cumque illa consuescere, quò

vel

*discendo, quorum vitia imitantur emendandi causſa magiſtri.* (1) *Nec verò alienum eſt, ad eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, & quid his de unoquoque genere officii placeat, exquirere. major enim pars eo fere deferri ſolet, quo à natura ipſa dedu-*

vel ex hujus rei exemplo propoſito idololatricas ſuas ſcortationes populus Judaicus agnoſceret.

(1) *Nec verò.*) Multiplex poteſt occurrere in rebus agendis aut fugiendis dubitatio: ne igitur temerè ceu bonum aliquid perſequaris, aut tanquam malum fugias conſule peritiores. Rectius Ariſtoteles dicit: Virum bonum (idem enim & Prudens eſt) pro norma vitæ rectè inſtituendæ eſſe habendum. ἔοικε μέτρον ἑκάστῳ ἡ ἀρετὴ, καὶ ὁ σπουδαῖος εἶναι, inquit, 9. *Nicom.* 4. §. 9. *Conſentaneum eſt, virtutem & virum bonum unicuique rei eſſe menſuram.* Et 10. *Nic.* 5. §. 44. ſeqq. *Quod ſi hoc rectè dicitur, ut certè videtur, ſique virtus eſt rei cujuſq; menſura, itemque vir bonus, quà bonus; ſanè & voluptates æſtimandæ ſunt, quæ huic videntur, illaque item verè jucunda, quibus hic delectatur: illa autem quæ huic moleſta ſunt, ſi cui alteri ſuavia videantur non eſt mirum; Multæ enim ſunt hominum peſtes & corruptelæ. Verè tamen talia jucunda non ſunt, ſed his ſolummodo, atque ſic affectis.* Etſi igitur multæ ſint hominum peſtes & corruptelæ, ut pro bono & jucundo habeant, quæ minimè talia ſunt, major tamen, inquit Cicero, hominum pars conſenſu ſuo (ὁμολογουμένως inquit Ariſt. 10. *Nic.* 5. §. 48.) eò delabitur quò ipſa Natura humana ſeu recta Ratio nos ducit. ὃ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναί φαμεν. ὁ δ' ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. *Quod omnibus videtur, ita eſſe ſtatuitur. Nec qui communem illam perſuaſionem tollit,*

*deducitur. In quibus videndum est, non modo, quid quisque loquatur, sed etiam, quid quisque sentiat, atque etiam,* (1) *qua de caussa quisque sentiat. Vt enim pictores, & ii, qui signa fabricantur, & verò etiam Poëtæ suum quisque opus à vulgo considerari vult, ut, si quid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur; hique & secum, & cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum judicio permulta nobis & facienda & non facienda, & mutanda, & corrigenda sunt.* (2) *Quæ verò more aguntur, & institutis civilibus, de his nihil est præcipien-*

*tollit, probabiliora allaturus est.* inquit idem 10. *Nic.* 2. §. 23. Quantum verò tali consensui ac judicio tribuendum sit docet Eustratius ad *lib.* 1. *Nicom. c.* 7. §. 25. his verbis: χρῆται δὲ καὶ τούτῳ τῇ κοινῇ ὁμολογίᾳ ὡς ἀυλοπίστῳ. ἔνθα γὰρ κοινῶς ὁμολόγηται, τὴν χρείαν ἐκεῖ ἀποδείξεως, hoc est, *Vtitur verò in hoc communi consensu, utpote ex se fide digno, nulloque extrinsecus ad confirmationem indigente. Nam ubi quid communi consensu probatur, quid in eo opus demonstratione est?*

(1) *Qua de causa.*) Non spectanda est sola autoritas dicentis, sed rationes expendendæ sunt. Ineptissimum enim illud fuit Pythagoreorum, αὐτὸς ἔφα, à veritate magis abducens, quàm ad illam ducens.

(2) *Quæ verò more.*) Sæpè consuetudo regionis alicujus aut nationis certum vivendi modum nobis præscribit, in quo τὸ πρέπον ibi consistere creditur. De his inquit non tradi præcepta; ipsa enim instituta & consuetudines tales præceptorum ac quarundam legum instar & vim habere. Et quamvis forsan magni nominis Philosophi in his mutandis aut corrigendis aliquam sibi licentiam

*cipiendum. Illa enim ipſa præcepta ſunt: nec quenquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitrentur licere. Magnis illi, & divinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum verò ratio tota eſt ejicienda: eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectũ eſſe poteſt, nihil honeſtum.* (1) *Eos autẽ, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis, atque magnis eſt, de Republica ſentienteis, ac bene meritos, aut merentes, aliquo honore, aut imperio affectos, obſervare, & colere debemus: tribuere etiam multum ſenectuti: cedere iis, qui magiſtratum habebunt: habere delectum civis, & peregrini: in*

tiam ſumpſerint, hactenus tamen illos imitandos nobis non proponimus. Compenſarunt enim hos ſuos nævos excellentibus aliis donis, indeque veniam conſecuti ſunt. Socrati præcipuè vitio datur, quod cum alia inveterata inſtituta cavillatus, tum quoque in religionis negotio res novas molitus fuerit: qua de re hic legi poterit Petr. Marſus. Defendunt Socratem ejus Diſcipuli Plato in *Apolog.* & Xenophon *de dict. & fact. Socr. memorab.* Ariſtippus pluſculum voluptati tribuebat, & conſuetudine utebatur meretricum. Præcipuè verò detestatur Cynicos, quod licet morum culturam aſperrimis ſtudiis quærerent, unde nonnulli τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν dixerunt; propter infamem tamen inverecundiam penitus ſint ejiciendi, quo vitio nihil magis adverſari Honeſtati rectè adſerit.

(1) *Eos autem.)* Officiorum regulas tradit, qua obſerva-

*in ipſo quoque peregrino, privatim ne an* (1) *publicè venerit:* (2) *ad ſummam* (*ne agam de ſingulis*) *communem totius generis hominum conciliationem, & conſociationem colere, tueri, ſervare debemus.*

(3) *Iam de artificiis, & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc ferè accepimus.* (4) *Primum improbantur ii quæſtus, qui in odia homi-*

ſervatione virtute præſtantiores, ſuperiores, ſeniores, cives aut peregrini excipiendi ſint.

(1) *Publicè venerit.*) Veluti Legatus aliquis. Hinc paulatim placuit gentibus peculiaria Legatis officia exhiberi: de quibus *Grot. l. 2. de J. B. P. cap.* 18.

(2) *Ad ſummam.*) Generali præcepto ſuperiora comprehendit, omnia illa officia eſſe colenda & exhibenda, quæ ad Societatis humanæ neceſſitatem, amicitiam ac ſalutem faciunt.

(3) *Iam de artificiis.*) Pergit hic docere quatenus in artificiis & quæſtibus Decorum vel Indecorum ſit. Non verò hoc Decorum ubique tale eſt, de quo ſuprà locutus eſt, quod ipſius Honeſti naturalis ſit conſequens, ſed quod pertinet ad Honeſtum ex opinione hominum tale. Ita naturaliter tam Honeſtus & bonus poteſt eſſe Textor, quàm Conſul. At ſi hic telam ordiri, iſte Reipublicæ proſpicere velit, utrumque indecorum foret.

(4) *Primùm.*) Portitorum & Fœneratorum quæſtus quandoque non tam illiberales quàm famoſi habentur, & ſi qui ſint ejus notæ alii homines ſimili modo καπηλευλικὴν exercentes, exoſi bonis omnibus propter avaritiam. In his igitur deprehendere licet non ſolùm Indecorum opinione, ſed etiam natura tale. Portorium

ſignificat

*hominum incurrunt, ut portitorum, & fœneratorum.* (1) *Illiberales autem, & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ,* (2) *non quorum artes emuntur. Est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis.* (3) *Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur.* (4) *Nec verò quidquam est turpius vanitate:* (5) *opificesque omnes in sordida arte ver-*

significat non tantum quod in portu, sed & quod exportandis mercibus in transitu pontis vectigal solvitur. *l.* 30. *§.* 8. *ff. locat. l.* 203. *ff. de V. S.* Unde qui hoc vectigal publicani redemerunt Portitores dicuntur. De Fœneratoribus plura scripsimus ad Grotii *de J. B. P. lib.* 2. *c.* 12. §. 20. & 21. Arist. 1. *Polit.*

(1) *Illiberales.*) Describit qui illiberales quæstus sint, putà si rebus necessariis operam & corporis nostri usum pro mercede alii conducant, sine artis respectu, ut quam nullam vilibus suis operibus impendunt. Itaque servitutis quoddam merces illa autoramentum videtur.

(2) *Non quorum.*) Pictores, aurifices, ejusque generis alii multum artis non illiberalis adhibentes excipiendi esse videntur.

(3) *Sordidi.*) Nam & in his avaritiæ vitium latet, quam ut expleant, utuntur mendaciis & fraudibus.

(4) *Nec verò.*) καθ' αὐτὸ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν. 4. *Nic.* 7. §. 11. sed hoc ipsum jam suprà tetigimus.

(5) *Opificesque.*) Quicunque versantur opifices vel in re sordida, vel voluptatum ministerio mancipati sunt, illiberales habendi. Isti enim si ingenui essent, aliis

in

*verſantur. Nec verò quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimeque artes probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum; cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, ut ait Terentius. Adde his, ſi placet, unguentarios,* (1) *ſaltatores,* (2) *totumque ludum talarium.* (3) *Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum; hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt,*

in ſtudiis eſſent occupati. Hi verò Intemperantiæ & Luxuriæ libidinem promovent. Add. *Car. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. l. 2. c. 12. pr.*

(1) *Saltatores.*) Quatenus libidini & mollitiei inſerviunt. Si enim corporis agilitas & membrorum commodus motus eo ſtudio quæratur, non videtur illud improbandum. Etſi enim præcipua cultura animo, aliqua tamen & corpori debetur. Cœterum Cicero ſine dubio ſaltatores illos intelligit, qui in theatro & ſcena ſuam artem profitebantur.

(2) *Totumque ludum.*) Add. *tit. ff. de Aleatoribus.* Sed quinam ſunt φοιτηταὶ iſtius ludi? ſine dubio otioſi, ignavi, luxurioſi, prodigi, molles, crapulæ addicti, lenones, ganeones ejusque farinæ alii. Laudatur hic Manutio Thomæ Leonici dialogus de Talorum jactu.

(3) *Quibus.*) Ita videtur συλλογίζειν. Quibus artibus aut Prudentia aliqua major ineſt, aut major utilitas, ut non ſibi ſolùm, ſed Reipublicæ proſit, αὐτάρκειαν ejus explendo, illæ ſunt liberales & laudabiles: Subſumit jam de Medicina, Architectura, omnis generis honeſta Doctrina, Mercatura magna, modò dolus ab hac abſit,

cum-

*est, sordida putanda est: sin magna & copiosa, multa undique apportans, multisq; sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda: atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros, possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius. De qua, quoniam in Catone Majore satis multa diximus, illinc assumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.*

*Sed ab iis partibus, quæ sunt honestatis, quemadmodum officia ducerentur, satis expositum videtur.*

cumprimis Agricultura. Cato *de re rust. Est interdum præstare populo mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet.* Vide *Car. Sigon. de ant. jur. civ. Ro. l. 2. c. 10. pr.* Mercaturam tenuem hinc segregat, quod avaritiæ videatur vicinior. Magnam mercaturam tum maximè laudandam esse putat, si non totam vitam quæstui inhiet, sed lucro benè parto contentus vitæ tranquillitati se dedat mercator; neque tali idem eveniat, quod Alphio fœneratori apud Horat. *Epod. 2.*

*Hæc ubi locutus, fœnerator Alphius,*
*Jamjam futurus rusticus,*
*Omnem relegit Idibus pecuniam:*
*Quærit Calendis ponere.*

Ubi etiam insignis vitæ rusticæ laudatio extat. Addantur huic argumento Rei Rusticæ Scriptores.

*videtur.* (1) *Eorum autem ipsorum, quæ honesta sunt, potest incidere sæpe contentio, & comparatio, de duobus honestis utrum honestius: qui locus à Panætio est prætermissus. Nam cum omnis honestas manet à partibus quatuor,* (2) *quarum una sit cogitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio sæpe inter se comparentur necesse est.* (3) *Placet igitur, aptiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducan-*

(1) *Eorum autem.*) Hactenus de Honesto, ejusque fontibus: jam illam disputationem ingreditur, si duo aut plura proponantur honesta, quodnam sit præstantissimum, adeoque quodnam ex his sit eligendum, alterique præferendum.

(2) *Quarum una.*) Pars una honestatis & cognitionis, hoc est, sapientiæ vel Prudentiæ, secundum ipsius sententiam; qua diversæ hæ virtutes confunduntur: altera communitatis, hoc est, Justitiæ, societates per bonorum & officiorum communicationem constituentis, & conservantis: tertia Magnanimitatis quam & Fortitudinem appellat: quarta Moderationis, hoc est, Temperantiæ, Modestiæ, & Ordinis.

(3) *Placet.*) Si jam quædam ἀντίθεσις seu contentio instituatur, utrum sit honestius sapientiæ an Justitiæ officia exercere, si utrisque vacare nequeas, quæritur utra sint præoptanda? Cicero hic præfert officia Justitiæ Sapientiæ officiis, non uno argumento. Primum hoc est; Si Societas præstantior est vita solitaria, etiam illa virtus ejusq; officia præstantiora est vita solitaria, etiam illa virtus ejusque officia, præstantiora erunt, quibus

Societas

*ducantur: idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis ea, quæ cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret, & contempletur; tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat è vita.*

(1) *Princepsque omnium virtutum est illa sapientia, quam σοφίαν Græci vocant: prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intel-*

Societas continetur, quàm illa est, qua vita solitaria consistit: Atqui verum est prius. E. & posterius. Si jam hic distinctè, uti par est, non cum Stoicis confusè loqui, & σοφίαν à Prudentia secernere velimus, negari posset primum Antecedens; qui enim vitam theoreticam vivit, & Sapientia sua fruitur, licet solus sit, Deus quasi quidam est, seu vitam Deorum similem agit, quatenus diviniſſimæ parti, Menti, unicè vacat. Legantur hac de re *& c. 7. & 8. l. 10. ad Nicom.* integra. Quod si jam pro Sapientia propriè dicta, substituas Prudentiam φρόνησιν, quam cum Stoicis rerum expetendarum fugiendarumq; scientiam appellat, negabitur sanè Justitiâ unicè Societates contineri. Quemadmodum enim omnis bona actio, totaque vita practicâ, ita & Justitiæ actiones à Prudentia reguntur, & ad debitum finem deducuntur. De Discrimine verò Sapientiæ & Prudentiæ *vide c. 7, lib. 6. ad Nicom.*

(1) *Princepsque.*) Confert hic σοφίαν & φρόνησιν, hanc isti postponit, utramque Justitiæ, velut honestiori: Quæ virtus, inquit, continet & Societatem, quæ est hominibus cum Diis secundum Stoicos, illa est præstantior ea virtute, quæ nil aliud est, quàm rerum expeten-

*intelligimus, quæ est rerum expetendarum, fugiendarumq; scientia. Illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum, atq; humanarum scientia: in qua continetur deorum, & hominum communitas, & societas inter ipsos.* (1) *Ea si maxima est, ut certe; necesse est, quod à communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio, contemplatioque naturæ manca quodam modo, atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea verò actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis*

darum & fugiendarum scientia: Atqui Sapientia est talis virtus. E. Quis hic non agnoscit Andabatarum digladiationem? nec enim Stoicis vel Sapientiæ vel Prudentiæ natura rectè ac distinctè fuit cognita. Nam ut Stoicos & Ciceronem 2. *de Legg.* hac in re sequamur, prima Societas est homini cum Deo, altera cum homine. Illa Societas, quæ est homini cum Deo, conservatur officiis pietatis, & observantia legum Naturæ: hoc ut fiat, Prudentiæ moderatione ubique opus est. Et si Sapientia secundum Ciceronem est, quæ hanc Societatem continet, cur igitur hanc virtutem officiis Justitiæ postponit, quæ, ut ipse hic docet, solùm conservat Societatem, quæ est inter homines, cum tamen præ hac religiosius sit colenda altera illa Societas, quæ est homini cum Deo. Tanti est rectè ac penitus perspexisse, quæ cujusq; rei natura ac definitio sit.

(1) *Ea si maxima est*) Ex istis jam progreditur ita: Si eo nomine Sapientia præstantior est Prudentia, quod præest Societati, quæ est inter Deum & hominem, quantò præstantior erit illa virtus, quæ omnino est communitatis, qualis est Justitia; Atqui verum prius ex illorum

hypo-

*neris humani. Ergo hæc cognitioni anteponenda est. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit, & judicat. Quis est enim tam cupidus in perspicienda, cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti, contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum, discrimenq; patriæ, cui subvenire, opitulariq; possit, nõ illa omnia (1) relinquat, atq; abjiciat, etiam si dinumerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? atque*

hypothesi E. Sapientia enim, inquit, solùm contemplatur officia Societatis, Justitia verò exercet. Jam verò quantum πρᾶξις præstat theoriæ, in societatibus, tantum Justitia præstat Sapientiæ. Atqui πρᾶξις tantum præstat, ut hæc sine illa manca sit censenda. E. Minorem pluribus illustrat. Quid jam de his sentiendum? Verum est officia moralia suum finem non ἐν τῇ γνώσει sed πράξει demum consequi. Interim illa de rebus Practicis speculatio, ut & ipsa actionum directio seu moderatio pertinet ad Prudentiam. Hæc enim & universalium est & singularium; novit enim in universum quid bonum sit, quid malum, quid sequendum, quid fugiendum, & causas quoque illius discriminis tenet. Sed & circa singularia occupatur, sic ut in his vim suam maximè prodat, adeoque nulla planè actio sine Prudentia recta aut bona esse potest. 6. *Nic.* 7. §. 23. & *c.* 8. §. 22.

(1) *Relinquat atque abjiciat.*) Prudentia est virtus architectonica, quæ omnia ad vitam feliciter degendam rectè disponit & ordinat; sic ut etiam sapientiæ gratia hoc agat, ut homo felicitatem civilem adeptus, & extra turbas civiles positus, possit per Sapientiæ speculationes cum Deo societatem colere. Arist. 6. *Nic. ult. sub fin.* Quamdiu ergo Prudentia hunc finẽ non est consecuta, &

*atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit.* (1) *Quibus rebus intelligitur, ſtudiis, officiisq; ſcientiæ præponenda eſſe officia juſtitiæ: quæ pertinet ad hominum utilitatem: qua nihil homini debet eſſe antiquius.* (2) *Atque illi, quorum ſtudia, vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus, & commodis non receſſerunt. Nam & erudierunt multos, quo meliores cives, utilioresq; rebus ſuis* adfectibus & turbis civilibus vita inquietatur, ineptè homo in eo vitæ genere conſtitutus tam profundis ſpeculationibus ſe tradit: veluti Archimedes, qui cum ſciret Syracuſas obſideri, non tamen animadvertit, eam capi: unde mox à milite Romano oppreſſus eſt. Plutarchus *in vit. Marcelli.*

(1) *Quibus rebus.*) Argumentatio Ciceronis formula nobis conſueta tali concipi poteſt: Quæcunq; virtus majorem aliâ utilitatem hominibus adfert, ejus officia ſunt honeſtiora alterius officiis. Juſtitia verò eſt talis virtus. E. Admiſſa jam προτάσι negabitur tamen πρόσληψις. Nulla enim actio adeoque nec Juſtitiæ recta eſt ſine Prudentia. Negari aliàs non poteſt, Juſtitiæ uſum & officia latiſſimè patere, & cum belli tum pacis negotiis præeſſe, & omnes omnino ſocietates ſuo vinculo & obligatione continere. Notetur verò hic denuo, quàm confusè hic Cicero utatur vocabulis diſtinctos alioqui habitus denotantibus. Hic enim ſcientiam quam paulò antè Sapientiam appellaverat. Et paulò pòſt etiam adjungit intelligentiam. *Vid. Ariſt. 6. Nic. 3. ſeqq.*

(2) *Atque illi.*) Quomodo Sapientiam extenuaverit, oppoſita juſtitia intelleximus. Si igitur ita ſe res habeat,

*ſuis publicis eſſent: ut Thebanum Epaminondam Lyſias Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato, multique multos: nosque ipſi, quidquid ad Rempublicam attulimus, (ſi modo aliquid attulimus) à docto-*

beat, dicas, Philoſophos nil aliud fuiſſe, quàm otioſos homines, ac ſocietatum humanarum deſertores. Hoc igitur ut tollat, dicit non tam ignavam ipſis fuiſſe vitam, ut nullatenus profuerint aliis, quin id factum eſſe, cum inſtitutione virorum ſæpè principum, à quibus ſalus Reip. penderet, tum librorum ſcriptione, quorum perpetua eſſet utilitas. Ita non ſolùm Epaminondam Lyſis, Syracuſium Dionem Plato, Alexandrum M. Ariſtoteles, ſed & Periclem Anaxagoras, Alcibiadem Socrates, Timotheum & complures alios principes viros Iſocrates, Africanum Panætius, Auguſtum Athenodorus, Neronem Seneca, multique multos alios inſtituerunt. Quàm enim non ſolùm utilis, ſed & neceſſaria ſit viro Principi eruditio, peculiari libro poſt Plutarchum oſtendit M. Antonius Natta, Aſtenſis. Cæterum qui vel viros Principes, vel juventutem erudiunt, iisque ſtudiis & artibus imbuunt, quibus idonei reddantur ad Rempublicam benè adminiſtrandam, plurimùm profectò ſocietati hominum ipſique Reipublicæ proſunt, ſic ut vix alii de bono publico his rectius mereri queant. Nam ſuas artes & præcepta hi Magiſtri non petunt ex vulgi aut more quovis aulico, ſed ſapientiæ & prudentiæ penetralibus, docentque adeò quomodo his omnium hominum & ordinum mores ſint componendi, & voluntati divinæ, cujus gloriæ primariò omnia ſervire debent, conformandi. At, inquiunt, nonnulli, nihil fieri poſſe ineptius, quàm ſi illi erudiendo Principi aut Magiſtratibus futuris præficiantur, qui nullum rerum uſum habent, omnemque ætatem in otio, &



Digitized by Google

*à doctoribus, atq; doctrina instructi ad eam, & ornati accessimus. Neque solum vivi, atque præsentes studiosos discendi erudiunt, atque docent: sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum asse-*

umbra contriverunt. Non equidem ignoro, quantum ad res civiles rectè peragendas conferat experientia; nec tamen ita omnino ab hac esse destitutos, crediderim omnes eos, quos umbraticis fortè doctoribus annumerare vulgus solet. Præterquam enim quod Prudentia universalium possint esse instructissimi, non quoque fugere eos potest prudentia singularium qui & norunt, & consueverunt historicorum monumenta

*Nocturna versare manu, versare diurna.*

Qui ergò Doctores juventutis in Scholis cum aliis, tum imprimis regiis, tam superba & immiti censura ad trivialem pulverem damnant, vel ii sunt, qui nulla in re alia, quàm Regum aut Principum gratia præsidium habent, nulla eruditione vel virtute genuina suffulti, quorum præcox judicium à contemptu profectum æquo animo ferri & vicissim contemni potest. Viderint illi, quàm vel omninò sint beati, aut quamdiu sint beati futuri. Viderint illi, qui opinione sua sunt ita felices, an quoque sint apud Deum in gratia: de qua plerique tantò minus laborant, quò magis de fragili Principum gratia solliciti sunt. Quod si verò ab iis vilipendium Doctorum proficiscitur, qui, quidquid solidi didicerunt, industriæ, fidei, ac eruditioni magistrorum ferè debent (nam nonnisi perpaucis contigit, αὐτοδιδάκτως proficere) nec se satis noscunt, nec summum præceptorum beneficium agnoscunt, sed pro eo animum ingratum impiè reponunt. Usque adeò fascinat animos, & homines alioqui satis intelligentes dementat honorum &

aulicæ

*assequuntur. Nec enim locus ullus prætermissus est ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam Reipublicæ pertineret, ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur.*

aulicæ φαντασίας splendor! Scilicet ita multi cogitant, præceptores suos tam pusilli esse animi, & omnino ad res gerendas ita imparatos, ut ne quidem honores civiles adfectare ausint; nec enim credibile esse, alii si sint, quod libenter velint in desidiosa vita Scholastica consenescere. At sicut non desunt, qui ex eo vitæ genere vocati summis rebus præfuerunt, & magno Reipublicæ bono dexterrimè & felicissimè eas tractarunt; ita sanè sunt, quos ipsa vitæ tranquillitas delectat, & ita satiat, ut nec opum nec honorum quidquam amplius desiderent. Qui si intereà mandato munere sedulò defungantur, est hæc profectò ἀυτάρκεια majori laude digna, quàm Alexandri ambitio, Crassi avaritia, Luculli luxus. Plerique tamen qui vitam φαυλικὴν fugiunt, viri docti, id ea potissimum causa faciunt, quod illam præ aliis accuratissimè calleant, & perspectam habeant. Horrent illas voces & actiones, quibus inverecundè significatur, Rempublicam sine injuria regi non posse; detestantur fraudes & dolos, quibus publici boni jactura, privatum compendium quæritur; damnant pernicioſissima consilia, quibus Principes & eorum subditi inopinatò in calamitosissima tempora aut bella præcipitantur: exsecrantur proscriptionem justitiæ, ambitum, peculatum aliosque ejusmodi pestes aversantur invidiæ, æmulationis & calumniæ tela: fastidiunt dulce adsentationis venenum, declinant consuetudinem fallacem soricum aulas perreptantium: insidiis candorem, periculis securitatem, intricatis turbis vitam tranquillam, malæ conscientiæ

*tur. Ita illi ipsi doctrinæ studiis, & sapientiæ dediti, ad hominum utilitatem suam sapientiam, prudentiam, intelligentiamque potissimum conferunt.*

Ob bonam, inani gloriæ veram, hominum instabili gratiæ perennem Dei præoptant, maluntque esse quàm videri, benè latere, quàm magnis vitiis, impunè licet in hac vita, conspicui esse. Itaque ut ait Seneca qui infeliciter aulam adiit *in Agamemn:*

*——— Quidquid in altum*
*Fortuna tulit, ruitura levat:*
*Modicis rebus longius ævum est.*
*Felix, mediæ quisquis turbæ*
*Parte quietus, aurâ stringit*
*Littora tuta, timidusque mari*
*Credere Cymbam, remo terras*
*Propiore legit.*

Atque huic addemus, recentioris aulici sententiam, viri longè prudentissimi Busbequii ex ejus *epist.* 4. *Mihi quidem vita aulica usquequaque cordi non est. Notæ mihi ejus ærumnæ. Falso splendore multæ ejus miseriæ obtenduntur. Fuci in ea multum, candoris parum est. Nulla est aula, quæ vacat invidia, in qua non desideretur amicitiæ fides, ubi voluntatum mutatio, & subita ruina metuenda non sit. Nam principes & ipsi homines sunt. Vidi qui centum amicis stipatus regiam adierat, irato rege, vix cum uno comite domum redire. Aula vera bona non novit, nisi serò. Umbris fama, specie, fallaciis, errore populari ducitur. Ut eos fortunatos dicere non dubitem, quibus illa citò & cum parvo incommodo defungi datum sit. Optabile est sibi posse vivere, & Musis: & cum paucis, & non fallacibus amicis, in agelli angulo consenescere. Aut nulla est in hoc terrestri exilio aut ea demum vera vita est.*

Nimium

(1) *Ob eamque cauſſam eloqui copioſe, modo prudenter, melius eſt, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare: quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia vero complectitur eos, quibuſcum com-*

*Nimium quantum ſæpè plurisfiat in aula nobilis ſcurra, quàm vir bonus: ut non abſurdè boni viri inter aulicos ſpeciem oculis ſubjeciſſe videantur, qui aſinum pinxerunt inter Simias.* At ubi aliæ ſunt aulæ, aliique mores, juſti honeſtique tenaces, obtinent; ibi, ut ait *Seneca in Octav:*

*Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,*
*Conſulere patriæ, parcere adflictis, fera*
*Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,*
*Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo;*
*Hæc ſumma virtus, petitur hæc cœlum via.*

(1) *Ob eam.*) Muta illa Sapientia, qua quis ſolus fruitur, ſeque ſua contemplatione oblectat, non ſolùm Juſtitiæ, ſed Eloquentiæ prudenter ſuum munus exſequenti poſtponit: Quidquid enim non ſolùm poſſeſſori, ſed & communitati prodeſt, illud præſtantius eſt eo, quod nonniſi poſſeſſori prodeſt, & in ſe vertitur: Eloquentia eſt talis facultas. E. Notæ ſunt de Amphione, Orpheo, Mercurio, aliisque fabulæ, quibus Eloquentiæ vim Poëtæ voluerunt depingere. Videtur autem Cicero cum Juſtitia velle Eloquentiam conjungere, quod utriusque vinculo ſocietates humanæ contineantur: qua de re etiam initio hujus libri. Et Ariſtoteles 1. *Pol.* 2. hanc ob cauſam ait; *Orationem inventam eſſe ad declarandum, quod prodeſt & obeſt; adeoque etiam juſtum & injuſtum.* Deinde Juſtitiã & Eloquentiam vult copulari Sapientiæ, aliàs hujus ſolius in vita Civili nullum fore uſum.

*Atque*

*communitate juncti ſumus.* (1) *Atque, ut apum examina non fingendorum favorum cauſſa congregantur, ſed cum congregabilia natura ſint, fingunt favos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi, cogitandique ſolertiam. Itaque, niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt ex ſocietate generis humani, attingat rerum cognitionem; ſolivaga cognitio, & jejuna videatur:* (2) *itemque magnitudo animi, remota communitate, conjunctioneque humana, feritas ſit quædam, & immanitas.*

*Ita*

(1) *Atque ut apum.*) Pergit hoc ſimili docere, homines non tam neceſſitatis vel Indigentiæ ſublevandæ cauſa, quàm ipſius naturæ inſtinctu in Societates coiiſſe. Etſi autem veriſſimum ſit Hominem natura eſſe ζῶον κοινωνικὸν, vel juxta Ariſtotelem πολιτικὸν; hunc tamen inſtinctum à Natura accepit, cum ob alios quoſdam præcipuos fines, tum etiam ut mutuas ſibi operas præſtarent, & indigentiam explerent: Ariſt. 3. *Polit.* 4. & 1. *Pol.* 2. *p.* 8. ita diſſerit, *quod Homo ſit magis animal* πολιτικὸν *naturâ, quàm eſt apis* κοινωνικὸν. Et paulò pòſt ait: *Qui verò non poteſt Societatem colere, ſive nihil indiget ſociis, quia ſibi fortè ſufficiat, is civitatis pars non erit; ſed vel beſtia, vel Deus.*

(2) *Itemq; magnitudo.*) Adſerit Juſtitiam quoque anteferendam eſſe Fortitudini, quod hæc ſine juſtitia potius quædam ferina immanitas, quàm virtus ſit habenda: id quod paſſim etiam in ſuo de J. B. P. Opere Grotius, cumprimis in ejus prolegomenis demonſtrat, ubi cauſas exponit, quibus inductas, illud opus conſcripſerit.

*Itaq*

(1) *Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium, conſociatio hominum, atque communitas.* (2) *Nec verum eſt, quod dicitur à quibusdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis, atque efficere non poſſemus, idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem, & ſocietatem: quod, ſi omnia nobis, quæ ad victum, cultumque*

(1) *Ita fit.*) Hæc concluſio ad præcedentem quæſtionem pertinet, Communitatum, hoc eſt, Societatum copulam Juſtitiam meræ contemplationi Sapientis eſſe præferendam.

(2) *Nec verum eſt.*) Imò inter alia hoc veriſſimum eſt. Etſi enim, uti ait, virgula Divina cuique omnis αὐτάρκεια ſuppeditaretur, tamen hominem hominis & Societatis cupidum fore certum quoque eſt. Interim tamen quia bonorum αὐτάρκεια non ſuppeditatur nobis virgula Divina, hinc à Natura inſtinctum Homo accepit κοινωνίας: illum verò, cum ob alios fines præprimis εὐπραξίαν, tum etiam propter indigentiam explendam mutuis opibus operisque. Ariſtoteles, unde ſua fortè deprompſit Cicero, triplicem Societatis finem conſtituit, vivere, Benè vivere, Tutò vivere 3. *Pol.* 4. Inter alia hæc habet ex aſſe reſpondentia Ciceronianis p. 157. *Dictum eſt*, inquit, *hominem eſſe natura animal civile. Qua de cauſa homines, non egentes etiam mutuo præſidio, non minus appetunt ſimul vivere: Nec tamen non communis quoque utilitas cogit, quanta pars cadit in unumquemque vel vivendi vel benè vivendi. Maximè igitur hic eſt finis, & communiter omnibus, & privatim.* Eod. l. 3. *Pol.* c. 6. dicit, quod Civitatis finis ſit, τὸ εὖ ζῆν quod ita explicat, ἡ

τῶ

*cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione, & scientia collocaret. Non est ita. Nam & solitudinem fugeret, & socium studii quæreret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere.* (1) *Ergo omne officium quod ad conjunctionem hominum, & ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione, & scientia continetur.*

*Illud*

τὸ εὖ ζῆν κοινωνία καὶ ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι ζωῆς τελείας χάειν καὶ αὐτάρκους. *Benè vivendi communio & domibus & familiis est vitæ perfectæ, & suis rebus contentæ gratia.* Cœterum eodem *c.6. p.267.* Aristoteles videtur Ciceroni favere, quando dicit, Civilem Societatem Naturam intendere, non vivendi solùm causa, sed potius benè vivendi, neque in eam homines coiisse societatis bellicæ causa, ne ab ullo injuriam accipiant: neque propter commercia & usum mutuum. Ubi videtur comparatè loqui Philosophus, hoc modo, Civilis Societatis finis non tam consistit in vivendo aut unà vivendo, aut in Tutò vivendo, aut indigentiam per συναλλάγματα varia sublevando, quam in τὸ εὖ ζῆν: quod etiam appellat ζῆν καλὰ προαίρεσιν. Illud εὖ consistit in virtute εὐπραξία igitur est primarius Civitatis finis à Natura præstitutus. Reliqui igitur fines sunt minus principales, & primario illi fini subservientes. Add. Cl. Conringii *disp. de Cive & Civitate th.44.*

(1) *Ergò.*) Denuò concludit officia Justitiæ honestiora esse Sapientia, & mera Intellectus cognitione.

*Illud*

(1) *Illud forsitan quærendum sit; num hæc communitas, quæ maxime est apta naturæ, sit etiam moderationi, modestiæque semper anteponenda. Non placet. sunt enim quædam partim ita fœda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandæ quidem patriæ caussa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, sed ita tetra quædam, ita obscæna, ut dictu quoq; videantur turpia.* (2) *Hæc igitur non suscipiet quisquam reipubl. caussa, nec respublica quidem pro se suscipi volet. Sed & hæc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut intersit reipublicæ, quidquam illorum facere*

(1) *Illud forsitan.*) Pergit quærere, An publica Civitatis utilitas, quæ potissimùm per Justitiam promovetur, semper sit præferenda Temperantiæ, Modestiæ & Verecundiæ, quoquo etiam illa obtineatur modo? Negat Cicero; non enim esse facienda mala, ut eveniant bona, fœda & obscena non esse perpetranda, boni publici aut privati causa; siis enim artibus Justitia uti nescit, neque his præsidiis ad Societatum conservationem indiget, quin potius illa detestatur & damnas. Hac de re ita pronuntiat Aristoteles 3. *Nic.* 1. §. 19. *Sunt nonnulla ejusmodi, ut fortasse nulla vi, aut necessitate coacti ea agere debeamus, utq; potius mors nobis sit oppetenda gravissimique cruciatus perferendi.*

(2) *Hæc igitur.*) Res turpes nemo Reipúblicæ causa suscipiet, neque tali ope indigebit, unquam eamve expetet à quoquam. Quî enim revera possit esse cuiquam utile, quod turpe sit? Et quacunque ratione à Justitia utilitati publicæ consulitur, Temperantia aliæque virtutes, ne minima quidem parte lædantur; Virtus enim virtuti non est contraria.

Quare

*facere ſapientem.* (1) *Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis deligendis, id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum ſocietate. Etenim cognitionem, prudentiamque ſequitur conſiderata actio. Ita fit, ut, agere conſiderate, pluris ſit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. Patefactus eſt enim locus ipſe, ut non ſit difficile in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum, videre. In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poſſit: ut prima diis immortalibus; ſecunda patriæ; tertia parentibus; deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolum id homines ſolere dubitare, honeſtumne an turpe ſit: ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius.*

*Hic*

(1) *Quare.*) Concludit alteram hujus libri partem, qua officia inter ſe contendit, breviter repetens, præſtantiſſima eſſe illa officia, quibus ſocietas humana continetur: præſtare item cognitione actionem, & hanc illam ſequi, adeoque γνώσεως finem eſſe πρᾶξιν. Ex his jam putat facilè poſſe dignoſci, gradus honeſtatis reliquorum officiorum, & repetit quædam ex ſuperioribus, uti Juſtitiæ, ita aliarum virtutum officia pari ratione modò majora modò minora eſſe. Ita quod Deo exhibemus officium, pietate ac veneratione, præſtantiſſimum eſt: proximum quod patriæ, tum quod parentibus, atque ſic deinceps. Vide Gellium de Officiorum gradu & Ordine ex moribus populi Romani obſervato.

*lib.*

*Hic locus à Panætio est, ut supra dixi, prætermissus. Sed ad reliqua pergamus.*

M. TUL-

*lib. 5. Noct. Att. c. 13.* & quæ sigillatim suprà de his à nobis fuerunt tradita.

*IN*

---

# M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCUM F.

## LIBER II.

(1) *Quemadmodum officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera persequar,* (2) *quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum,*

## *IN LIBRVM SECVNDVM OFFICIORVM COMMENTARIVS.*

(1) *Quemadmodum.*) Primò quidem ea, quæ superiori libro tractavit, repetitione obsignat. Mox, de quibus jam sit dicturus proponit.

(2) *Quæ pertinent.*) Universus mundus cum omnibus rebus creatis à Deo Hominis, Homo autem hominis

*rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum, ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto, ac de judicio meo dixero.* (1) *Quamquam enim libri nostri complureis non*

& cumprimis Dei causa est conditus. Ne quid igitur vel ad necessitatem vitæ, vel commoditatem & εὐπορίαν seu αὐτάρκειαν deesset, infinita subsidia rerum Deus suppeditavit, quibus ad suam felicitatem promovendam Homo uti possit. Cumque Deus & Natura nihil faciunt frustra, nulla quoque creatura nimium vel vilis vel superflua nobis videri debet; Deus enim uti nil frustra fecit, ita nec quidquam malè, aut vilipendio nostro dignum. Tolle igitur vel unicam creaturam, cujus aliquis usus esse possit Homini, & Mundus imperfectione laborabit. Impium verò fuerit sapientissimum Creatorem imperfectionis aut defectus alicujus arguere: qualem calumniam architectus aliique artifices ne quidem in sua fabrica tolerant. Atque hæc, vel omnia, vel pleraque Utilium bonorum nomine venire solent: quod à Providentia Divina illam facultatem acceperint, ut possint & debeant tanquam varii generis instrumenta ad felicitatem Hominis adquirendam atque ornandam adhiberi. De quibus utilibus bonis cum admodum abjectè sentirent Stoici, Deum ipsum & creaturas illius criminantur, nec satis divinæ Providentiæ immensam bonitatem & admirabilem Ordinem perspexisse videntur.

(1) *Quanquam.*) Antequam illa ipsa officia circa res utiles usurpanda explicet, rationem tradit sui instituti. Libro enim primo inculcaverat, etiam hoc nos πρέπον observare debere, ut certum vitæ genus & studium

*non modo ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitaverunt: tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris Philoſophiæ nomen ſit inviſum: mirenturque in ea tantum me operæ, & temporis ponere. Ego autem, quam diu Reſpublica per eos regebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omneis meas curas, cogitationesq; in eam conferebam: cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque eſſet usquam conſilio, aut auctoritati locus, ſocios denique tuendæ reipl. ſummos viros amiſiſſem: nec me angoribus dedidi, quibus eſſem confectus, niſi iis reſtitiſſem: nec rurſum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam Reſpublica ſtetiſſet, quo cœperat, ſtatu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos incidiſſet. Primum enim, ut ſtante Republiaa facere ſolebamus, in agendo plus, quam in ſcribendo, operæ poneremus: deinde, ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc, ſed* (1) *actiones noſtras man-*

dium deligamus, & quidem quod Naturæ noſtræ inclinationi, vitæ generi ac dignitati ſit conveniens. Vitio igitur quis Ciceroni in foro, curia & honoribus hactenus verſato verteret, quod omiſſa Reipublicæ cura Philoſophiæ ſe tradiderit. Hujus igitur rei rationem hic tradit, & mutationem hanc tantò minùs eſſe reprehendendam, quod tempore adjuvetur; quemadmodum ibidem ſuperiori libro hac παρεκβάσει ſuum inſtitutum defendit.

(1) *Actiones noſtras.*) Wolfius potiſſimum intelligi

*mandaremus,* (1) *ut ſæpe fecimus. Cum autem Reſpublica in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino; illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ. Nihil autem agere cum animus non poſſet; in iis ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi honeſtiſſimè moleſtias deponi poſſe, ſi me ad Philoſophiam retuliſſem. Cui cum multum adoleſcens, diſcendi cauſſa, temporis tribuiſſem; poſteaquam honoribus inſervire cœpi, meque totum Reipublicæ tradidi; tantum erat Philoſophiæ loci, quantum ſuperfuerat amicorum, & Reipublicæ temporibus. Id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tantum boni aſſecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Quid eſt enim, per deos, optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur qui expetunt, Philoſophi nominantur: nec quidquam aliud eſt Philoſophia, ſi interpretari velis, quam ſtudium*

putat, Orationes in Senatu, foro aut pro concione habitas. Ego potius hoc acceperim de rebus geſtis, quod Cicero luculentius etiam res geſtas pro ſua gloriæ cupiditate extrema ætate literis mandare conſtituerit, quarum poſt obitum illius alius vix meminiſſet.

(1) *Ut ſæpè fecimus.*) Libris de Conſulatu, & Temporibus ſuis.

Sapien-

*ſtudium ſapientiæ.* (1) *Sapientia autem eſt, ut à veteribus Philoſophis definitum eſt, rerum divinarum, & humanarum, cauſſarumq; quibus hæ res continentur, ſcientia. Cujus ſtudium qui vituperat, haud ſanè intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet. Nam ſive oblectatio quæritur animi, requiesq; curarum; quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt,* (2) *qui ſemper aliquid acquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beateq; vivendum; ſive ratio conſtantiæ, virtutisq; quæritur;* (3) *aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur.*

*Nullam*

(1) *Sapientia.*) Non immeritò σοφίαν δὲ τὸ τῆς φιλοσοφίας videtur diſtinguere. Etſi enim Pythagoræ modeſtia pepererit nomen Philoſophorum; ipſa tamen rerum divinarum & humanarum ſcientia rectius σοφία dicitur, quàm φιλοσοφία. Illud enim τὸ φιλὸν τῆς φιλοσοφίας reſpectum implicat ad ipſum τὸν φιλοῦντα, eſtque acceſſorium Sapientiæ. Ipſa autem σοφία abſtractè definienda eſt. Ejusmodi autem definitionem ponit, quæ non contemnenda eſt. Etſi enim definitum ſit tale, quod plurimorum habituum ἀθροισμὸν comprehendat, adeoque pro accurata definitione admitti nequeat, complectitur tamen hic & theoreticas & practicas ſcientias, earumque cauſas.

(2) *Qui ſemper.*) Philoſophos cumprimis Practicos laudat, & ſtudii practici utilitatem & oblectationem commendat.

(3) *Aut hæc ars.*) Vel Philoſophia, quam hic ἀνύξως & παχυλῶς Artem appellat, vera animi medela, & in adverſis conſolatiò eſt, aut nulla res alia. Jam verò

*Nullam verò dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium.* (1) *Si autem est aliqua disciplina virtutis; ubi ea quæretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed hæc, cum ad Philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur, orbati Reipublicæ muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissemus.* (2) *Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, satisne constanter facere videamur, qui cum percipi*

si minimarum rerum, texendi, sculpendi & similium artes sunt, quî non Philosophiæ mentisque virtutum aliqua ars sit & methodus, cujus adminiculo animum in adversis sustentare ac refocillare possimus.

(1) *Si autem.*) ὑποθετικῶς colligit esse quoque virtutis Artem seu disciplinam, quam vulgò ἠθικὴν, Aristoteles πολιτικὴν latiori significatione appellat. Jam verò unde hæc Ars parabitur, nisi Philosophiam adeamus, cujus hæc magna atque utilissima pars est? Addantur his Boëthii libelli *de Consolatione Philosophiæ*, & Sadoletus *de laudibus Philosophiæ.*

(2) *Occurritur.*) Amoliri studet jam alteram Objectionem. Dicat enim quis: Cum tu, Cicero, sis Academicorum unus, quorum secta nil certò sciri, sed solum probabiliter de rebus colligi posse statuerit, quî fixas officiorum regulas tradere poteris? Huic quidem respondet, at minimè satisfacit. Primum itaque dicit, se non esse novæ Academiæ addictum, quæ ἀκαταληψίαν statuebat, multò

*percipi nihil posse dicamus, tamen & aliis de rebus disserere soleamus, & hoc ipso tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non solum disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? nos autem, ut cæteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt, sic, ab his dissentientes, alia probabilia, contra alia improbabilia esse dicimus. Quid est ergo, quod me impe-*

multò minus Pyrrhoniis, qui omnem rerum delectū tollebant, sed Academiæ veteri, quæ adserebat, alia esse probabilia, alia improbabilia, modestiæ studio; nam alia certa, alia incerta, seu vera & falsa pronuntiare, arrogantis esse: Sibi igitur eandem placere modestiam, adeoque vitio verti non posse, si id in vita sequatur, aut sequendum doceat, quod sibi verisimile videatur. Atque hac ratione moti, inquit, Academici, omnia in dubium vocant, ut ita utrinque collatis argumentis veritas eliciatur. Verùm si exactiùs consideremus, quid sit ἔνδοξον, videlicet probabile argumentum, Opinionem in animo hominis gignens, hæc verò cum formidine oppositi sit conjuncta, atque hactenus dubia, profectò uti rectissimè hoc Ciceroni objectum, ita minimè rectè ab illo responsum fuit. Nam in vitæ regulis non licet nobis ita fluctuare, sed certa præcepta & leges Naturæ cumprimis sequi: quas nonnulli κοινὰς ἐννοίας & προλήψεις appellabunt. Cœterum grandem hunc errorem plurimi adhuc moralis Philosophiæ Scriptores errarunt, docentes nullas in eâ demonstrationes dari, sine quibus

*impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi; quæ contra, improbare; atque affirmandi arrogantiam vitare, fugere temeritatem, quæ à sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputantur à nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi ex utraque parte caussarum esset facta contentio. Sed hæc explanata sunt in Academicis nostris satis ut arbitror, diligenter.*

*Tibi*

nulla Scientia parari aut consistere potest. Relinquitur igitur, ut vel hæc ignorent, vel opinentur. Si meras opiniones in vita morali sequuntur, nihil certò ac indubitatò honestum aut turpe erit, quod est absurdissimum. Præterea illi ipsi recentiores, ubi de Conscientia dubia docent, sibi quomodo non contradicant, vix video. Si enim peccat, qui dubia conscientia quidquam agendum suscipit, nec tamen materia moralis merè contingens, uti illi docent, ἀπόδειξις, sed solùm verisimilem ac dialecticam disputationem admittit, semper opinionibus, hoc est, argumentis huic aut illi verisimilibus, cum dubitatione tamen conjunctis inducti agent. Sed quot quantorumque errorum puerpera sit Probabilitas, optimè cognosci potest ex *Lud. Montaltii Epistolis*, quibus Jesuitarum Civilem & Moralem Philosophiam percenset. Secundum hos enim, Probabilitatem variis modis laxantes, nullum scelus tam nefarium aut horribile est, quod non Probabilitatis fuco incrustatum, Honesti speciem mentiri possit. Sed hanc maximi momenti rem cum aliàs pleniùs & accuratiùs disputaverimus *Examine nostro Probabilitatis Jesuiticæ*, ille libellus noster consuli, & cum fructu legi poterit.

*Tibi*

(1) *Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquissima, nobilissimaque Philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista præclarè pepererunt: tamen hæc nostra, finitima vestris, ignota esse nolui. Sed jam ad instituta pergamus.*

(2) *Quinque igitur rationibus propositis officii persequendi, quarum duæ ad decus, honestatemque pertinent: duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates: quinta ad eligendi judicium, si quando ea, quæ dixi, pugnare inter se viderentur: honestatis*

(1) *Tibi autem.*) Repetit προκατάληψιν, initio Primi libri positam, ne videatur noctuas Athenas mittere. Etsi, inquit, tu peripatetica dogmata jam amplexus fueris, duce Cratippo, hunc tamen à veteribus Academicis non multùm recedere velim existimes. Hi enim finitima Peripateticis tradiderunt, & ipse Aristoteles plurima, ne dicam, penè omnia ab illis accepta, & methodo peculiari concinnata, sua fecit. Obiter notari possunt elogia, quæ Peripateticæ Philosophiæ tribuuntur, cum qua adeò non meretur conferri, nedum ei anteponi illa nudius tertius nata: quam licet avidè arripiant, οἱ νεωτερίζοντες, nubem pro Junone in amplexu se habere vix demum serò agnoscunt, malè memores, Philosophiam Peripateticam subtilissimorum hominum ingenio elimatam esse, ac tot seculorum sive æmulas sive acerbas censuras sustinuisse.

(2) *Quinque.*) Repetitis quinque hujus Operis partibus, dicit, se jam de tertia, utili, acturum. Illæ verò partes sunt, quid sit Honestum, tum quid sit altero Honestius, aut honestissimum: quid utile, & quid sit altero



Digitized by Google

*tis pars perfecta est;* (1) *quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, idipsum*

utilius vel utilissimum: denique ex his quid sit aliis præferendum.

(1) *Quamquidem.*) Tertium officiorum librum præprimis commendat, quod isthic judicio & prudentia maximè opus sit.

(2) *In quo verbo.*) Accuratissima consideratione indiget illud à Cicerone ὑποθέσεως loco positũ principiũ Stoicũ, *Nihil esse verè Honestum, quod non idem sit utile: Nec verè quidquam esse utile, quod non idem sit Honestum*; sic ut si ab Honesto secernatur utile, nulla pernicies major hominum vitæ, ipso arbitrante, adferri possit. Utriusq; igitur boni, & Honesti & Vtilis, natura cumprimis investiganda est; imò an omninò utile, qua tale, sit bonũ, nec non quale illud sit bonum, quaq; parte ab aliis differat, merito limatiorem disquisitionem meretur. Nec enim absq; hac vel de Hypotheseos vel dogmatum, quæ huic sedimento superstruxit, veritate nobis constare potest. Quia verò Boni θεωρίαν Metaphysici ferè sibi vindicarunt, ex illorum scientia quædam supponemus. Quando enim Aristoteles principio operis Nicomachii, & 1. *Rhet. 6. & 7.* bonum dicit esse, ἕ πάντα ἐφίεται, *quod omnia expetunt*; non definire illud, sed ex veterum consensu & hypothesi describere voluit. Non enim aliquid bonum est, quia appetitur; sed quia appetitur, jam tum bonum est. Quemadmodum ergò isti existimant, boni generaliter considerati communis aliqua formalis ratio vix dabitur: adeoque dividendum est, quatenus aliquid vel in se bonum est, vel alteri; sicut posterius semper intelligatur cum πρός seu respectu ad alium. Boni in se considerati formalem rationẽ consistere ajunt in perfectione inesse debita. Perfectũ

autem

*idipſum eſt, quod utile appellatur.* (2) *In quo verbo lapſa*

autē id dicitur Ariſt. 5. *Metaph. c.* 16. extra, quod non poſſis ullam accipere particulam. Bonum alteri ita appellatur, quatenus alteri conveniens eſt, aut videtur: adeoque illius formalis ratio in convenientia conſiſtet. His ita poſitis, ad examen illius Diviſionis accedimus; quâ Bonum diſpeſcitur in Honeſtum, Vtile, & Jucundū: quam Philoſophus 2. *Nic.* 3. §. 14. item ad Appetitum refert: Tria, inquit, ſunt quæ ſequi & expetere ſolemus, Honeſtū, Vtile, Jucundum. Tria contraria, quæ fugimus, Turpe, Inutile, Moleſtū. Vbi protinus notandum, partes has dividentes non ſemper ſubjecto diſtingui, ſed ſæpè in eodem convenire; nec tamen hinc colligendum eſt, ac ſi nulla ratione inter ſe differant, cum hoc ipſius ſubjecti conditioni tribuendum ſit, ſi quando in eo concurrant. Ita v. g. actiones virtutis ſunt & Honeſtæ, & ad felicitatem indipiſcendam utiles: Jucundas quoq; easdem eſſe non ſinit quenquam ambigere Magiſter noſter. 1. *Nic. c.* 8. §. 18. ἑπάστῳ ἐστὶν ἀνθρώπῳ ὅ λέγεται φιλοτοιοῦτος. Cui igitur virtus chara eſt φιλάρετος dicitur. Et §. 21. *Non eſt vir bonus qui honeſtis actionibus non delectatur.* Etſi verò hoc ſæpè, non tamen ſemper & in omnibus ſubjectis contingit. Sanitas enim etſi ſit Vtilis & jucunda, adeoque per ſe expetenda, non tamen Honeſtorum bonorum cenſu venit. Pharmacum febricitanti Vtile quidem eſt, non Honeſtum, & rarò Jucundum. Sed hanc differentiam rectiùs perſpiciemus ubi ſingularum partium naturam indagaverimus. Experientiam ſi conſulamus, videtur id homini bonum eſſe, quod conveniens illi ſit ad ſui conſervationem, imò quod non ſolùm ad eſſe ſuum, ſed & benè eſſe, pertineat. Conſtat verò ex duabus præcipuis partibus Homo Anima & corpore, quarum iſta longè præſtantio

ha

*lapſa conſuetudo deflexit de via , ſenſimque eo deducta*

hac eſt. Quod igitur præſtantiſſimam partem conſervat, ſine dubio præſtantiſſimum eſt bonum: unde frequenter hoc ab Ariſtotele ἀγαθὸν abſolutè, & κατ' ἐξοχὴν dicitur. Jam quod optimo contrarium, peſſimum eſt, ſecundum Ariſt. 8. *Nicom.* 10. §. 9. adeoque quod illam partem corrumpit, malorum maximum eſt. Porrò quæ ad totius hominis conſervationem faciunt, vel ſunt in ipſo , vel extra ipſum. Poſterioris generis ſunt omnia illa, quæ ad uſum illius à Natura vel Arte ſunt comparata. Quæ enim non propter ſe, ſed propter aliud expetimus, Utilia appellamus. Hinc Ariſt. 8. *Nic.* 2. §. 4. τὸ χρήσιμον dicit eſſe δι' ὃ γίνεται ἀγαθόν τι ἢ ἡδονὴ, *per quod bonum aliquod honeſtum aut jucundum conſequimur.* Quæ verò in Homine ſunt, vel ad Animam illius, vel corpus pertinent. Iſta dicuntur Honeſta, quod rationali ejus naturæ talia bona unicè conveniant, qualia ſunt actiones virtutum. Quæ ad corpus pertinent, Jucunda ferè uſu loquendi dicuntur. Etſi enim & Animi bona non deſtituantur ſua jucunditate, ſpeciatim tamen jam id Jucundum dicimus, quod ſenſui per corpus diffuſo conveniens eſt: aut ſanè ſi omnis generis Jucundum ſeorſim hoc membro comprehendere velimus , Honeſtum per abſtractionem præciſivam potius, quàm negativam tale dicimus; ſic ut licet nulla illi jucunditas adeſſet , tamen Homini, qua tali, hoc eſt, ratione prædito , conveniens eſſet. Utriusque generis bona propter ſe expetuntur, comprobante idipſum Philoſopho *c.* 2. 8. *Nic.* §. 5. *Bonum* (κατ' ἐξοχὴν ita appellatum, uti paulò antè dixi) *& jucundum amabilia erunt tanquam fines.* Non ſanè quod & hoc, uti iſtud, tanquam ultimus finis expetatur; hinc enim illud abſurdum emergeret, eſſe duo ſumma bona.

Sed

*deducta est, ut ab honesto utile secerneret, & constitueret*

Sed ita jucundum per se expetitur, ut in eo quidem tanquam fine terminetur Appetitus, ille tamen Imperio Rationis sit subjectus. Etsi igitur rectè ita colligas, quidquid est Summum Bonum, illud per se est expetendum; non tamen inferre reciprocè licet. Quidquid per se expetitur, illud est Summum Bonum. Quod Bonum est, sui desiderium & appetitum ciere solet. Appetere est cum aliquo motu in rem quampiam inclinare, qui motus cessat, ubi illam consecutus fueris. Ille Appetitus vel est μετὰ λόγου, vel ἄνευ λόγου. Cum ratione conjuncta Appetitio vel fertur in bonum finale, vel in tale, quod instar medii habet, ac Utile dicitur: Illa dicitur βούλησις, Voluntas, hæc προαίρεσις, Ciceroni Consilium. Sine ratione appetitio Sensitiva dicitur, & fertur in bonum Sensui conveniens, seu jucundum, quà tale. Si jam & Voluntas & προαίρεσις, minimè corrupta, sed in recto Naturæ statu consideretur, ista nonnisi Honestum finem (hic enim solùm illi conveniens) hæc nonnisi Honesta Media, vel saltem Honestati non repugnantia eliget; quatenus scilicet ad honestatis finem obtinendum sunt utilia. Hinc ita docemur 1. *Magn. Mor.* 2. *Bonorum alia sunt fines, alia non.* Sed hic meritò quis ita dubitet: Si bonum Utile reverà esset bonum, propter se expeteretur; quia enim idem est bonum, quod perfectum, nulla res ab aliena perfectione bona denominari potest: Jam verò Utile unicè sui desiderium excitat, & expetitur propter finem, ut, quidquid bonitatis habeat, ex finis bonitate delibet. Hac de re igitur ita sentiendum est, omnino ita se rem habere, ipsum appetentem si videas; hic enim utile, quatenus est medium ad finem impetrandum idoneum, non alia ex causa appetit, quàm quod habeat conve-

*stitueret honestum aliquod, quod utile non esset; & uti-*

convenientiam ad finem, ut ita ex hujus bonitate per participationem aliquid consequatur: quemadmodum rhabarbarum ab ægroto expetitur expellendorum vitiosorum humorum causa. Interim si ipsum utile in se spectes, qua utile est, facultatem in se continet, semoto hinc appetentis respectu, ad effectum promovendum, reverà etiam in se bonum habet: qualis est vis expultrix noxiorum humorum in rhabarbaro. Sed, inquis, hæc rerum utilium, qua talium, facultas sine dubio est à natura & ita solùm hactenus naturali quadam bonitate æstimandæ illæ fuerint. Ita verò est. Si enim bonum naturale illud est, quod cujusque rei naturæ conveniens est, etiam vis expellendi humores in rhabarbaro naturale bonum erit. Ita si divitias ejusque generis alias res videas, prout facultatem continent usibus finibusque hominum inserviendi, naturaliter bonæ sunt. An igitur, insta s, Utilia bona moralitatis nullatenus sunt capacia? Sanè etsi non minorem facultatem dare videntur, hominibus ut obsint, quàm prosint, id tamen si fiat, non ex se habent. Cum enim nihil frustra à Natura sit conditum, & Providentiâ divinâ omnia ad bonum finem sint destinata, facultas illa naturalis, quà talis, videtur nonnisi usibus commodisque hominum apta: Si verò aliquando contingat, ut per talium instrumentorum abusum damnum inferatur hominibus, illud unico ipsorum hominum liberè, non necessitate naturali agentium culpa fit & vitio. Non igitur in se sunt ἀδιάφορα hæc Bona, uti existimabant Stoici, sed potius voluntate nostra, cujus libertate nobis iis licet uti, & abuti. Ideoque nolebant hæc *Bona* dicere, sed *Producta*, προηγμένα, illorumque contraria non *Mala*, sed *Rejecta*, ἀποπροηγμένα. Itaque

ista

*& utile, quod non honeſtum. Qua nulla pernicies major*

iſta non dicunt ſe *Expetere*, ſed *Legere:* nec *Optare*, ſed *Sumere*: hæc autem non *Fugere*, ſed quaſi *Secernere*; uti apud Ciceronem noſtrum 4. *de Finib.* legimus. Sed hæ quidem ſunt nugæ, quæ parvo, ſi cui arriſerint, pretio veneunt. Quid verò impulit Stoicos, ut ita ſentirent? Hoc nos docet ὑπερασπιςὴς illorum Seneca. *Nihil*, inquit Ep. 120. *Bonum nobis videtur, quo quis & malè uti poſſit. Nec*, inquit Ep. 118. *niſi cum honeſtè adminiſtrata ſunt, Bona eſſe incipiunt.* Vnde igitur Senecæ tantæ divitiæ, ſi illas non expetiit? Petiit ſcilicet, aut ſumpſit, non expetiit. Quare petiit? *non quia Bona ſunt, ſed quia ſecundùm Naturam ſunt, & quia bono judicio ſumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi*, inquit Ep. 92. Hæc verborum ludibria ego optimo jure inter Rejecta illorum referam, & tum poſtremam hanc ſententiam accipiam. Ipſa enim Veritatis vis hanc confeſſionem Senecæ expreſſit, ut, ſecundum Naturam quia nonnullæ res eſſent, veluti ſanitas, robur, ſenſuum integritas, eas ſumeret; Bona tamen negaret, adeoque nec expetere voluerit. Diſtinguere ſcilicet debuerant Stoici inter Naturalem & Moralem bonitatem. Iſta non ſolùm ſanitati, robori, ſenſuum integritati, ſed rebus omnibus à Natura conditis competit, niſi in illam ipſam impius eſſe velis. Imò hoc ſi negent, quomodo tueri poterunt, quæ ex ipſorum ſententia tam magnificè de Providentia Balbus apud Ciceronem 2. *de Nat. Deor.* diſſerit? Moralis verò bonitatis nonniſi natura rationalis, & in ſpecie humana, capax eſt: qua quæ ſunt deſtitutæ res, moraliter nec bonæ nec malæ dici poterunt; quæ tamen hanc ob cauſam non omni omnino Bonorum cenſu excludendæ ſunt. Quidquid igitur rerum Utilium eſt, aptum natum,

aut

*major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem*

aut factum eſt, hominum uſibus finibuſque conveniens ſubſidium præſtandi: ut autem reapſe bonis uſibus adhibeantur, aut malis, omne omnino ab humana eſt voluntate, liberrimè agente. Non igitur divitiæ, ſanitas, robur & agilitas, firma valetudo, ſenſuum Integritas, pulchritudo, gloria, potentia, ejuſque generis alia niſi vitio noſtro mala ſunt: ſeu, ut rectiùs dicam, non illa unquam mala ſunt, ſed nos, qui vitiosè iis abutimur, mali ſumus. His ita cognitis propiùs ad Hypotheſeos Stoicæ examen nobis accedere licebit. Primò itaque ὁμωνυμία notanda eſt vocis Honeſti. Tale enim non ſolùm dicitur, quod abſolutè ſuaque nativa vi honeſtum eſt, ſed & omne id, quod iſti propriè & κυρίως dicto Honeſto non repugnat. Quemadmodum & vox Juſti modò naturâ tale, modò, quod non injuſtum eſt, denotat. Si igitur ſequiori ſenſu vox Honeſti accipiatur, veriſſimum eſt pronuntiatum hoc Stoicum, *Nihil eſſe utile, quod non idem ſit honeſtum.* Nec enim utile quidquam revera & conſtanter erit, ſi honeſtati repugnet. Sed, inquis, hæc quidem ita obtinere in Rebuſpublicis rectis, non autem in iis, quæ παρεκβάσεις Philoſopho dicuntur? Annuo, atque etiam hoc addo, alienum eſſe à meo inſtituto, quæ in univerſa hominum ſocietate Juſta, Honeſta, aut Vtilia cenſeri poſſint, ad certas Reſpp. applicare, applicataque examinare; hoc Politici eſt, illud ad Juris Naturalis diſciplinam pertinet. Cæterum cum Stoici nullum aliud bonum agnoſcerent, præterquam Honeſtum ipſumque Boni nomen rebus aliis omnibus inviderent, ſine dubio πρώτως καὶ κυρίως vocem Honeſti uſurpabant, pro eo quod ſua natura ac ſimpliciter tale eſt. Ita igitur accepto Honeſto, falſiſſimum eſt illud effatum, *Nihil eſſe utile,*

*dem auctoritate Philoſophi ſevere ſane, atque honeſte* (1) *hæc tria genera, confuſa cogitatione, diſtinguunt.* (2) *Quidquid enim juſtum ſit, id utile etiam utile, quod non idem ſit honeſtum.* Quot enim, quæſo, res ſunt, quæ multiplicem atque ingentem uſum ac ſubſidium nobis præbent, nec tamen de Honeſtatis natura quidquam participant. Tali igitur hypotheſi conſtituta, quid aliter de compluribus illi innitentibus concluſionibus pronuntiare poterimus, quàm illud Ariſtotelis monitum, μεθοδικὸν; ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, συμβαίνει τὰ πολλά. Hoc opus igitur, hic labor noſter erit ut in progreſſu adſertiones Tullii noſtri ſecundum hanc hypotheſin examinemus, & quibus partibus hæc laboret aut deficiat, ex aliis melioribus Peripateticorum principiis demonſtremus. Fateor tamen, ſæpiſſimè Ciceronem illius fundamenti quaſi oblitum, & veritatis vi abductum, ſolidiſſimas de plurimis rebus utilibus concluſiones poſuiſſe, ut plurimùm illius præcepta, ad vitam rectè inſtituendam peragendamque, bonaque utilia rectè uſurpanda, nobis prodeſſe queant.

(1) *Hæc tria genera.*) Honeſtum, Vtile, Juſtum vulgò reipſa diſcrepare creduntur: mihi verò, inquit Cicero, magna ratione à Stoicis non re, ſed ratione ſolùm differre, rectè dictum videtur.

(2) *Quidquid juſtum ſit.*) Omnis ſocietas aliquo jure conſtituitur, conſervaturque, uti pluribus docemur 8. *Nicom.* Quod ſi jam Juſtum Vniverſale intelligas, quo univerſi generis humani ſocietas neque debet, veriſſimum eſt hoc Stoicum effatum. Quod ſi ſpeciales ſocietates videamus, quamque ſuo peculiari jure regi certum eſt. Hæ verò ſocietates vel conſiderari poſſunt item in ſtatu merè naturali, & quatenus tendunt ad finem

*etiam esse censent : itemque* (1) *quod honestum, idem*

à Natura præstitutum : & in his quoque ita , ut ajunt Stoici, res sese habere videtur. Ita quod in patria, aut nuptiali, aut herili societate justum, idem & Utile erit. Quæ verò societates naturales hactenus sunt, quatenus Naturæ non repugnant, ordinem tamen & formam determinatam ab hominum instituto acceperunt , veluti Regnum, Aristocratia, Politia, tunc & in his singulis idem erit Justum & Utile; sic tamen, ut aliud sit Justum Regium, aliud Aristocraticum, aliud Politicum : ex quibus si aliud & diversum alii Statui velis tribuere, aut obtrudere, non idem erit Justum & Utile. Quod si inspicias Respp. παρεκβαινούσας, ab Optima, quam Natura intendit, Republica recedentes, Tyrannidem, Oligarchiam & Democratiam; nec Justum in his erit absolutè, nec Utile, quo istæ societates reguntur , sed utrumque ὑποθετικῶς, ut Justum aliquod sit & Utile huic aut isti Statui, pro sua conditione, qualitate ac forma, quod absolutè spectatum sæpe sit injustum & inutile.

(1) *Quod Honestum idem esse Justum.*) Justum universale idem est essentia cum Honesto : differt autem hoc ab isto τῷ λόγῳ, quod Justum Universale semper involvat respectum πρὸς ἕτερον. Nam qua ratione virtus differre ostenditur à Justo universali 5. *Nicom.* 1. eadem & Honestum ab illo discrepat. Si verò intelligas Justum Particulare, falsum hoc est pronuntiatum; multa enim honestè fiunt , quæ tamen speciatim Justa non sunt secundum Justitiam particularem. Quod si videas societates à Naturæ instituto exorbitantes , falsissimum est, Honestum & Justum hypotheticum, accommodatum iis Rebus p. quibus partibus vitiosæ sunt, esse idem.

Ex

*idem esse justum.* (1) *Ex quo efficitur, ut, quidquid honestum sit, idem sit utile.* (2) *Quod qui parum prospiciunt, hi sæpe versutos homines, & callidos admirantes, eorum malitiam, sapientiam judicant, quorum error eripiendus est: omnisque opinio ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude, & malitia, se intelligant ea, quæ velint, consequi posse.*

*Quæ*

(1) *Ex quo.*) Hinc jam tertium hoc consequi putat, *Quidquid honestum sit, idem esse utile.* Etsi verò quodammodo hoc roborari in bono sensu possit, non tamen reciprocè licet inferre, Quidquid est utile, idem est honestum. Tum ista propositio, *Quidquid est honestum, idem est utile*, non videtur simpliciter vera; si enim ipsius ultimi finis, εὐπραξίας, honestatem intuear, non videtur idem esse Honestum & Vtile, quod hoc Medii, illud tum Finis rationem habeat; Finis autem & Medium inter se differant. Interim hoc medium convenire qualitati finis debet, bonitatem moralem quod attinet.

(2) *Quod qui parum.*) Ingens est discrimen inter Calliditatem & Prudentiam: hæc vir bonus, ista malus utitur. Qui ergo utile ab honesto secernit, callidum: qui hæc ubique in consiliis factisque conjungat, eum Prudentem esse habendum ait. Quod si Honestum tam latè accipias, ut etiam pro eo habeatur, quod non est inhonestum, tolerari hæc adsertio poterit. Sin propriè Honestum intelligas, quod absolutè & in se tale est, multa profectò utiliter fiunt, quæ hoc modo honesta non sunt, & rectè etiam à viro bono & prudente suscipiuntur.

(1) *Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum ut ea, quæ gignuntur è terra, ut alia ejusdem generis: partim animalia, quæ habent suos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis sunt equi, boves, reliquæ pecudes, apes, quarum*

(1) *Quæ ergo.*) Hic jam divisionem instituit rerum Utilium. Benè verò monet, has omnes ad hominum usum & vitam à Deo esse conditas. Ut verò illam divisionem rectiùs percipiamus, in genere hic iterum quid sit Vtile, aut Inutile, quæri potest? Cicero videtur ita sentire, quæcunque homini prosunt, Vtilia, quę obsunt, Inutilia esse. Sed hoc non satis accuratè dictum videtur, cum Deus, & sui generis ultimus finis, Felicitas civilis, plurimùm prosint homini, non tamen ut Media, sed perfectissimi fines; ad Deum enim tanquam simpliciter ultimum finem referenda fuerint omnia. Rectius igitur forsan Vtilia dicentur, quæ convenientiam Medii ad bonum finem habent, sive ille finis absolutè bonus sit, vel bonitati saltem non repugnet. Quæ verò talem convenientiam & ordinem ad finem vel omnino non habent, aut, cum habeant, vitio tamen nostro ad malum finem diriguntur, Inutilia hactenus appellare licebit. His ita præmissis Ciceronianam divisionem videbimus. Vtilia alia sunt Animalia, alia Inanimata: ab istis excludit quidem rectè Vegetantia, malè tamen ad Inanimata refert. Rectiùs ergo divisisset in Animata & Inanimata. Ad hæc referuntur Metalla: ad ista quæcunque animam habent. Quæ cum sit triplex, Vegetans, sentiens, & rationalis; ad primam quidem

plantæ

*quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum, atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum deorum, alterum hominũ.* (1) *Deos placatos pietas efficiet, & ſanctitas.* (2) *Proxime autẽ, & ſecundum deos, homines hominibus maxi-*

plantæ omnes: ad alteram animalia omnia pertinent, quæ aliquam habeant ὁρμὴν, ſeu ſuo appetitu in aliquod bonum ſenſibus gratum ferantur, aut malum ſibi ingratum fugiant. Medio quodam loco ſunt ζωόφυτα. Animalium alia ſunt rationis expertia, alia ratione utentia. Iſta appellamus Bruta, quæ vel Terreſtria, vel Volatilia, vel Æquatilia ſunt: item alia ſunt ſanguinea, alia ſanguinis expertius veluti Inſecta. Ratione utentium animalium duo ponit genera, Deorum & Hominum. Quod ſi vel Platonis exemplo, vel ſuo conſilio Deum ζῶον fecit, valdè hoc abſurdum eſt, quod Animal, ζῶον, definiatur per corpus animatum ſentiens: Jam verò DEus eſt ſubſtantia incorporea, quæ adeò dimenſionibus corporeis caret: talemque ſubſtantiam habeat omnes Spiritus.

(1) *Deos placatos.*) De Diis cum dixiſſet, protinus oſtendit, quando aut quo pacto ſint hominibus utiles, ſi videlicet non noſtris vitiis irritentur, ſed pietate ac ſanctitate illos placatos reddamus.

(2) *Proximè autem.*) Nullum poteſt hac de re eſſe dubium, quandoquidem Homo proximè ad naturam & excellentiam divinam ex omnibus creaturis accedit. Eleganter Grotius *lib. 1. de J. B. P. c. ult. num. 2.* *Rectè*, inquit, *qui de Officiis ſcripſerunt, ajunt, nihil eſſe homini utilius homine altero. Sunt autem diverſa hominum inter ſe vincula, quæ*

*ad*

*maxime utiles esse possunt.* (1) *Earumque item rerum, quæ noceant, & obsint, eadem divisio est. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus plurimum obesse, vel prodesse arbitrantur.* (2) *Sed enim ipsa, quæ inanima diximus, pleraque sunt hominum effecta operis, quæ nec haberemus, nisi manus, & ars accessisset: nec his sine hominum administratione uteremur. neq; enim valetudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum, fructuumq; reliquorum perceptio, & conservatio, sine opera hominum, ulla esse potuisset. Iam verò, & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur. Eademque ratione nec lapides è terra exciderentur ad usum nostrum ne-*

*ad mutuam opem invitant. Nam & cognati ad opem ferendam coëunt, & vicini inclamantur, & qui ejusdem civitatis sunt participes.*

(1) *Earumq; item.*) Rerum, quæ vel obsunt, vel prosunt, eadem, inquit, divisio est. Quæ verò? ut alias esse dicas animatas, alias inanimatas; hanc videtur indicare. Nam & mox excipit Deos, qui non nisi prosint, nunquam sua natura obsint: quod infinita illorum bonitas hoc non concedat. Homines verò, licet diis proximi, plurimùm tamen sibi invicem obesse possunt & solent. Falsissimum igitur est illud Poëtæ Epicurei de Deo: *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

(2) *Sed enim ipsa.*) Res inanimatas videtur dispescere in Naturales, & Artificiales. Neutræ possunt nobis

vel

*neceſſarii,nec ferrum,aurum,æs,argentum effoderetur penitus abditum,ſine hominum labore, & manu. Tecta verò,quibus & frigorum vis pelleretur,& calorum moleſtiæ ſedarentur,unde aut initio generi humano dari potuiſſent,aut poſtea ſubvenire,ſi aut vi tempeſtatis,aut terræ motu, aut vetuſtate cecidiſſent,niſi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didiciſſet? Adde ductus aquarum,derivationes fluminum,agrorum irrigationes,moles oppoſitas fluctibus, portus manu factos: quæ non ſine hominum opera habere poſſemus. Ex quibus omnibus,multisque aliis perſpicuum eſt,qui fructus,quæque utilitates ex rebus iis,quæ ſunt inanimæ,percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu, atque opera capere potuiſſe.*

vel plenam vel diuturnam utilitatem dare,niſi acceſſerit Ars & Manus hominum, hoc eſt, Ingenium,induſtria ac labor eorum. Deus enim noluit hominem otioſum eſſe, & gravi veterno torpere,ſed curis acuit mortalia corda, ceu Poëta loquitur,ut ſuam induſtriam ac operam rebus neceſſariis impenderent,& ad illas res omnes creatas tanquam vitæ inſtrumenta referrent. Hæc verò cumprimis Intellectu Artis habitu imbuto diriguntur; tum manu, quæ revera eſt ὄργανον ὀργάνων,ad uſum noſtrum diſponuntur. Enumerat deinde multas ejusmodi res, atq; ita concludit perſpicuum eſſe,qui fructus, quæque utilitates ex rebus inanimatis percipiantur,eas nos nullo modo ſine hominum manu atque opera habere potuiſſe. Hinc tot inventæ Artes,& varia vitæ ſtudia,in variis rebus naturalibus occupata, quorum multiplex ac penè

*potuiſſe.* (1) *Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvarent, percipi poſſet? nam & qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua uſum habere poſſemus, homines certe fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere ea, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex his capere poſſemus: ab eisdemque & ea,* (2) *quæ nocent, interficiuntur,*

infinitus ad vitam humanam commodè degendam uſus eſſe poteſt.

(1) *Qui denique ex beſtiis.*) In animatis ratione carentibus par ratio eſt. Nam nec illæ res ſat utilitatis nobis præberent, niſi cultura & induſtria hominum acceſſerit. Ita excubias agere didicerunt canes, aratrum trahere boves, militem ferre & hoſtem ſuſtinere equus, animum agere ſimia, ſaltare elephas, miteſcere leo & urſus. Hominum ingenio ungues, cornua, pili, ſetæ, pennæ & pelles brutorum plurimis uſibus adhibentur. Horum eſt inventum, lanificium, mellificium, opus lactarium. Et quis ſatis commendaverit uſum brutorum, quem invento medicorum valetudini præbent. Videantur præter alios Ariſtotelis hiſtoria Animalium, Plinius, Geſnerus, & Vlyſſes Aldrovandus de eodem argumento.

(2) *Quæ nocent interficiuntur.*) Hæ igitur beſtiæ non interficiuntur, quod proſint interfectæ, ſed quod vivæ obſint. At, inquies, quomodo igitur ſunt utiles? recenſio enim facta eſt rerum utilium. Videtur itaque hoc intelligendum eſſe ἀκύρως, videlicet noxias beſtias interfici eſſe utile, quatenus per illarum interitum uſus noſter fructuſque ex aliis rebus perceptus vel percipiendus non impeditur.

Quid

*ficiuntur , & quæ uſui poſſunt eſſe , capiuntur.* (1) *Quid enumerem artium multitudinem, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet ? quis enim ægris ſubveniret ? quæ eſſet oblectatio valentium? qui victus , aut cultus , niſi tam multæ nobis artes miniſtrarent ? quibus rebus exculta hominum vita tantum diſtat à victu, & cultu beſtiarum.* (2) *Vrbes verò ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moresque conſtituti ; tum juris æqua deſcriptio, certaque*

(1) *Quid enumerem.*) Redit ad Artium varietatem, quæ ingenio hominum ſunt inventæ & excultæ: abſque quibus ſi fuiſſet , victus cultusque humanus nihil à beſtiarum victu diſcrepaſſet. Itaque excitata humana ratio reperit artes , quibus à bruto vivendi more homines avocarentur , & cultum victumque amplecterentur ſuæ dignitati & præſtantiæ convenientem. Etſi igitur multæ paulatim artes etiam ad luxum fuerunt comparatæ ; non tamen ceu frugales laudandi ſunt ii, qui contra habitant homines, corpore aut nudo agunt, aut corticibus arborum aut nudibus ferarum pellibus ſe veſtiunt: cum facit Grotius 2. *de J. B. P. c. 2. n. 2.*

(2) *Vrbes verò.*) Vrbium, ſocietatis civilis & Rerump. commoda enumerat. In his natæ leges , jura; in his formata morum exacta diſciplina & manſuetudo: conſervata verecundia, ſecuritas vitæ bonorumque : in his obtinent commercia, & varia rerum communio, denique quidquid ad vitam bene beateque agendam pertinet. Hæc verò uti maximè utilia ſunt, ita non ſine hominum benè compoſito cœtu, qualis eſt ſocietas civilis & Reſpublica, ſive conſtitui , ſive ordinari potuerunt.

*certaque vivendi disciplina, per quas bene beatèque vivitur. Quas res & (1) mansuetudo animorum consecuta, & verecundia est: effectumque est, ut esset vita munitior, atque ut dando, & accipiendo, permutandisque facultatibus, & commodis, nulla re egeremus. (2) Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à Panætio commemorantur, neminem (3) neque ducem in bello, nec principem magnas res, & salutares, sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander:*

Dicas, multa ex his non esse Vtilia, veluti leges, & Jura saltem nonnulla, sed Honesta. In se spectata sunt sanè honesta, relata tamen ad societates hominum eorumque fines, nil vetat, quò minùs eadem sint Vtilia; ut enim quæque virtus est præstantior, ita maximè vult prodesse, inquit Aristoteles.

(1) *Mansuetudo animorum.*) Huc pertinent Poëtarum de Orpheo, Lino & Amphione fabulæ: nec non illud Horatii in Mercurium carmen *lib.* 1. *od.* 10. Qua de re etiam suprà quid diximus. ad *lib.* 1. circa fin.

(2) *Longiores.*) Prolixior fuit in rebus utilibus recensendis, in quibus etiam longior fuit Panætius, quem dum accusat, quod in re manifesta laboret, se excusatum it.

(3) *Neque ducem in bello.*) Multa sanè, & tantùm non omnia Ducibus & Imperatoribus tribui solent, illorumque virtuti accepta referri, quæ sine ope militum fortisque & numerosi exercitus confieri non potuisse nemo dubitat. Ex quibus omnibus liquidò apparet, quàm

*der: quos negat ſine adjumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Vtitur in re non dubia teſtibus non neceſſariis.* (1) *Atque ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum atque conſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copioſi, qui collectis cæteris cauſſis, eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumpta: deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt bellis, aut ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate.*

quàm neceſſarius ſit homo homini, ut adeò ſingulis inſtinctus ſocialis à natura ſit tributus, quò mutua ope, ſtudio: rerum operumque Commercio alter alteri prodeſſet, atque omnes ad finem naturalem cumprimis his commoditatibus ſubnixi ducerentur.

(1) *Atque ut.*) Sicuti infinitis modis homo homini uſui, præſidio & auxilio eſſe poteſt, ſi voluntates illorum amicè conſpirent, & ad eundem finem, cumprimis naturalem, contendant; ita contraria omnia eveniunt, fraudes, injuriæ, calumniæ, odia, vulnera, cædes, ſi animis, finibus, ſtudiisque diſſideant: ut ſanè rectè exiſtimaverit Dicæarchus, graviſſimas calamitates homini accedere ab homine: id quod cumprimis cernere eſt in bellis, à quibus adeò tantò magis abhorrere debebant homines, ſi ſuæ conditionis bene memores eſſent. Hinc & Plinius ita queritur proœmio *lib. 7. hiſt. nat. Leonum feritas inter ſe non dimicat. Serpentum morſus non petit ſerpentes. Ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera*

*tate.* (1) *Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & prosint, & obsint; proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adjungere.* (2) *Itaque quæ in rebus inanimis, quæque in usu & tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis; hominum autem studia, ad amplificationem nostrarum rerum prompta, ac parata, virorum præstantium sapientia, & virtute excitantur.* (3) *Etenim virtus fere omnis in tribus rebus vertitur: quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum, sincerumque sit, quid consentaneum cuique,*

*genera sæviunt: & hercle homini plurima ex homine sunt mala.*

(1) *Cum igitur.*) Hoc cum ita se habeat, virtutis & officii humani est, ut quisque sibi conciliet animos hominum, videlicet usibus illorum ac necessitati in serviendo; sic simul ad suos, inquit, usus adjunget alias. Benefactori enim & qui opitulatus est gratia mutuaque opera referenda est.

(2) *Itaque quæ.*) Res inanimatas ad usus hominum transferimus artibus operosis, h.e. sive artium beneficio, sive opera nostra, sive utrisque. Homo verò homini suis officiis prodest, alteri alterum sibi conciliare potest excellentiorum rerum adminiculo, virtutibus cum theoreticis, tum practicis: atque his benevolentia hominum mutua excitatur, corroboratur ac conglutinatur.

(3) *Etenim verò.*) Explicat, quæsit illa virtus, cujus

*cuique, quid conſequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujusque rei ſit cauſſa: alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant; appetitiones, quas illi ὁρμὰς, obedienteis efficere rationi: tertium, iis, quibuſcum congregamur, uti moderate, & ſcienter, quorum ſtudiis ea, quæ natura deſiderat, expleta, cumula atque habeamus;* (1) *per eos denique, ſi quid importetur nobis incommodi, propulſemus, ulciſcamurque eos, qui nocere nobis conati ſunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitasque patitur.* (2) *Quibus autem rationibus hanc facultatem aſſequi poſſimus, ut hominum ſtudia complectamur, eaque*

cujus illecebra nobis conciliare poſſimus hominum ſtudia & animos, putà, quæ verſatur vel tantùm circa theoriam & doctrinam veritatis, vel circa πρᾶξιν honeſtatis, vel circa uſum civilem familiarem, & ὁμιλίας.

(1) *Per eos denique.*) Homo, ut homini proſit, naturaliter eſt obligatus. Hoc officium qui non ſolùm deſerit, ſed & contrarium facit, illius vim atque injurias optimo jure propulſare nobis licet, primò omnium Judicis, tum, ſi ille vel nullus, vel fruſtra ſit, hominum aliorum præſidio uſis, qui anima armis opponant, & vim vi propulſent. Poſterius ubi arripitur, ulciſcendi & puniendi modus ſit, ne ab æquitate & humanitate recedatur. Hac de re plura *lib.* 1. dixit Grot. 3. *de J. B. P.* c. II. *n.* 1.

(2) *Quibus autem.*) Antequam tradat præcepta, quibus parari poteſt facultas conciliandi ſibi homines, præ-

*eaque teneamus, dicemus: neque ita multo post; sed pauca ante dicenda sunt.* (1) *Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel ad secundas res, vel adversas, quis ignorat? nam &, cum prospero flatu ejus utimur, ad optatos exitus provehimur: &, cum reflavit, affligimur.* (2) *Hæc igitur ipsa*

præmittit quædam de Fortuna; sic enim apparebit, quanta sit vis rationis nostræ, quid nostri sit arbitrii, & προαιρέσεως, & quid omnino virtute nostra effici queat aut prudentia, & quale vel momentum vel impedimentum extrinsecus conferre quandoque soleat Fortuna.

(1) *Magnam.*) Fortunæ sæpe eos effectus tanquam causæ multi tribuunt, ut vel in Dei Providentiam sint impii, vel nescio quæ sibi somnia fingant. Si qui enim casus eveniant, quos non suæ causæ protinus aptare norunt, Fortunæ quidquid ejus generis est imputare solent. Rectè igitur Hippocrates de Fortuna: ἡμῖν μὲν αὐτόματον, τῇ δὲ αἰτίᾳ μὴ αὐτόματον. Nec non Satyricus:

*Nullum Numen abest, si sit Prudentia; sed nos*
*Te facimus, Fortuna, deam, cœloq; locamus.*

Videatur in hanc rem elegantissima dissertatio apud Cominæum in vita Ludovici XI. Jo. Jovianus Pontanus Fortunam censet esse occultam vim siderum, mirabilium eventuum in rebus & naturalibus & humanis effectricem. Hanc sententiam miror VVolfio etiam placuisse, qui hic nimis videtur φιλαστρολόγος. De Fortuna, quatenus est causa actionum vel certorum eventuum, aut fortè perhiberi possit, alibi accuratiùs à nobis disputatum fuit, *Tract. de Princ. act. moral. disp. 5. §. 4. & 5.*

(2) *Hæc igitur ipsa.*) Enumerat varios casus seu effectus, qui Fortunæ imputari solent, ad quos producendos

*ipſa fortuna cæteros caſus rariores habet: primum ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia; deinde à beſtiis ictus, morſus, impetus. Hæc igitur, ut dixi, rariora. At verò interitus exercituum, ut proxime trium, ſæpe multorum; clades imperatorum, ut nuper ſummi, ac ſingularis viri; invidiæ præterea multitudinis, atq; ob eas bene meritorum ſæpe civium expulſiones, calamitates, fugæ, rurſusque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum operibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras*

dos illa utatur miniſterio vel rerum inanimarum, vel brutorum, vel hominum. Atque hi omnes effectus cedunt vel in hominis commodum, vel in ejus incommodum. Cæterum ſicuti rerum creatarum nulla æquè prodeſſe poteſt, atque homo homini; ita graviſſimorum quoque malorum cauſam homini hominem exiſtere poſſe hic oſtendit. Proinde ſi Fortuna (ſecundum Ciceronis hypotheſin loquor) maximè & frequentiſſimè nocere velit, non tam rerum inanimatarum, aut brutorum, quàm hominum ad eam rem miniſterio utitur: id quod inductione quorundam ſingularium demonſtrat, trium exercituum interitu, Pompejani in Pharſalicis Theſſaliæ campis: Scipionum & reliquiarum Pompejanarum, nec non Petreji & Afranii in Hiſpania: denique Catonis in Africa. Cum quibus exercitibus occubuerunt tot præclari fortesque viri, ac inter illos princeps Pompejus. Quæ cum ita ſint, quàm maximè intereſt, illa præcepta

& noſſe

*noſtras allicere', atque excitare poſſimus.* (1) *quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortaſſe etiam brevior videbitur.*

(2) *Quæcunque igitur hominis homini tribuunt, ad eum augendum, atque honeſtandum:* (3) *aut benevolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cujus*

& noſſe rectè, & ad πρᾶξιν transferre, ut nobis homines ita conciliemus, quò prodeſſe nobis, quàm nocere velint.

(1) *Quæſi.*) Occupatione quadam excuſat, & commendat hujus argumenti prolixiorem fortè expoſitionem.

(2) *Quæcunque igitur.*) Hæc ſi ad genuina principia revocanda ſint, transferenda huc erunt illa, quæ Ariſtoteles fusè tractat 8. & 9. *Nicom.* quod Amicitia alia ſit Honeſta, alia Utilis, alia Jucunda: Amemus verò propter aliquod bonum, quod itidem ſit triplex, Honeſtum, Utile, Jucundum: Quos amemus, iis benefaciamus & cupiamus, pro natura illius boni, propter quod amicitia inſtituta fuerit: Homines igitur, inquit hic Cicero, benefaciunt ſibi invicem, & per beneficia mutuò voluntates conciliant.

(3) *Aut benevolentiæ gratia.*) Videlicet ſi amoris ſui nondum ſatis firmam habeant cauſam; eſt enim Benevolentia etiam inter ignotos, & eſt principium amicitiæ. 9. *Nicom.* 5. Quod ſi per Benevolentiam intelligas veram amicitiam, ejus fundamentum virtus eſt, ut quidquid officiorum tum amicis tribuatur, hujus cumprimis fiat intuitu. Aut, inquit, homines aliis tribuunt quædam

*Honoris*

*cauſſa quempiam diligunt*: (1) *aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, & ſi quem dignum fortuna quam ampliſſima putant*: (2) *aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur*: (3) *aut cujus opes metuunt: aut contra*, (4) *à quibus aliquid expectant, ut cum reges, popularesve homines largitiones aliquas proponunt: aut poſtremo*, (5) *pretio, aut mercede ducuntur. Quæ ſordidiſſima quidem eſt ratio, & inquinatiſſima, & iis,*

(1) *Honoris gratia.*) Honor enim etiam quidam amor eſt; amamus verò ita illos, qui virtute præditi ſunt; eſt enim Honor præmium & teſtimonium virtutis: ut adeò horum officiorum non ſit aliud fundamentum quàm ſuperiorum, ſiquidem genuinum Honorem ſupponas.

(2) *Aut*, inquit, *cui fidem habent.*) Hoc ſi fit per officia honeſtatis, ad amicitiam honeſtam referendum eſt: ſin verò illa merita ratione bonorum utilium exſtiterint in te, forſan ad utilem potius retuleris amicitiam.

(3) *Aut cujus opes metuunt.*) Hæc cauſa non poteſt tam referri ad veram amicitiam, quàm ut tempori cedendo, hoc eſt, neceſſitati parendo ex malis minimum vel deligamus, vel omnia omnino, quæ metui poſſint, comi hac obſervatione & utili amicitia declinemus. Neceſſe enim eſt ſæpe, ut Cerbero offam objicias, eumque omni ſtudio demulceas.

(4) *Aut à quibus aliquid exſpectant.*) Qui ita dant & accipiunt, amicitiam quandam utilem ineunt. Sic qui tyranni aut popelli auram captant, ſolent illorum animos ineſcare.

(5) *Aut pretio & mercede ducuntur.*) Hæ largitiones

*& iis, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. Male enim se res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia.* (1) *Sed quoniam nonnunquam subsidium hoc necessarium est: quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quæ virtuti propiores sunt, dixerimus.* (2) *Atque etiam subjiciunt se homines imperio alterius, & potestati, pluribus de caussis.*

& beneficia in Remp. pernicioſiſſima ſunt; quæ quidem utilem quandam amicitiam ſapiunt, quæſtu tamen perficiuntur ſordidiſſimo. Ratione enim dantium ad ambitionem, ratione accipientium ad avaritiam & injuſtitiam pertinent. Quin enim lucrum inde captant, unde non debebant, avari; &, quia aliis melioribus, virtute non opibus ſuffultis, via præcluditur, injuſti ſunt. Quod dogma gravi præcepto obſignat, cui geminum eſt illud Comici: *Virtute ambire oportet, non favitoribus.* Hodie autem veriſſimum eſt illud Salluſtianum: *Præmia virtutis ambitio poſſidet.*

(1) *Sed quoniam.*) Quis pecuniæ, largitionum & ſimilium rerum verus poſſit debeatque eſſe uſus, ſe deinceps dicturum pollicetur, modò illa prius tetigerit, quæ virtuti & amicitiæ honeſtæ propiora ſuâ naturâ fuerint.

(2) *Atque etiam.*) Adfert jam cauſas, quibus inducti multi amicitias κατ' ὑπεροχὴν ineant, ut hi imperent, alii ſint ſubditi. Ariſt. 8. *Nicom.* 7. Vt igitur imperium adfectantes, ſibi homines ſubditos concilient, vel hoc efficiunt Benevolentia, hoc eſt, ut ſibi principem conſtituant aliquem, vel propter virtutem: qualis prædicatur Cyrus. Vel propter beneficiorum magnitudinem: qualis fuiſſe perhibetur Hercules. Ariſt. 3. *Polit.* 11. *p. m.*

*cauſſis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſionisque capti, aut poſtremo, ut ſæpe in noſtra Republica videmus, mercede conducti.* (1) *Rerum autem omnium nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Præclare Ennius:*

*p.m.*204. *Beneficio impellebantur ad conſtituendos reges: quod eſt officium proborum virorum.* Vel propter dignitatis præſtantiam. Si internam animi dignitatem intelligas, referendum hoc eſſet ad virtutem: Sin externam, corporis proceri ac pulchri conſpicuam ſtaturam & hoc tolerari poſſit: qualis in S. Codice deſcribitur Saulus? Aut ſpe inducti ſe ſubjiciunt, ſibi id utile futurum. Ita Lithuania aliæque Provinciæ acceſſiones ſunt factæ Reip. Polonicæ. Aut metu, ne videlicet bello victi addictiùs regantur, ultro ſe potiùs ſubjiciunt potentiori: id quod per deditionem ſimilesque caſus fieri adſolet. Grotius *lib.*1.*de J.B.P.c.*3.*n.*8.*& lib.*2.*c.*5.*n.*31. Aut ſpe largitionis: hoc adminiculo Philippus Macedo ſibi multa loca hominesque ſubjecit. Aut mercede, quando cives pecunia corrupti tyrannidem adfectantibus opem ſuam conferunt, eique ſe ſubmittunt. Cumque hic notet Ro. Remp. videtur deſignare Cæſarem, qui Tribunos ipſamque plebem muneribus ædilitiis, aliisque largitionibus dementatos ad ſe traduxerat.

(1) *Rerum autem.*) Vbi ſocietas, ibi amicitia eſt: ubi amicitia, ibi amor. Inter imperantes & ſubditos eſt quædam ſocietas, cujus proinde firmiſſimum vinculum eſt amor. Id igitur operam dabunt omnes civiliter im-

*Ennius*: Quem metuunt, oderunt: quem quisq; odit, perisse expetit. *Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec verò hujus tyranni solum, quem armis oppressa perculit civitas, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem: sed reliquorum* (1) *similes exitus tyrannorum:*

perantes, ut amorem subditorum demereantur; qui enim metu ac vi potius in officio suos contineri posse putant, quàm graviter errent, J. Cæsaris aliorumque exemplis & sententiis comprobat. Quem enim timemus, eum aversamur & odimus: & quò magis timemus, eò magis aversamur. Tyrannos autem principesque sævientes maximè timemus, adeoque maximè odimus. Malus itaque custos diuturnitatis metus est, hoc est, non potest quisquam opes aut existimationem diu retinere, si ab omnibus velit metui; talis enim metus tandem in desperatam audaciam laxatur. Aristoteles 5. *Polit.* 10. hac de re ita differit: *Cum sint duæ causæ, ob quas maximè insidiantur Tyrannidibus, Odium & Contemptus; harum altera non potest abesse à tyrannis, Odium scilicet.* Mox contendit cum Odio Iram, docetque, multos quoque ira incitatos exitium attulisse tyrannis, & concludit, Irâ magis infestum esse Odium. Capite verò *ult. ejusd. libri* multis exemplis illustrat & confirmat, Tyrannides esse omnium politiarum brevissimas. Videatur jam suprà citatum cap. 17. & 19. Machiavelli in Principe, adhibitis subinde Conringii Animadversionibus.

(1) *Similes exitus.*) Idem significat his versibus Poëta:

Ad

*norum : quorum haud fere quisquam interitum ſimilem effugit. Malus enim cuſtos diuturnitatis metus : contraque benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem.* (1) *Sed iis, qui vi oppreſſos imperio coërcent, ſit ſane adhibenda ſævitia, ut hæris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt.* (2) *Qui verò in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur; his nihil poteſt eſſe dementius. Quamvis enim demerſæ ſint leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas; emergunt tamen hæc*

*Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci*
*Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.*

(1) *Sed iis.*) Reſtrictione idipſum, quod de vi & metu dixerat, temperat: poſſe ſcilicet vim quandam & ſeveritatem in eos exerceri, quos vi oppreſſeris, & qui aliâ ratione quàm vi & metu teneri nequeant. Nec tamen in humana adhibenda erit ſævitia, ſed qua in famulos utitur herus. Deſignat igitur manifeſtè imperia herilia, quatenus in his metus & vis locum habent; nec enim ita cenſendum eſt, ac ſi illa omnino Naturæ adverſentur. Multi enim ſunt populi, qui non niſi addictiori freno coërceri ac teneri poſſunt, veluti Moſchi, Perſæ, Aſiatici, aliive populi. *Grot. 1. de J. B. P. c. 3. §. 8. 2. de J. B. P. c. 5. §. 27. & lib. 3. c. 8.*

(2) *Qui verò.*) Idem qui velit tentare in civilibus imperiis, quod alii in herilibus, non ſolum aliis injuriâ gravis, ſed ſibi etiam perniciosiſſimus eſt, ſic ut quadam dementia in juſtũ omnium odium ſe præcipitet. Etiamſi enim legũ repagula perfregerit, libertati adſuetis civibus

*hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis.* (1) *Acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quam retentæ.* (2) *Quod igitur latiſſime patet, neque ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum*

timorem incuſſerit; reſuſcitatur tamen illius memoria ſæpè, & tacitis judiciis damnatur tyrannis, de qua in foro aut ſenatu juxta leges oppreſſas diſceptare non licet: & emergunt occulta de honore ſuffragia, videlicet tyranno non competere illum honorem & in cives imperium, quæ invaſione iniquâ arripuerit, adeoque ubi memores priſtini Status fuerint animi liberi, non tam diverſa conditione ſe à tyranno diſtare, quin omni jure quandoque illam poteſtatem etiam cum cæde & ſanguine ei extorqueri, & oppreſſæ libertatis vindicias inſtitui poſſe arbitrantur. Notat autem manifeſtè J. Cæſarem. In univerſum tenendum eſt, nonnullos populos herili, plerosque civili regendos eſſe imperio; ſecus ſi fiat, magna imprudentia & injuſtitia magni ferè excitantur motus, qui ſucceſſum aut occaſionem nacti acerrimam vindictam conſectari ſolent.

(1) *Acriores.*) Rationem hujus rei tradit, quod cives in Rep. libera viventes non tanta contentione florentem & integram libertatem ſoleant conſervare, quàm oppreſſam vindicare. Si enim uti apud Salluſtium eſt, libertatem nemo bonus niſi cum animâ ſimul amittit; quanta contentione illa gravi & injuria & damno erepta vindicabitur, quandoquidem, ut ſupra. *lib.* I. ajebat Cicero, pro libertate magnanimis viris omnis debeat eſſe contentio.

(2) *Quod igitur.*) Mutuus imperantium & parentium

*mum,id amplectamur,ut metus abſit,caritas retineatur. Ita facillime,quæ volumus, & privatis in rebus & in Republica conſequemur. Etenim,qui ſe metui volent , à quibus metuentur,eosdem metuant ipſi neceſſe eſt. Quid enim cenſemus,ſuperiorem illum Dionyſium quo cruciatu timoris angi ſolitum,qui cultros metuens tonſorios,candente carbone ſibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheræum,quo animo vixiſſe arbitramur? qui,ut ſcriptum legimus,cum uxorem Theben admodum diligeret,tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens,barbarum, & eum quidem,ut ſcriptum eſt , compunctum notis Threiciis,diſtricto gladio jubebat anteire: præmittebatq; de ſtipatoribus ſuis,qui perſcrutarentur arculas muliebreis, &,ne quod in veſtimentis occultaretur telum,exquirerent. O miſerum,qui fideliorem & barbarum,& ſtigmatiam putaret,quam conjugem! Nec eum fefellit opinio: ab ea eſt enim ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Nec verò ulla vis imperii tanta eſt , quæ premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris,cujus eſt præter cæteros nobilitata crudelitas : qui non ex inſidiis interiit,ut is, quem modo dixi , Alexander : non*

*à paucis,*

tium amor quantum ad Societatis , quæ inter illos eſt, incolumitatem,potentiam,quantum & privatim ſive his ſive iſtis,nec non publicè proſit,repetit: Deinde experientia contrariorum exemplorum illuſtrat, quomodo, qui metui voluerunt , peſſimè ſibi conſuluerint: quæ

*à paucis, ut hic noſter: ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit, Quid Macedones? nonne Demetrium reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt?* (1) *quid? Lacedæmonios injuſtè imperanteis nonne repente omnes fere ſocii deſeruerunt, ſpectatoresque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis? Externa libentius in tali re, quam domeſtica recordor. Verum tamen, quam diu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum* (2) *aut mites, aut neceſſarii.*

*Regum,*

adeò conjungi cum iis merentur, quæ recitat Ariſtoteles *ſupr. cit. loc.*

(1) *Quid Lacedæmonios.*) Hinc Iſocrates Oratione ſociali oſtendit Lacedæmoniis non Leuctricam cladem, ſed ſuperiorum temporum injurias exitio fuiſſe. Ita & hodiè ſæpè fit, ut qui ſocietatem aut fœdus cum aliis iniquè colunt, à ſociis, cum minimè id commodum accidit, deſtituti graves pœnas ambitionis & injuriarum dare ſoleant.

(2) *Aut mites, aut neceſſarii.*) Mites ſunt bellorum exitus, cum victi in fidem & clientelam aut ſocietatem recipiuntur: neceſſarii, ſi vi majori aſperiùs domiti parere cogantur, aut propter inſignem pertinaciam exſcindantur. Talis fuit exitus belli Numantini, Punici tertii, Achaici, aliorumque à Romanis geſtorum. Suprà *lib.* I. dicebat, parta victoria conſervandos eſſe eos, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerint. *Grot. 3. de J. B. P. c.* 11. §. 6.

*Regum*

(1) *Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium ſenatus. Noſtri autem magiſtratus, imperatoresque, ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi Provincias, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari.* (2) *Senſim hanc conſuetudinem, & diſciplinam jam antea minuebamus: poſt verò Syllæ victoriam penitus amiſimus. deſitum eſt enim videri quidquam in ſocios iniquum, cum extitiſſet etiam in civeis tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta*

(1) *Regum.*) Verum quidem eſt, Romanos multis regibus populisque ſociis ſuccurriſſe; interim ſub prætextu ſociorum, & vindicandarum injuriarum iis illatarum, ſæpiſſimè ſuam rem aſtutè agebant. Qua enim belli cauſa æquè amplificatum fuit Imperium Romanum quam ſociorum ſuorum prætenſa neceſſitudine? Videantur Alb. Gentilis libri duo *de Armis Romanis.* Cæſar apud *Dion. l.* 38. *Majores noſtri tantam urbem noſtram fecerunt, cum ſuas fortunas, tanquam alienam poſſeſſionem, ſemper periculis objecerunt: aliorum autem ditionem, tanquam pertinentem ad ſe, haut cunctanter ſuam facerent.*

(2) *Senſim.*) Talem fuiſſe dixit quondam Reip. faciem, ut patrocinium orbis terræ vocari poſſet. Jam exponit quomodo ſenſim ab hac virtute, integritate ac ſanctitate Romani defecerint. Initium ejus rei factum eſſe ait Sylla dominante, qui omnem illam juſtitiam & humanitatem proculcavit. Hoc tamen pejorem multò fuiſſe ait Cæſarem.

*secuta est honestam causſam non honesta victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certe civium, prædam suam se vendere. Secutus est, qui in causſa impia, victoria etiam fœdiore, non solum singulorum civium bona publicaret, sed universas quoque Provincias regionesque uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque, vexatis, & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Multa commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius.* (1) *Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta*

Illius enim victoria licet inhonesta & insolens fuerit; causa tamen fuit honesta: hujus verò & causa & victoria fuit abominanda, sic ut jus omne in armis habuerit, & exemplum amissi imperii ac libertatis proposuerit omnibus, dum in triumpho Massiliam portari jusserit, indignam & ipsam, quæ nostræ servitutis exemplum præberet, quæsitu & munitione tantopere Romanis quondam ducibus profuit, ut Gallos transalpinosque populos nec vincere nec triumphare potuissent, nisi illam tenuissent.

(1) *Iure igitur.*) Confitetur culpam: dicitque non satis cautè & maturè à Romanis observatum esse, quantum mali sit in exemplis: adeoque conniventiam illam & indulgentiam circa unum atque alterum, horumque scelerum

*tanta perveniſſet licentia: à quo quidem rei familiaris ad paucos: cupiditatum ad multos improbos venit hæreditas. Nec verò unquam bellorum civilium ſemen, & cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sylla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt à ſceleratiore haſta non receſſit. Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus.* (1) *Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propoſitis, nũquam defutura bella civilia.*

*Itaque*

ſcelerum impunitatem ad eandem audaciam multos alios excitaſſe: cumprimis cum ſuæ nequitiæ tantam prædam potuiſſent ſperare ex rapinis & proſcriptione bonorum, exemplo P. & L. Corn. Syllæ, atque Cæſaris. Rectè igitur colligit, talibus præmiis propoſitis, nunquam defutura bella civilia. Videat itaque Reſp. & attentè caveat, ne τὸ μιαρὸν irrepat in civitatem; ſi enim conniventia aut impunitas accedet, tantopere creſcet atque augeſcet illud, ut remèdio locus non ſit reliquus. *Ariſt. 5. Polit. 3. pag. 305. & c. 7. p. 330.* Nec tamen indulgentia erga Sullam ſimilesque unica fuit everſæ Reip. cauſa, ſed plures aliæ. Imò, Cæſar quod tam præpotens & inſolens evaſerit, Ciceroni præcipuè debetur, qui Senatui auctor fuit, ut Cæſari Proconſulatus Galliæ in alterum quinquennium prorogaretur, cujus illum conſilii graviter, at nimis ſerò, pœnituit.

(1) *Ex quo.*) Meritò etiam hoc de illorum rapinis dixeris, qui obtentu religionis hæreticos, quos appellant, eorumque bona proſcribunt, eâque re Catholicam ſuam intemperiem nemini non profitentur.

*Itaque.*

(1) *Itaque parietes urbis modo ſtant, & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes: rem verò publicam penitus amiſimus.* (2) *Atque in has clades incidimus, (redeundum eſt enim ad propoſitum) dum metui, quam cari eſſe, & diligi, maluimus.* (3) *Quæ ſi populo Romano injuſtè imperanti accidere potuerunt; quid debent putare ſingulì? Quod cum perſpicuum ſit, benevolentiæ vim eſſe magnam, metus imbecillam:* (4) *ſequitur, ut diſſeramus, quibus rebus poſſimus facillime eam, quam*

(1) *Itaque.*) Eò res rediit per vim metumque, ut anima Reipub amiſſa, nil niſi parietinæ & rudera ſupersint; vix enim & ne vix quidem ab ædificiis urbis vim & injuriam abſtinebunt, quibus ſocios vexare ac triumphare, Remp. ejusque libertatem, proculcatis legibus ac juribus, peſſundare in ludo eſt.

(2) *Atque in has.*) In easdem inciderunt Auſtriaci & Hiſpani, cum crudeliùs & inſolentiùs dominarentur Helvetiis, Batavis, Luſitanis, Indis: qua de re conſulantur Hiſtorici:

(3) *Quæ ſi.*) A majori ad minus. Si injuſto metu Reſp. Rom. incredibilem illam potentiam perdidit, quî quæſo ſinguli ſuas opes vi ac metu conſervabunt? Atque hinc fit, quod multi redivivi Sejani parem cum Sejano Ro. exitum conſequantur.

(4) *Sequitur.*) Conſequens eſt, ut præcepta tradam amicitiæ comparandæ, à quâ non abſit Honor & Fides. Tranſire vult ab amicitiâ ad Gloriam, quatenus & hæc utilis ſit, & quomodo comparari poſſit. Ad perfectam enim Gloriam dicit paulò poſt requiri, ſi diligamur

*quam volumus, adipiſci, cum honore, & fide caritatem.* (1) *Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cujusq; vitam inſtituendam accommodandum eſt, à multisne opus ſit, an ſatis ſit à paucis diligi. Certum igitur hoc ſit, id quod & primum, & maxime neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium*

mur à multis, ſi fidem habeant nobis, ſi cum admiratione quâdam honore nos dignos putent.

(1) *Sed ea.*) Magnum hoc bonum eſt, à quamplurimis diligi. Interim alius alio magis minusque hominum benevolentia vel prolixa vel reſtricta indiget: quod diſcrimen inde nobis innoteſcet, ſi vitæ genera & inſtituta varia inſpiciamus. Sicuti enim Ariſtoteles ex diverſis vitæ generibus varias de Summo Bono ſententias exſtitiſſe ſapienter colligit; ita etiam media huic aut iſti fini inſervientia ex variis vitæ generibus peti rectè poterunt. Si igitur quis ſit privatus, & rem curet familiarem, horum benevolentia indiget, quorum opera ad eam utitur: qui ſunt perpauci. Si verò quis inſignem Magiſtratum gerat, longè pluribus indiget amicis; nec tamen quavis ratione multitudinis auram captare debet, ſed honeſtis modis, cumprimis ut ſit νομοφύλαξ, malitque odium & invidiam ex rectè adminiſtrato, quàm ex neglecto officio benevolentiam, in ſe derivare. Videantur cumprimis ea, quæ Ariſtoteles 9. *Nicom.* 10. de numero Amicorum diſſerit: ubi hac diſtinctione utitur, Utilibus amicis neque nos egere debere, neque iisdem abundare: Jucundos ſufficere paucos, veluti cibo modicum condimentum ſatis eſt: Honeſtos reperiri omnino perpaucos, atque ex his ipſis tot eſſe deligendos, cum quot commodè poſſis eſſe,

&

*amantium nos amicorum*, (1) *& noſtra mirantium*. (2) *Hæc enim eſt una res prorſus, ut non differat multum inter ſummos, & mediocreis viros: eaque utrisque propemodum comparanda. Honore, & gloria, & benevolentia civium fortaſſe non æque omnes egent: ſed tamen, ſi cui hæc ſuppetunt, adjuvant aliquantum, tum ad cætera, tum ad amicitias comparandas: Sed de amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de*

& συζῆν. Tandem concludit §. 22. his verbis: *Qui multis ſunt amici, omnibusq; familiariter utuntur, nulli videntur amici eſſe, præterquam civili more, quos ἀρέσκους appellant.* Proinde rectè monet Cicero, id eſſe primum & maximè neceſſarium, ut amicis utamur fidelibus, ne iniquo ab illis tempore deſtituamur, ne conſiliorum noſtrorum ſint proditores, ne paraſitando opes noſtras abliguriant.

(1) *Noſtra mirantium.*) Ea enim ratione efficietur, ut fidelioribus uti poſſimus amicis, ſi non contemptui & ludibrio nos habeant, ſi ludos & fucum facere non auſint, ſi noſtra prudentia aliorum calliditatem eludii noſtra fortitudine aliorum temeritatem caſtigari, noſtra virtute & juſtitia aliorum malitiam & fraudes opprimi poſſe viderint, eoque nomine nos admirati fuerint.

(2) *Hæc enim.*) Hæc res (*diligi*) tam eſt neceſſaria & utilis, ut hactenus inter ſummos & mediocres viros vix aliquod diſcrimen ſit; quippe omnes amicitia indigent, cujuſcunque etiam conditionis fuerint. 8. *Nicom.* 1. Civium tamen aut multorum hominum honore, gloria & benevolentia non æquè omnes indigent. Ut verò quisque magis hiſce ſubſidiis inſtructus fuerit, ita ad pluri-

Digitized by Google

*de gloria: quanquam ea quoque de re* (1) *duo ſunt noſtri libri. Sed attingamus, quandoquidem ea in rebus majoribus adminiſtrandis adjuvat plurimum.*

(2) *Summa igitur, & perfecta gloria conſtat ex tribus his: ſi diligit multitudo: ſi fidem habet: ſi cum*

plurimorum amicitias comparandas majorem habet facultatem. Qui igitur in magiſtratu, aut cum imperio, aut in re lauta ſunt, horum fortuna multas ad amicitias comparandas opportunitates habet.

(1) *Duo ſunt noſtri libri.*) Hi nuſpiam hodie comparent; quamvis eos furto avertiſſe Petrum Alcyonium, eum, qui de Exilio ſcripſit, hic notat Aldus Manutius, & lectorem ad Pauli patris commentarium in *lib. 15. ep. 27. ad Attic.* remittit. Iſtorum verò librorum ſummam ſine dubio hic habemus.

(2) *Summa igitur.*) Perfectam Gloriam non definit, ſed tres ejus partes eſſe dicit. Wolfius hic alias ſive deſcriptiones, ſive elogia à Cicerone Gloriæ tributa collegit, quarum hæc non eſt contemnenda: *Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute.* εὐδοξία, inquit Ariſtoteles, *Rhet. 5.* ἐστὶ τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαῖον ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν, ὃ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ ἀγαθοὶ, ἢ οἱ φρόνιμοι: quæ ita latinè vertit Riccobonus: *Bona fama eſt, ſi quis ab omnibus virtute præditus exiſtimetur, vel tale aliquid habere, quod omnes appetunt, vel multi, vel boni, vel prudentes.* Honorem ibidem ita deſcribit: τιμή ἐστι σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης, *Honor eſt ſignum beneficæ opinionis.* Capite 7. ait, Honorem eſſe tanquam aliquod pretium, ἀξίαν. Capite 9. inquit, *Honeſta eſſe,*

*quorum*

*ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat.* (1) *Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter, breviterque dicendum, quibus rebus pariuntur à ſingulis, eisdem fere à multitudine: ſed eſt alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in univerſorum animos tanquam influere poſſimus.*

*Ac quorum præmium ſit Honos.* Huic cum maximè adfinis Laus ſit, hanc *eod. cap.* ita deſcribit: ἔστιν ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς, *Laus eſt oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis.* Capite 11. hæc legimus: *Et Honor & Gloria eſt inter jucundiſſima, quia oritur phantaſia cuique, ſe talem eſſe, & probum. Idq; magis, cum id adfirmant illi, quos exiſtimat vera dicere.* Ex his apparet, virtutem eſſe cauſam efficientem perfectæ Gloriæ, non tamen vulgarem, ſed excellentem: unde eleganter nonnemo Gloriam Laboris filiam nuncupat. Videtur quoque aliquis forſan ex aliis rebus, ὧν οἱ πολλοὶ ἐφίενται, veluti donationibus, muneribus, & ſimilibus Gloriam ex Ariſtotelis ſententia ſibi comparare; ſed hæc ſine dubio non eſt Perfecta; hujus enim cauſa efficiens eſt excellentior Virtus, quæ multis luculentiùs profuerit. Sic enim teſtimonium virtutis Laus, nec non Honor ſequitur σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. Gloria igitur, in excellenti virtute fundata, videtur hæc omnia complecti. Addatur Julius Pacius, magnus ille & Philoſophus & JCtus *de Gloria.*

(1) *Hæc autem.*) Modos tradere vult, quibus Gloria aut ſingulæ ejus partes pariantur. Primò itaque adſerit, iisdem rebus illam adquiri poſſe apud multitudinem, quibus apud ſingulos; quamvis præter hos modos etiam alii ſint aditus ad multitudinem, ſi vel eloquentiæ fuco, aut largitionibus, magnificis apparatibus ac muneribus de-

(1) *Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi, benevolentiæ præcepta videamus: quæ quidem* (2) *beneficiis capitur maxime. Secundo autem loco bene-*

demulceatur. Loquitur igitur de Gloria viri Politici, quam ex civium benevolentia, per ea, quæ inculcat, ſtudia ſibi pepererit.

(1) *Ac primum.*) Gloriæ tres conſtituit partes, Benevolentiam, Fidem, Honorem cum admiratione. Singulæ quomodo adquiri poſſint, docet. Quia verò de Gloria non ſatis diſtinctè aliquid definiverat, ita hactenus congeſta inſtruit Wolfius: *Gloriæ cauſa efficiens eſt Virtus: Forma, hæ tres partes; Materia, beneficia, voluntas benefica, comitas orationis: Finis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere.* Hæc etſi non malè dicantur, vix tamen limam Philoſophicam ſuſtinebunt. Cur enim quæ ad formam Gloriæ pertinent, non in debitam definitionem concinnantur; ſic etiam de reliquis cauſis res foret liquida?

(2) *Beneficiis.*) Primus modus captandi benevolentiam, & quidem, uti innuit, præcipuus conſiſtit in Benefaciendo. *Honorantur*, inquit Ariſtoteles 1. *Rhet.* 5. *juſtè quidem & maximè illi, qui benefecerunt. Imò & is, honoratur, qui poteſt benefacere.* Pro magnitudine igitur beneficiorum Honor & Gloria ſuam habet ἀξίαν. Unde verò æſtimabimus Beneficiorum gradus? Hoc forſan ex ipſa Beneficii natura intelligemus, cujus varii ſunt modi. Laudatus modò Philoſophus ita docet *d.c. Beneficium eſt vel ad ſalutem, & quæcunque ſunt cauſa, cur ſimus, vel ad divitias, vel ad aliquod ex aliis bonis, quorum non facilis eſt poſſeſſio, vel omnino, vel ibi, vel aliquando. Multi enim ob illa, quæ parva exiſtimantur, honorem conſequuntur, ſed modi & occaſiones cauſæ ſunt.* Conjicere hinc

(1) *benefica voluntate benevolentia movetur, etiamsi res forte non suppetit.* (2) *Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum, decorumque diximus, quia per se nobis placet, animosq; omniũ natura, & specie sua commovet, maximeque quasi*

licet, quanta benevolentia, honore & amore quique suos benefactores debeant complecti, qui varii sunt pro varietate societatum & amicitiarum, de quibus prolixè *lib.* 8. *& 9. Nicom.* docetur.

(1) *Benefica voluntate.*) Alter modus parandi benevolentiam consistit in benefica voluntate, & tenuioris sortis homines proximè concernit. Quibus enim facultas suppetit, tum demum benevolentiam solidè promerebuntur, ubi ipsam προαίρεσιν facto expleverint. Alius conditionis homines vel sola προαιρέσει sibi benevolentiam conciliare possunt. His adfinia sunt illa Aristotelis 4. *Nicom.* 1. §. 37. *Non in multitudine eorum, quæ dantur, sed in habitu ejus, qui dat, sita est vis hujus virtutis.* (De Liberalitate loquitur.) *Hic autem habitus dat pro facultatibus. Itaque nihil prohibet, quò minùs liberalis sit, qui pauciora donat, si modò ex paucioribus donet.*

(2) *Vehementer.*) Opinione & Fama etiam benevolentia paratur, cumprimis multitudinis. Hæc autem Fama talis esse debet, ut quis celebretur liberalis, justus, candidus, omnibusque iis sit ornatus virtutibus, quæ τὸ ἐπιθυμητικὸν moderantur, & Mansuetudinis, morum

*quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus; idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, à natura ipsa diligere cogimur. Atque hæ quidem caussæ sunt diligendi gravissimæ: possunt enim præterea nonnullæ esse leviores.*

(1) *Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur, quosque & futura prospicere credimus, &, cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse: hanc enim omnes*

morum facilitatis appellatione hic veniunt; nisi fortè hæc vocabula potius à Cicerone hic generaliter videantur poni pro suavi & singulari morum cultura. Hujusmodi ergo opinionem non possumus nisi exercitio virtutum, beneficentiæ, justitiæ, aliarumque excitare. Ea enim vis est Honesti & Decori, ut, qui non sit planè improbus, & saltem aliquam probitatis particulam possideat, non possit non illas virtutes in altero adamare, & bene de ipso opinari.

(1) *Fides.*) Pergit docere, quomodo alteram Gloriæ partem, Fidem nobis consequi liceat, videlicet Prudentiâ adsociata Justitiæ. His enim virtutibus qui præditus est, ei quis non res suas committat & fidem habeat? Nam & Intellectus ipsius practicus ad omnes casus temporumque momenta rectè est instructus per Prudentiam: & Appetitus cum aliis virtutibus, tum præcipuè Justitia est manuefactus, ut suum cuique tribuat, nil alienum sibi aliisve vindicet, συναλλάγματα

*omnes existimant utilem, veramque prudentiam. Iustis autem, & fidis hominibus, id est bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis, injuriæque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur.* (1) *Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet: quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis ver-*

bona fide ineat, pactisque inhæreat. Justitiam verò hic latiùs usurpat, quia Justos & Fidos appellat Bonos, καλοκἀγαθούς. Et paulò pòst, quam hic Justitiam, appellat Probitatem. Secundum Aristotelem ad εὐβουλίαν, quæ Prudentiæ pars est, requiritur, ut ad bonum finem omnis consultatio dirigatur, per media licita & accommodata, justo tempore adhibito, nec celeriori, nec longinquiori. 6. *Nicom.* 9. Ipsa Prudentia ab illo definitur, quod sit habitus cum ratione vera conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona & mala sunt. 6. *Nicom.* 5. §. 9.

(1) *Harum igitur.*) Ad fidem comparandam etsi requiratur & Prudentia, & Justitia; hujus tamen in illa adquirenda majorem autoritatem esse docet, ac Prudentiam sine Justitia nil nisi versutiam esse arguit. Postremam hoc est verissimum; quò enim quis ingeniosior est ad injurias inferendas, eo est ad malitiam versutior. Interim mente quidem, non tamen reapse licet separare alteram ab altera. Quî enim quis Justus esse poterit sine Prudentia, aut Prudens sine Justitia? Cogitatione has si separes, simplex profectò justitia melior est, quàm multiplex & intricata versutia. *O bona simplicitas, quæ absque*

*malitia*

*verſutior, & callidior eſt, hoc inviſior, & ſuſpectior detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ juſtitia conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam, fidem virium. Iuſtitia ſine prudentia multum poterit: ſine juſtitia nihil valebit prudentia.* (1) *Sed ne quis ſit admiratus, cur, cum inter omnes Philoſophos conſtet, à meq; ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unam haberet, omneis habere virtutes, nunc ita ſejungam, quaſi poſſit quisquam, qui non idem prudens ſit, juſtus eſſe: alia eſt illa, cum veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas: alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita*

*malitia mala eſt*, inquit Comicus. Sic, quamvis reapſe Juſtitia ab Amicitia ſegregari nequeat, Ariſtoteles tamen etiam θεωρητικῶς illas ſecernens Amicitiam præfert Juſtitiæ. 8. *Nicom.* 1. Si igitur verum eſt, ut, quò quisque eſt juſtior & prudentior, eò majorem fidem inveniat, non poteſt non ſequi, eò minus poſſe illam quem conſequi, quò fuerit callidior. Habet enim principium ad nocendum promptum paratumque Mentem perverſam. Tali verò quis fidem habebit, ſeque ſuasque res committet? Adde Ariſt. 1. *Polit.* 2. *ſub fin.* Et Machiavellum *in Principe c.* 18. ibique Contingii Animadverſiones.

(1) *Sed ne.*) Meritò quis Ciceroni objeciſſet, ac ſi parùm memor fuiſſet Stoicæ ſententiæ, quâ individuam virtutum copulam conſtituebant, adeoq; fruſtra disjungi à Juſtitia Prudentiam. Hoc ita removet, dum dicit, eſſe duplex diſputandi genus, unum limatum, alterum populare. Si igitur ὁμοιμερῶς & exactè rem perpendas,

*ita nos hoc loco loquimur, ut alios forteis, alios bonos viros, alios prudenteis dicamus. popularibus enim verbis est agendum, & usitatis, cum loquamur de opinione populari: idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propositum revertamur.*

(1) *Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab his digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem suam animadverterunt: separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quædam bona. Itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellenteis quasdam, & singulares virtutes*

& theoriam ad ipsam naturam & conditionem τῶν πραγμάτων applices, fieri nequit, ut vel hæ vel aliæ virtutes dirimi possint. Sin vulgi opinionem usumque loquendi sequaris, possis etiam non solùm in concreto justos à fortibus, & sic in cæteris, semovere; sed & in abstracto considerare singularum virtutum vim, quid quæque, si sibi sola relinqueretur, esset fortè effectura.

(1) *Erat.*) Tertia Gloriæ pars est Honor cum Admiratione; quæ quibus rationibus item adquiratur, proponit. Admirationem excitare solemus, si magna, si inopinata, si excellentiora nostra bona esse alii animadverterint, quemadmodum experientia comprobat. Hanc Admirationem mox excipit Honor, & Laus, testes præconesque istorum bonorum seu virtutum. Pertinent huc ea, quæ Aristoteles περὶ μεγαλοψυχίας disserit 4. *Nicom.* 3.

Despi-

*tes perſpicere:* (1) *deſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorū putant.* (2) *Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendā injuriam inſtructos, eos haud contemnunt quidem, ſed*

(1) *Deſpiciunt.*) Declarat hoc ex contrario. Sicuti Admiratio propter magna & inexſpectata bona excitari; ita in quo nihil eſt virtutis aut nervorum, hoc eſt, qui nullius ingenii eſt, ſocors & ſegnis, contemni ſolet. Contemptus enim oritur inde, ſi quid vile, tenue & nullius pretii videatur. *Quamprimum*, inquit Carteſius *part. 1. de Paſſionib. artic. 53. & 54. nobis occurrit aliquod inſolitum objectum, & quod novum eſſe judicamus, aut valde differens ab eo, quod antea noveramus, vel ſupponebamus eſſe debere, id efficit, ut illud admiremur. Exiſtimationi igitur juncta eſt Exiſtimatio vel Contemptus, prout vel magnitudinem vel parvitatem objecti admiramur.* Si ergo contemnuntur, quæ per ſe ſunt vilia & abjecta, quantopere contemnentur ea, quæ ita ſunt vilia, ut admirationem ſui excitentur?

(2) *Non enim.*) Malè exiſtimamus de iis, qui vel vitioſi ſunt, vel ſaltem tales præſumuntur. Hos verò non ſimpliciter contemni ſolere ait. Cur quæſo? quia in illis multum eſt nervorum, magnumque habent acumen & ingenii vim ad magna, inopinata & inſignia mala edenda. Hinc cum alias Reſpp. tum inprimis Tyrannides frequenter ex Contemptu diſſolvi ait Ariſtoteles 5. *Polit.* 10. Parere verò ſolent contemptum, ignavia, negligentia, voluptates, luxus, ætas, ſexus, generis ignobilitas, clades aliqua accepta, aut infelicitas, infirmitas denique & parvæ opes. Admirationem verò



Digitized by Google

*ſed de iis male exiſtimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ii,* (1) *qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt: admiratione quadam verò afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facile poſſunt obſiſtere.* (2) *Nam voluptates, blandiſſimæ dominæ, ſæpe majores parteis animi à virtute detorquent: & dolorum cum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur. Vita, mors, divitiæ, paupertas, omneis homines vehementiſſime permovent. Quæ* verò cumprimis merentur optimi quique viri, aut ſaltem, qui iis vitiis ac malis carent, quæ modò enumerata ſunt; his enim qui laborant, iis ſemper alii obniti ſolent. Quo igitur excellentiore quis virtute eſt prædítus, eò majorem admirationem & honorem ſibi comparet.

(1) *Qui nec ſibi nec alteri.*) Vide Eraſmum *in Adag. p. m.* 285.

(2) *Nam & voluptates.*) Ut quidque difficillimum eſt, ita maximè in eo Ars & Virtus occupata eſt, inquit Ariſt. 2. *Nicom.* 3. §. 21. Reſiſtere verò Voluptatibus & Doloribus, eſſe difficillimum, experientia comprobat. Heraclitus etiam exiſtimavit, facilius iræ quàm voluptati obſiſti poſſe. Quæ de Voluptatum blanditiis dolorumque facibus addit, eleganter quoque explicat Philoſophus. *Voluptatis*, inquit, *illecebris ad turpes atque improbas actiones invitamur, & doloris aculeis ab honeſtis avocamur & deterremur.* 2. *Nicom.* 3. §. 5. *Qui voluptate aut dolore correptus eſt, ei ſtatim principii videndi facultas eripitur: neque is animo cernere poteſt, ſe hujus rei cauſa*

*Quæ qui in utramque partem excelſo animo, magnoque deſpiciunt, cumque aliqua his ampla, & honeſta res objecta eſt, totos ad ſe convertit, & rapit: tum quis non admiretur ſplendorem, pulchritudinemque virtutis?* (1) *Ergo & hæc animi perſpicientia admirabilitatem magnam facit. Et maxime juſtitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur: nec injuria.* (2) *Nemo enim juſtus eſſe poteſt, qui mortem, cauſa & propter hanc cauſam omnia aptare atque agere oportere. 6. Nicom. 5. §. 15.* Qui igitur utramque fortunam, & omnia illa, quæ vel voluptatem, vel dolorem adferre poſſint; qualia ſunt, vita, mors, divitiæ, paupertas, excelſo animo decenter ſuſtinere ſciunt, hi præ aliis ex virtute ſua admirationem conſequuntur: atque hoc ſub idea Magnanimi viri depingit Philoſophus 4. *Nicom. 3.*

(1) *Ergo & hæc.*) Denuo repetit, Gloriam cum Admiratione conciliari per Prudentiam, (quam hic *animi perſpicientiam* paulò antè *Intelligentiam* appellabat) & Juſtitiam, magis tamen per hanc, quàm iſtam. Eſt enim pervulgatum illud Juſtitiæ pretium & excellentia, ut ſi quis hac una ſolùm præditus, nec aliis conſpicuè ornatus videatur, Bonus tamen vir propter illam audiat. Sanè populariter ſi hoc accipias, ex quaque ferè virtute, cumprimis Juſtitia, boni viri nomen ſolet ei imponi, qui præclariorem aliquam hujus aut alterius actionem prodiderit. At limatè & ὑπερμενικῶς ſi hoc conſideremus, verum hoc non eſt, niſi de univerſaliter juſto: qui ſecundam Philoſophum poſſidet ὅλην τὴν ἀρετὴν, *virtutem omnigenam.*

(2) *Nemo enim.*) Poteſt profectò hæc vel maximè

*tem,qui dolorem,qui exilium , qui egeſtatem timet,aut qui ea,quæ his ſunt contraria , æquitati anteponit. Maximeque admirantur eum,qui pecunia non movetur : quod in quo viro perſpectum ſit,hunc dignum ſpectatu arbitrantur.* (1) *Itaque illa tria,quæ propoſita ſunt ad gloriam ,omnia juſtitia conficit: & benevolentiam , quod prodeſſe vult plurimis : & ob eandem cauſſam fidem,& admirationem ,quod eas res ſpernit, & negligit , ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.* (2) *Ac mea quidem ſententia, omnis ratio,& inſti-*

& licitè timere vir juſtus ; at ita non debet timere,ut horum effugiendorum cauſa aliquid juſtitiæ officiis vel honeſtati decedat. Præterea quoque eſt veriſſimum, non poſſe eſſe juſtum,qui plures faciat divitias , vitam copioſam , aliaque ejusmodi bona , quàm juſtitiam & honeſtatem. Hinc admirationem ſui inſignem illi cient,qui ſanctas habent manus, nec pecunia aut prenſationibus ſe corrumpi patiuntur. Cujus innocentia ita explorata,tanquam aurum ab omni ſcoria igne purgatum,laudari ſolet: ipſique illi abſtinentes viri digniſſimi cenſentur ſpectatu, hoc eſt, qui in honoribus, magiſtratibus conſpiciantur, & ab aliis colantur,obſerventurque,quandoquidem rariſſimi ſunt ii,qui ad illos ſcopulos non faciunt naufragium.

(1) *Itaque.* ) Tres Gloriæ partes, Benevolentiam, Fidem,& cum Admiratione Honorem , Juſtitiæ cum primis effectus eſſe ait , ſicut in his producendis nullius rei aut virtutis alîus tanta ſit vis & autoritas.

(2) *Ac mea.* ) Nulla eſt ſocietas hominum , nec ullum

*inſtitutio vitæ, adjumenta hominum deſiderat:* (1) *inprimisque ut habeas, quibuſcum poſſis familiareis conferre ſermones; quod eſt difficile,* (2) *niſi ſpeciem præte boni viri feras. Ergo etiam ſolitario homini, atq; in agro vitam agenti, opinio juſtitiæ neceſſaria eſt: eoque etiam magis, quod ſi eam non*

ullum vitæ genus, quæ non adjumenta vitæ, ſeu bona Utilia deſideret. Vt autem verè ſint Vtilia, & homo homini in ſocietate proſit, neceſſe eſt illam ſocietatem certò jure regi: ceu pluribus ab Ariſtotele 8.& 9. *Nicom.* docetur. Hinc denuo occaſionem arripit Cicero Juſtitiam extollendi. Poſito enim hoc, nihil eſſe utile, niſi quod etiam honeſtum ſit, hoc eſt, quod honeſtati non repugnet; ſanè non poteſt à ſocietatibus humanis abeſſe Juſtitia, quod abſque hac vitæ adminicula credita forent hominum nocumenta.

(1) *Inprimisque.*) Vitæ enim conſuetudo præcipuum munus eſt ac vinculum ſocietatis, & amicitiæ: uti pluribus docet Ariſtoteles 9. *Nicom. c. ult.*

(2) *Niſi ſpeciem.*) Vitæ conſuetudo ac familiaritas, utut neceſſaria non tamen rectè coli poteſt, niſi ſis vis bonus, vel ſaltem boni viri opinionem de te excitaveris. Bonum virum autem ex ſola juſtitia denominari ſuprà dixit. Vnde concludit ita: ergò ſolitario homini, hoc eſt, cum paucis, in agro forſan degenti, etiam Juſtitiæ opinio neceſſaria eſt; & quidem tantò magis neceſſaria, quod qui non exiſtimetur Juſtus, occultis hominum judiciis damnatus, habeatur Injuſtus, & per conſequens ad vitæ ſocietates harumque adju-

*non habebunt, injusti habebuntur; &, nullis præsidiis septi, multis afficientur injuriis.* (1) *Atque his etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerendam necessaria est.* (2) *Cujus tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere.*

*Nam*

adjumenta conferenda ineptus: Unde fit, ut ab omnibus deseratur, & nullis præsidiis septus omnium insultibus ac injuriis sit expositus. Hoc si diligentiùs perpenderent ii, quibus in more est Punica fides, quique fidem tempori, & loco, aut fortunæ nutibus accommodant, neque magnam vel fœderum, pactorum: aut juramentorum religionem habent, deprehenderent utique, contra propria commoda se laborare, & pejus olim se deceptum iri, quàm ipsi unquam deceperint.

(1) *Atque his.*) Quicunque illi fuerint, qui amicitiam utilem contraxerint, necesse est Justitiam adhibeant, quæ debitam ubique æqualitatem conservet, ne si hic Plus acceperit, alteri Minus sit relictum, dissidia, & ex dissidiis societatum dissolutio oriatur. Nullum igitur dubium est, quin & iis, qui ἐκουσίοις συναλλάγμασι amicitiam suam exerant, opus sit justitia, quam ideo συναλλακτικὴν vulgò appellant, Aristoteles διορθωτικήν. 5. *Nic.* passim.

(2) *Cujus tanta.*) Tanta Justitiæ in societatibus est necessitas, ut nec latronum aut piratarum societas sine justitiæ particula seu imitamento consistere queat. Rectè quidem hinc colligi potest Justitiæ summa necessitas: an verò hæc propriè sit Justitia, quæ in societate latronum obtinet, meritò dubitatur. Expedit rem Philo-

sophus

*Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus, Illyricus latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit: & multo majores Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri,* (1) *Imperatoresque cesserunt: quem C. Lælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit, & comminuit, ferocitatemque ejus ita repressit, ut facilè bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat: quantam ejus vim inter leges, & judicia, & instituta Reipublicæ, fore putamus?* (2) *Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros*

losophus 2. *Nicom.* 4. *Agunt quædam justa, non justè: plurima verò agunt non solùm injusta, sed & injustè.* Non igitur est illa propriè justitia, sed illius quædam particula, uti Cicero ait, vel potius umbra. Quemadmodum igitur latronum & similium hominum non est propriè Societas, sed potius Factio, seu colluvies; ita nec propriè dicta, sed speciem ejus mentita justitia illi nebulonum turbæ præest.

(1) *Imperatoresq.*) M. Ventirius, & post Cn. Plancius, prætores. Vid. Livius & Florus.

(2) *Mihi quidem.*) Pluribus Justitiæ necessitatem declarat,

*noſtros fruendæ juſtitiæ cauſſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem: qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat.* (1) *Eademque conſtituendarum legum fuit cauſſa, quæ regum. Ius enim ſemper quæſi-*

declarat, quod hujus deſiderio & ingenti uſu Reges olim conſtituti, legesque conditæ fuerint. Hos verò Reges appellat *bene moratos.* Multi enim regio imperio ſunt aut fuerunt prædiți, nec tamen ita ſunt morati, ut propter ſingularem virtutis & juſtitiæ opinionem, ſicut olim, eligerentur. Ariſt. 3. *Polit.* 11. *p. m.* 204. *Hanc ob cauſam Regum poteſtati ſe olim tradebant, quia rarum erat invenire viros multùm virtute præſtantes.* Et *cap.* 12. *ejusdem lib. p. m.* 215. *Quapropter erit & diſciplina eadem & mores iidem ferme, qui virum bonum faciunt, & qui faciunt Reipub. adminiſtrandæ regnoque idoneum.*

(1) *Eademque.*) Et Reges & Leges propter neceſſariam Juſtitiæ adminiſtrationem ab hominibus fuerunt conſtitutæ. Reges verò intelligit virtute omnibus aliis excellentiores; hi enim inſtar vivæ legis erant, quemadmodum Prætor apud Romanos, αὐτοβασιλεὺς apud Ariſtotelem. Quia verò nec appetitus hominis facilè coërceri poteſt, & rariſſimè talis aliquis inventu fuit, Leges conditę ſunt, omnis adfectus, quo judicia corrumpi ſolent, expertes. Hinc ita Ariſtoteles 3. *Polit.* 12. *p. m.* 208. *Qui Mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges. Qui verò jubet*

*Homi-*

*quæſitum eſt æquabile.* (1) *Neque enim aliter eſſet jus. Id ſi ab uno juſto, & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adjuncto verò hoc, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinenda juſtitia eſt, tum* (2) *ipſa propter ſeſe,* (*nam*

*Hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuscemodi quiddam eſt. Atque excandeſcentia eos, qui imperium habent, diſtorquet & optimos etiam viros. Quare Lex eſt ſine appetitione mens.* Hoc eſt quod Cicero dicit, Leges cum omnibus ſemper una atque eadem voce loqui.

(1) *Neque enim aliter.*) Hoc pluribus demonſtratur 5. *Nicom.* 3. ubi tamen probè obſervandum eſt, quod illa Æqualitas in civitate duplex ſit, Geometrica & Arithmetica. De utraque videri poterit paſſim Ariſtoteles in Ethicis & Politicis. Quod ſi illi veteres populi, de quibus loquitur Cicero, Reges nacti fuiſſent non ſolùm juſtos, ſed & prudentes, ἀνδρῶν & faſtigium humanæ felicitatis ſe conſecutos eſſe non immeritò arbitrabantur. Bonus enim idemque prudens Rex nihil differt à bono paſtore, imò à bono parente; uti eſt apud Xenophontem.

(2) *Ipſa propter ſe.*) Inter alias enim conditiones, quæ ad genuinæ virtutis exempla pertinent, etiam

hanc

(1) (*nam aliter justitia non esset*) *tum propter amplificationem honoris, & gloriæ.* (2) *Sed ut pecuniæ quærendæ non solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberaleis: sic gloria & quærenda, & collocanda ratione est.* (3) *Quanquam præclare*

hanc exigit Aristoteles 2. *Nicom.* 4. §. 10. ut agens agnoscatur talia suscipere προαιρέμενος, & quidem προαιρέμενος δι' αὐτά. Ut adeò ipsius Justitiæ amore justa justè sint peragenda.

(1) *Nam aliter.*) Si quis Justus esse studeret, non ipsius justitiæ & honestatis amore, sed suas actiones ad gloriam aut divitias unicè aut primariò referret, minimè justus, sed prorsus alius foret. Si verò justum per se expetat, detracta omni consectatione utilitatis, & extrinsecus nihilominus obveniant, honos, gloria, & similia; tanquam suæ virtutis testimonia rectè admittere, eorumque rationem habere potest.

(2) *Sed ut.*) Quæ actiones circa τὰ χρήματα commendantur, easdem Gloriæ ait esse accommodandas. Primò itaque in laude est, si licitis modis pecuniam adquiramus: deinde ut ea rectè utamur, vel ad necessarios, vel ad liberales usus. Sic etiam *ratione*, hoc est, prudenter debitisque modis Gloria quærenda est, & collocanda Quibus verò rebus ac præsidiis illa quæratur, suprà cognitum fuit. Iisdem officiis & actionibus erit collocanda, ut subinde novas Gloriæ collectæ stricturas & commoda, tanquam fœnus quoddam percipias, dum magis magisque tuam virtutem veneratur & admiratur multitudo, majoremque fidem ac benevolentiam tibi tribuit.

(3) *Quanquam.*) Quod attinet Gloriæ acquisitionem,

Digitized by Google

*præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt,* (1) *nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnũ.* (2) *Teſtes ſunt permulti in utramque partem: ſed brevitatis cauſſa, familia erimus contenti una.* Tib.

nem, oſtendit ſibi placere Socratis ſententiam; exiſtimantis, eam partu ſic fore facillimam, ſi quis quàm optimus eſſet. Gloria enim non poteſt niſi virtutis eſſe præmium. Illam igitur qui expetit, neceſſe eſt, ut ex iis rebus quærat, ex quibus unicè ſcit illam efflorescere. Si ergo vir bonus haberi velis & magnus ex virtutibus, ſis quoque talis oportet. Quàm vanum enim ſit, velle ſibi conſtantem gloriam ex mentita probitatis ſpecie polliceri, mox oſtendit, & rationem hanc innuit, quod hujus nullum ſit fundamentum, vera autem Gloria radices agat in virtute: & per tales actiones magis magisque ad immortalitatem nominis propagetur.

(1) *Nec ſimulatum.*) Nam vel ab aliis larva iis detrahitur, aut ipſi ſe ſuo indicio produnt, quando ad ingenium redeunt. Vide Conringii Animadv. ad Machiavelli Principem *cap.* 18.

(2) *Teſtes.*) Vel una Gracchorum familia comprobari poſſe ait, cum veræ tum adfectatæ Gloriæ conſtantiam & inconſtantiam. Conſulatur hiſtoria Romana.

*Tib. enim Gracchus, P. filius tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probabantur à bonis, & mortui nomen obtinent jure cæsorum.* (1) *Qui igitur adipisci veram justitiæ gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. Ea quæ essent, dictum est libro superiore.* (2) *Sed, ut facillime, quales simus, tales esse videamur; etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus; tamen quædā præcepta danda sunt.* (3) *Nam si quis ab ineunte ætate habet causſam* cele-

Nam Grammaticis & historicis commentationibus nobis singularem ac prolixam operam impendere decretum non est; ceu initio Operis monitum est.

(1) *Qui igitur.*) Ex his concludit, neminem posse gloriam Justitiæ, & ad eundem modum aliarum virtutum sibi parare, nisi officiis Justitiæ. Hanc cur speciatim designet, ex superioribus notum est. Et quæ est ratio quærendi gloriam per officia justitiæ, eadem quoque est ratio ejus fœnori collocandæ, ut illud ex frequenti cum justitiæ tum aliarum virtutum exercitio colligas: qua de re jam antè etiam aliquid fuit dictum.

(2) *Sed ut.*) Etsi maxima sit difficultas, ut quis sit Bonus & Iustus, & per consequens Gloria dignus; non tamen & nulla est, ut talis ab aliis agnoscaris, & honore adficiaris. Hujus ergo rei quædam præcepta præscribit.

(3) *Nam si.*) Si quis sit generere nobilis, aut patre natus meritis, aut genere præclaro, aut casu quodam alio, non sua industria; is uti causam habet conservandæ celebritatis ab ipsa ineunte ætate, & ab omnibus attentè observatur, ita providè rerum suarum satagat, ut nec dicto nec facto peccet, sed à teneris adsuescat telis videri,

*celebritatis, & nominis, aut à patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu atque fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atq; in eum, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur: &, tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum.* (1) *Quorum autem prima ætas, propter humilitatem, & obscuritatem, in hominum ignoratione versatur: hi, simul ac juvenes esse cœperunt, magna spectare, & ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur.*

*Prima* videri, qualem eum fore vel natalium dignitas, vel alia felicitas augurata fuerit, vel optimi quique spe ampla sibi promiserint.

(1) *Quorum autem.*) Qui obscuro loco nati sunt, & emergere volunt, ad magna contendent, & talibus intererunt, & per recta studia virtutum, cum mentis, tum morum, ad similia adspirabunt; sic & ipsi paulatim Gloriæ limen contingent. Ne verò propter conditionis tenuitatem desperent, sed confidenter Gloriam sectentur, eo illos confirmat, quod seniores non invidere, sed favere potius teneræ generosæq ætati soleant. Pares enim aut æquales sibi invicem multa obstacula ex invidia ponere solent, nimiæ excellentiæ aut potentiæ metu. At in adolescentibus laudatur erectus animus, & honesta æmulatio. Exempla, quibus hæc illustrentur. legere est apud Manutium. Licet autem non malè ita doceat Cicero, frequentissimè tamen ipsius opinio successu destituitur, quia non solum inter ætate aut conditione æquales,

(1) *Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud majores nostros extiterunt. semper enim fere bella gerebantur.* (2) *Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompeius alæ alteri præfecisset, magnam laudem & à summo viro, & ab exercitu*

sed & his inæquales invidia flagrat, ipsoque juventus per se ferè contemni à senioribus solet, atque premi, ubi de honoribus est contentio.

(1) *Prima.*) Inter recta illa emergendi studia ponit Bellicum: quod in Rep. Ro. versanti, quæ omnes alias gentes belli gloria obtriverat, non potuit non esse commendabile. Hoc verò studium uti nobilibus, ita obscuro loco natis viam non minùs ad Gloriam & nobilitatem aperit; veluti Mario, aliisque. In Rep. quoque Turcica, aliisque rei militari insigniter addictis populis hæc expeditissima ad Gloriam via est. In thesi tamen loquendo Pacis artes præstantiores sunt bellicis, quod bellum pacis gratia geratur. Et ipse Cicero *lib.* 1. Off. togatam fortitudinem sagatæ prætulit.

(2) *Tua autem ætas.*) Commoda digressione laudat hoc studium in filio, & subindicat, rectè tamen ab illo factum, quod ab illo ad Philosophiam se contulerit; illam enim fuisse tempestatem, & bellorum civilium fortunam, ut Pompejani nimis infelices, Cæsariani nimis injusti fuerint, & jura divina ac humana proculcaverint, uti suprà *lib.* 1. dicebat. Nec tamen ita cupidi debemus esse Gloriæ, ut quælibet bella, etiam injusta sequamur: id quod bona conscientia tantò minùs fieri potest,

quod

*citu consequebare, equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit.* (1) *Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est, sed de genere toto, quamobrẽ ad ea, quæ restant, pergamus.* (2) *Vt igitur in reliquis rebus multo majora sunt opera animi, quam corporis: sic eæ res, quas persequimur ingenio, ac ratione, gratiores sunt, quam illæ quas viribus.* (3) *Prima igitur commendatio proficiscitur*

quod sæpe abstinendum sit bellis, ubi etiam eorum justæ possint subesse causæ: ceu præclarè ostendit Grotius 2. *de J.B.P.c.*24. Et profectò perquam est lubricum, perinde ut alia vitæ genera, ita quoque bellicum, ceu cuivis licitum patefacere & commendare: cumprimis ut nunc sunt & tempora, & bella.

(1) *Mihi autem.*) Revocat orationem ad generaliora Officiorum præcepta.

(2) *Vt igitur.*) à Belli studio ad ingenii exercitia transit, sic ut hæc isti longè præferat. Bella enim, præcipuè si milites spectes, potissimùm corporis viribus peraguntur; imperatoribus verò & multo & magno consilio opus est; in quo sæpe togatorum prudentia adjuvantur, aut reguntur. Cum Guisiani bellum contra Hugonottos in Gallia molirentur, dissuadente id Hospitalio Cancellario, togatæ illius conditioni non convenire isti dixerunt de bello decernere: quibus ille respondit, arma quidem se tractare manibus non didicisse, sed ex libris de causis & rationibus belli gerendi & omittendi se satis edoctum esse.

(3) *Prima.*) Etsi juvenis bellico studio sibi Gloriam

*ſcitur à modeſtia, tum pietate in parenteis, tum in ſuos benevolentiâ.* (1) *Facillime autem & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros, & ſapienteis viros, bene conſulenteis Reipublicæ, contulerunt: quibuſcum ſi frequentes ſunt, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimileis, quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum. P. Rutilii adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ, & juris*

parare poſſit; quia tamen vel bellum eſt improbum, vel viribus cum corporis, tum animi, quibus hæc ætas ferè deſtituitur, geritur; ſunt etiam alia ſtudia & virtutes, quæ in illa commendantur, patentemque ad Gloriam viam habent, cumprimis Modeſtia σωφροσύνη, εὐταξία & εὐκαιρία, Pietas in Parentes, neceſſaria juſtitiæ pars, ut & benevolentia erga propinquos & amicos.

(1) *Facillime.*) Quemadmodum magnam virtutis opinionem de ſe concitant, qui eos ſectantur imitanturque, quorum prudentia & opera Reip. magnopere profuit; ita ſpes hinc concepta Gloriæ & Honoris primitias mox exhibet. Sic qui ſtipendia meruerit ſub celebri imperatore, & illum Martis pullum fore conjicimus. Si præclari Oratoris aut JCti ſcholam vel domum ſectatus fuerit, in his ſtudiis illum præſtiturum aliis non immeritò auguramur. Ipſum enim illud ſtudium ſectandi tales viros, indicat animum emergendi cupidum: & celebritas ac virtus eorum, quos ſecteris, confirmat opinionem de facultate conceptam, poſſe videlicet illos ſectatores ſive ex doctrina ſive exemplo ſuorum magiſtrorum illam præſtantiam conſequi: cui opinioni jam tum annuit fortunæ & Gloriæ favor. Atque hoc ipſum illuſtrat exemplis quorundam Romanorum.

*Nam*

Digitized by

*juris ſcientiæ , P. Mucii commendavit domus.* (1) *Nam L. quidem Craſſus , cum eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt , ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem ex illa accuſatione nobili, & glorioſa. Et, qua ætate qui exercentur, laude affici ſolent, ( ut de Demoſthene accepimus ) ea ætate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optime nec præmeditatum facere , quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.* (2) *Sed cum duplex ſit ratio orationis, quarum in altera ſit ſermo, in altera contentio: non eſt id dubium, quin contentio orationis plurimum poſſit, & majorem vim habeat ad gloriam: ea eſt enim quam eloquentiam dicimus. Sed tamen difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos*

Vid. pag. 218.

(1) *Nam L. quidem Craſſus.*) P. Rutilius opinionem innocentiæ ( quod abſtinentes habiturus eſſet manus ) & juris ſcientiæ ex conſuetudine P. Mucii Scævolæ obtinuit. At Craſſus juvenili ætate tantum in eloquentia profecit, ut non aliunde, ſed ſua ſibi induſtria magnam gloriam compararet; videlicet cum C. Carbonem , eloquentiſſimum hominem, magna cum admiratione & applauſu accuſaſſet. Atque æmulus hac in re fuit Demoſthenis, ſummi Oratoris, qui incredibilem eloquentiæ ſtudio gloriam conſecutus eſt.

(2) *Sed cum.*) Præcedentis exempli acceſſione docet, quantum Gloriæ quærendæ ſubſidium ſit Eloquentia. Dividit verò ſermonem in Familiarem, & Contentioſum, uti *lib.* 1. Hoc propriè utitur Eloquentia, iſto Comitas & Affabilitas in ὁμιλίᾳ. Hæ quidem multùm faciunt ad conciliandam gratiam, at plus longè Eloquentiæ

*mos hominum comitas, affabilitasque ſermonis.* (1) *Exſtant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum, trium prudentiſſimorum, (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militesque, blande appellando, ſermone delineant.* (2) *Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea ſæpe univerſam excitat gloriam. Magna eſt enim admiratio copioſe, ſapienterq; dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & ſapere plus quam cæteros, arbitrantur. Si verò ineſt in oratione mixta modeſtiæ gravitas, nil admirabilius fieri poteſt: eoque magis, ſi ea ſunt in ado-*

ad gloriam, ubi illa vim ſuam omnem laxaverit.

(1) *Exſtant.*) Quid poſſit Comitas illa, & ubi præcipuè locum inveniat, exemplis declarat; ea ſcilicet & horrida plebs, & durus miles deliniri poteſt. Eleganter quoque Poëtæ obſervatum eſt, quo pacto tumultuans ignobile vulgus ſedari ſoleat. Verſus ejus merentur hic legi:

*Tum pietate gravem ac meritis ſi fortè virum quem*
*Conſpexere, ſilent, arrectiſq; auribus adſtant:*
*Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

(2) *Quæ autem.*) Quanta eloquentiæ vis ſit, ad gloriam parandam apud multitudinem, explicat. Sic verò adoleſcenti maximè ad illam prodeſt, ſi ineſt in oratione mixta modeſtiæ gravitas. Modeſtia n. hanc ætatem præcipuè decet. Sed rarum hoc eſt mixturæ genus, uti ait Petronius,

Sed

*adoleſcente.* (1) *Sed cum ſint plura cauſſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant, multique in noſtra Republica adoleſcentes & apud judices, & apud ſenatum dicendo laudem aſſecuti ſint : maxima admiratio eſt in judiciis : quorum ratio duplex eſt. Nam ex accuſatione, & defenſione conſtat: quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata perſæpe eſt. Dixi paullo ante de Craſſo : idem fecit adoleſcens M. Antonius: etiam P. Sulpitii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cum ſeditioſum, & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec unquam, niſi aut Reipublicæ cauſſa, ut duo Luculli: aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis contra Albutium Iulius Cæſar. In accuſando etiam Manlio Aquilio L. Fufii cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpe certe.*

(1) *Sed cum ſint.*) Eloquentia in diverſis cauſarum generibus verſatur. Si enim dicimus in Senatu, Senatoric; ſi in foro, forenſis; ſi ad populum, Concio appellatur. Ex his maximam admirationem & gloriam parere Forenſem ait. Hæc verò conſiſtit vel in Accuſando, vel Defendendo. Utroque laudem paraveris, modò ne ſæpe accuſationem inſtituas. Nam apud Romanos Accuſationis munus quodammodo probro fuiſſe conſtat, *Sigon. lib. 2. de Judic. cap. 9.* Quandocunque igitur hoc onus in te ſuſceperis, vel patrocinii, vel Reip. præprimis cauſa id facias. Etſi quando ſæpe idem tractaveris negotium, ut id omne ad Rempub. referatur; aliàs ſanè

*certe. Sin erit, cui faciendum sit sæpius; Reipublicæ tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulciſci ſæpe, non eſt reprehendendum: modus tamen adſit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id enim tum periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famam, committere ut accuſator nominetur. Quod contigit M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui juris civilis inprimis peritus fuit.* (1) *Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum eſt, ne quem unquam innocentem in judicium capitis arceſſas. Id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt.*

*Nam*

pro gloria ingentem tibi invidiam conflabis. Modus quoque adeſſe debet, ne ſi ſæpe accuſes alios, & in diſcrimen capitis & fortunarum adducas, vel ut inhumanus, vel ut ſycophanta traducaris, multorumque odia & pericula incurras. Cicero quidem ſcribit, ſe per tres amplius dies Verrem accuſaſſe, quod ipſum verbo hic tangit: eundem verò Cornelium per quatriduum defendiſſe, tradit Aſcanius. De Accuſatione & Defenſione *vid. Sigon. d. lib. c. 17. & 18.*

(1) *Atque etiam.*) Cumprimis vitandum eſſe monet, ne eloquentia abutamur ad innocentes per calumniam opprimendos. Bene igitur ille Judex dicebat, præſtare, decem nocentes abſolvere, quàm unum innocentem condemnare: quam ſententiam etiam expendere & amplecti debent accuſatores. Hæc malitia ut à Judiciis Ro. abeſſet, variis præſidiis quæſitum fuit, juramento calumniæ, inſcriptione, SCto Turpiliano. *Dd. ad tit. Inſt. de pœn. temer. litig. tit. C. de jurejur. prox. calum. dando. l. 2. §. ult. & l. 3. §. 1. ff. de accuſ. l. ult. C. de injur. l. 3. C. qui accuſ. poſ.*

*l. pen.*

*Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, à natura ad salutem hominum, & ad conservationem datam, ad bonorum pestem, perniciemque, convertere?* (1) *Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni contrarium, nocentem ali-*

*l. pen. C. de accus.* De SCto Turpiliano exstant quoque peculiares *tit. ff. & C.* Apud Ammianum Marcellinum *lib.* 18. Delphidius orator: *ecquis nocens poterit esse usquam, si negare suffecerit?* Cui Julianus Imp. *Ecquis*, ait, *innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* In judiciis igitur bene constitutis debita severitate puniri debet advocatorum calumnia, reprimi immodestia, castigari linguæ petulantia.

(1) *Nec tamen.*) Proponitur hic ardua quæstio, An rectè quis possit patrocinari homini impio & nefario? Sanè quod adfert de consuetudine, nihil est. Quid enim si illa mala sit, & contra bonos mores? Nec facilè hoc defendat Humanitas; *bonis enim nocet, qui parcit malis.* Et quamvis nemo pœnis ac suppliciis hominum etiam pessimorum delectari debeat, non tamen sceleribus est connivendum, & intempestiva clementia adfectanda; illecebra quippe peccandi spes impunitatis est. Multitudo quod ita velit, non semper eapropter rectum est; nisi forsan multitudo tumultuetur, & seditionem spiret; tunc enim locum habet illud in Politicis toties observandum, *Ex malis minimum.* Cum verò Cicero hujus adsertionis temeritatem facile agnosceret, tali adminiculo illam fulcire studet, tantò confidentius facinorosi hominis causam agere & ornare posse causidicum seu oratorem, quod huic sæpe propositum sit τὸ πιθανὸν & verisimile: Judicem itaque debere tantò esse prudentiorem, & ipsum verum inde eruere. Longè verò aliud docet

Arist.

*aliquando, & nefarium, impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est, semper in caussis verum sequi: patroni, nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere: quod scribere, præsertim cum de Philosophia scriberem, non auderem: nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panæ-*

Aristoteles *Rhet.* 1. ubi dicit, Areopagitas nullos admittere voluisse in suum judiciũ Oratores, qui adfectus cierent, aut fucum incrustata oratione facerent. *Non enim,* inquit, *oportet Judicem pervertere ad iram excitando, vel invidiam, vel misericordiam: quia id simile est, ac si quis qua usurus est regula, eam reddat perversam.* Sed & ipse Cicero noster vim veritatis facilè pervidebat: ideoque dicit, se Panætii autoritatei nductum hoc ita scripsisse, quod alias defendendum non suscepisset, præsertim φιλοσοφικῶς de talibus disputans; Nam in foro Panætii dogma sæpe secutus est: & in Cluentianæ, se fucum fecisse Judicibus, jactitat. Hinc cum aliquando Numatio patrocinatus esset, atque absolutus ille necessarium Ciceronis postularet Sabinum, eò prorupisse Ciceronem ira ferunt, ut jactaverit, *Quid? tu ex illo judicio tua, Numati, evasisti innocentia? annon mea opera, qui multum caliginis lumini offudi tribunalis? Plutar. in vita Cicer. p. m.* 334. Cæterum nondum dubitatio hæc sublata penitus est, adeoque quæri possit, an nunquam planè maleficus defendi possit? Ut ergo & nos hac de re nonnihil Philosophemur, Primò hic considerandus esse videtur ipse maleficus, deinde ejus accusator, tertiò Judex, & denique Judicii ordo. Si enim ordo Judiciorum is sit, ut jurati adsint advocati, & in criminalibus fortè causis reo semper adjungi solent aliquis Patronus, nullum dubium est, quin licitè

*Panætio.* (1) *Maximè autem & gloria paritur, & gratia defenſionibus: eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, urgeriq; videatur. Vt nos & ſæpe*

licitè pro eo merita cauſæ expendat & proferat, non tamē eo fine, ut omni modo & ſtudio cauſam velit implicare & jus pervertere, ſed ſecundùm judicii ordinem dextrè ſolideque eam exhibere, ut non minus reus intelligat delicti ſui qualitatem & gravitatem, quàm Judex, ſententiam de eo laturus. Si talis ordo abſit, Judex ex officio hoc demandare alicui poteſt, eodem obſervando fine, ut Juſtitiæ liquidius ſatisfiat. Si accuſator ſit verſutus, aut potens, reo licet ſic ſatis perito item adjungendus fuerit Patronus: quod ſi reus ſit aſtutus & juriſperitus, accuſator verò manifeſto jure nitatur, & factum ſeu delictum ritè probet, licet ſimplex ſit, huic tum magis, quàm iſti cauſidico opus fuerit. Magnum cumprimis habet favorem defenſio, & innocentiæ præſumptio. Quisque enim præſumitur bonus, donec probetur contrarium; tritum eſt verbum. Quales verò hæ debeant eſſe probationes, prudenter hoc modo conſtitutum eſt *l. ult. C. de probat. Sciant cuncti accuſatores, eam ſe rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.*

(1) *Maximè.*) Et ex accuſationibus, & ex defenſionibus gloriam per Eloquentiam parari poſſe, ſuprà dixit. Jam verò planius hoc determinat, dicitq;, defenſionibus majorem gloriam acquiri: quod vel ex iis incommodis, quæ accuſationes comitari ſolent, (de quibus paulò antè) liquet. Cumprimis gloria ex defenſione illorum clientum exiſtit, qui potentis alicujus civis aut actoris

opibus

*ſæpe alias, & adoleſcentes contra L. Sullæ dominantis opes pro Sext. Roſcio Amerino fecimus: quæ, ut ſcis, extat oratio.*

*Sed expoſitis adoleſcentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiſcendam,* (1) *deinceps de beneficentia, ac liberalitate dicendum eſt.* (2) *Cujus eſt ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indi-*

opibus eſt circumventus; difficile enim eſt vel eloquentiæ, vel amicitiæ, vel potentiæ, vel pecuniæ & largitionis telis ſe obſicere, eaque reprimere. Hic verò cumprimis notatu dignum eſt, à patronis accuſationes & defenſiones ſecundùm Ciceronem ſuſcipiendas eſſe, ſuam rem quod attinet, Gloriæ adipiſcendæ gratia. Unde apparet, quàm longè à vera Gloria abſint, qui operam forenſem quæſtui habent, miſeros clientes ita emungunt, ut ipſa judicia deteſtentur ad invitas redacti. Proſpectum quoque huic grandi malo fuit cum in Iudiciis Ro.tum aliis, variæque paſſim publicari ſolent Taxæ Cancellariæ. Sed quid proficiunt vanæ leges ſine moribus? Dum enim hæc improba furta non coërcentur, non ſolùm Judiciorum ſed & Legislatoris autoritas ludibrio habetur, ipſaq; juſtitia, res ſaluberrima, acerbiſſimum abſynthii ſaporem, ut Propheta loquitur, oppreſſis & attritis in judicio hominibus ingeneret.

(1) *Deinceps.*) De beneficentia ac Liberalitate egit *lib.* 1. quatenus eſt pars aut fons aliquis Honeſti. Hic verò illius quædam præcepta tradit, quatenus ſunt media, ad benevolentiam hominum & gloriam nobis conciliandam utilia.

(2) *Cujus eſt.*) Beneficentiæ duo conſtituit inſtrumenta, Operam & Pecuniam. Ita eſt vel animi, vel corporis

*indigentibus, aut pecunia. Facilior est hæc posterior, locupleti præsertim: sed illa lautior ac splendidior, & viro forti, claroque dignior. Quanquam enim in utroq; inest gratificandi liberalis voluntas: tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur,* (1) *largitioque, quæ fit ex re familiari, fontem*

poris. Hæc tam late patet, quàm τὰ χρήματα, externum objectum Liberalitatis à Philosopho constituta. χρήματα λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται: inquit *l.4. Nicom. c.1.§.4.* Add. *l.178. & 222. l. ff. de V.S.* Præfert autem Liberalitatem, quæ fit opera, quàm quæ fit pecunia, quod altera ex arca, altera ex virtute depromatur. Non rectè. *Quarum enim rerum usus aliquis est, iis & rectè & perperam uti licet. Optimè unaquaque re utitur is, qui propria ejus rei virtute præditus est. Ex quo intelligitur, optimè & divitiis usurum esse eum, qui virtutem eam, quæ ad pecuniarum usum pertinet, consecutus erit. 4. Nic. 1.§.12.13.14.* Sive igitur quis magnas sive exiguas opes possideat, temerè quidem & inconsultò aut immodicè largiri potest, Liberalis verò ex tali datione non dicetur, sed tum demum, si rectè det: hoc autem fieri sine virtute Liberalitatis & prudenti προαιρέσει nequit. *Liberalis*, inquit §.27. d.c. *ut honesti causa & rectè dabit &c.§. 37. Non in multitudine eorum quæ dantur, sed in habitu ejus, qui dat, sita est vis hujus virtutis.* Hoc tamen rectè à Cicerone est dictum, benefacere pecuniâ facilius esse diviti, quàm operâ. *Videntur liberaliores esse, qui suas facultates non quæsiverunt ipsi, sed ab aliis partas acceperunt.§.39. d.c.*

(1) *Largitioque.*) Sequitur alia ratio, qua quis persuaderi possit, liberalitatem quæ fit pecunia inferiorem esse

*fontem ipſum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plureis uſus ſit, eo minus in multos uti poſſis.* (1) *At, qui opera, id eſt virtute, & induſtria benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt.*

*Dein-*

eſſe liberalitate per operã exhibita, quod continuis largitionibus opes abſumantur, atq; ita multis benefaciendo ipſam benefaciendo facultatẽ perimas. Ipſam quæſtionẽ non anxiè diſputabimus, at hæc, uti ſuperior, ratio minimè idipſum evincit. Quisque n. Liberalis dabit pro facultatibus, aliàs nomen ſuum tueri non poterit. Deinde ut diu & multis dare poſſit, etiam ſua induſtria licitis modis opes acquiret, conſervabit augebitque. Hinc Ariſtoteles non ſolùm ἐν τῇ δόσει, ſed etiam λήψει Liberalitatem conſtituit; non ſanè quod propriè accipiendo quis ſit Liberalis, ſed ex eventu, quatenus accipit unde & quomodo debet, ea animi deſtinatione, ut aliis gratificari ſuo tempore ex accepto queat. Reprehendit hunc Ciceronis locum Lactantius *lib. 6. c. 12.*

(1) *At qui npera.*) Qui ingenio, honoribus & autoritate valent, animi opibus plurimis poſſunt prodeſſe, & ſuis meritis ſibi devincire, ut non ſolùm ſibi, ſed aliis, quibus velint, ad benefaciendum eos obligent; Amici n. pars noſtri ſunt. Quod verò putat diutiùs quempiam poſſe benefacere ingenii quàm fortunæ copiis, dubium eſſe poteſt. Sicuti n. hæ egeſtate, furtis, rapinis atteri poſſunt aut largitionibus exhauriri; ita per morbos, per animi curas, adverſitatem fortunæ & temporum, ac turbulenta negotia, multis modis ſive animi ſive corporis functiones impediri, ac ſæpe exſtingui poſſunt: ut ſæpe has opes amiſſas difficiliùs recuperes, quàm iſtas.

*Deinde*

Digitized by Google

(1) *Deinde, consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.* (2) *Præclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur.* Quæ te, malum, *inquit*, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideleis putares fore, quos pecunia corrupisses? an tu id agis, ut Macedones. non te regem suũ, sed ministrum & præbitorem putent? *Bene*

(1) *Deinde consuetudine.*) Non minorem facultatem ac facilitatem Liberalitati sive pecuniâ sive operâ benefaciendi sufficiet Consuetudo seu Adsuefactio; hæc enim præcipua Virtutum moralium causa est. 2. *Nic.* 1. Sed Cicero ita sine dubio ex præcedentibus colligit, ex diuturniori per operas benefaciendi consuetudine oriri firmiorem magisque radicatam προαίρεσιν ac voluptatem his gratificandi. Cæterum illam ὑπόθεσιν jam dubiam fecimus, an videlicet quis diutius vel his vel istis opibus sit suffultus; etiamsi enim Fortuna pro sua levitate modò addit huic, demit illi; ita sanè operæ nostræ multis etiam casibus sunt obnoxiæ; Interim sive operæ sive pecuniæ nos deficiant, habitus tamen & προαίρεσις nihilominus superesse poterit benefaciendi.

(2) *Præclarè.*) Idem comprobare vult exemplo. Ubi primò hoc monebimus, quod ad ipsam Quæstionem accommodari possit, nullum esse dubium, quin benefaciendi ratio per operam præstantior sit illa, quæ fit per pecuniam. Utraque ut rectè fiat, necessum est, ut suâ quæque virtute sit perfecta & administrata: ipsa verò hæc benefaciendi instrumenta alia aliis præstant; fortunæ enim bona cedunt bonis corporis, hæc animi. Et

*Bene miniſtrum & præbitorem; quia ſordidum regi: melius etiam, quod largitionem corruptelam eſſe dixit. Fit enim deterior qui accipit, atque ad idem ſemper exſpectandum paratior.* (1) *Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus.*

*Non-*

prout animi bona fuerint, quæ alterius commodo impendere velis, ita etiam nonnunquam excellentiori virtute neceſſe eſt uſum illorum dirigi v.g. Sapientia, aliave tali. Exemplum quod jam attinet, jure merito Alexander à patre fuit reprehenſus, quod ſubditorum aut militum animos largitionibus ſibi conciliare ſtuderet; iſtud enim hominum genus ſemper deterius fit, dum accipiendo ad idem ſemper exſpectandum paratum & intentum habet animum. Principibus ſanè non ſolùm hæc ratio non utilis, ſed inutilis eſt, ſiquidem illarum largitionum ii ſint futuri effectus, ut illæ hinc ſint corruptelæ appellandæ. Optima hodie Principibus conciliandi ſubditorum benevolentiam ratio fuerit, ſi non nimiis exactionibus vexentur & exhauriantur. Sed longè gravior caſtigandi filium Philippo cauſa etiam hinc fuiſſet, cur idipſum ſe vivo faceret, fortè quod animos civium ad ſe traducere ſtuderet, nimis imperii avidus, quod exſpectare fas ſit, malis artibus ad ſe derivare aut præripere nefas.

(1) *Hoc ille.*) Minimè verò hoc præceptum putemus omnibus; ſed tum demum, ubi par omnino ratio fuerit, aliàs nemini perſuaderetur beneficentia pecuniaria. Hinc mox ſubjungit quandam ἐπανόρθωσιν, docetque, & illam eſſe neceſſariam liberalitatem, cujus modū

ſecun-

*Nonnunquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est: & sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum. Sed diligenter, atq; moderate.* (1) *Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare; ut id diutius facere non possis?* (2) *Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cæperint, alienis bonis*

secundum varias circumstantias præscribit, in quibus consistit Mediocritas illa rationis Aristotelica. Add. *l.* 4. *Nic. c.* 1. §. 27. *Idoneis hominibus indigentibus.* Horum verborum est quædam mutua ἐπεξήγησις: ut adeò notandus sit Lactantius, ubi eo nomine notare voluit Ciceronem d. l.

(1) *Multi enim.*) Hoc prodigorum est. Vid. 4. *Nic.* 1. §. 59. *seqq.*

(2) *Atque etiam.*) Aristotel. d. c. §. 72. seqq. Prodigi sunt alii solùm ratione δόσεως, quod sine modo & ratione erogent: alii etiam sunt λαπτικοὶ, & ratione λήψεως peccant. *Plerique*, inquit, *ex prodigis, & unde non debent, rapiunt & capiunt, & ea de causa sunt avari & injusti. Efficiuntur autem ad rapiendum propensi eo, quod impensas facere velint, neque facere tamen has in promptu ipsis sit. Nam citò deficiunt eos rei familiaris copiæ. Aliunde igitur, quàm de suo, largiri aliis & suppeditare coguntur. Simul & ob id rapaces evadunt, quia nullam honesti rationem habent. Largiendi enim cupiditate flagrantes, quomodo aut unde largiantur susque deque habent.* Exempla sunt in promptu. Videantur causæ conjurationis Catilinariæ apud Sallustium.

*bonis manus afferre coguntur.* (1) *Ita, cum, benevolentiæ comparandæ cauſſa, benefici eſſe velint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt.* (2) *Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, isque referatur ad facultates.* (3) *Omnino meminiſſe debemus id, quod à noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum, jamq; in proverbii conſuetudinem venit,* (4) *LARGITIONEM FVNDVM NON HA-*

(1) *Ita cum.*) Recta opum largitio rectam præſupponit acceptionem, vitioſa vitioſam: ut qui vitiosè acceperit, haut facilè honeſtè dare poſſit. 4. *Nic.* 1. §. 51. *ſeqq.*

(2) *Quamobrem.*) Egregium præceptum, modum liberalitatem exercendi concernens. Add. Ariſt. 4. *Nicom.* 1. §. 37.

(3) *Omnino.*) Quomodo contra hoc præceptum peccari conſueverit, adeoque inconſultis largitionibus nihil proficiatur, exponit. Frequentiſſimis enim maximisque largitionibus ſuis id effecerant Romani, ut patrimoniis quidem ſuis aliorum aviditatem paſcerent, nunquam ſatiarent, nec ſtabilem ſibi amicitiam pararent. Ratio eſt in mundo, quia fundamentum, cui hæc benevolentia aut amicitia innititur, nimis lubricum eſt. Ubi enim dare deſieris, amare deſinent. Qui igitur hac ratione benevolentiam ſibi conciliare ſtudent, cribro aquam hauriunt, aut pertuſum dolium implere ſatagunt. Hinc Comicus, *Beneficium beneficio tegendum eſt, ne perpluat.*

(4) *Largitionem fundum.*) Sera parſimonia in fundo eſt, inquit Seneca.

*Etenim*

*HABERE.* (1) *Etenim quis potest esse modus, cum & iidem, qui consueverunt, & illud idem alii desiderent?* (2) *Omnino duo sunt genera largorum: quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & visceration ibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam sint relicturi omnino: liberales autem, qui suis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt; aut* (3) *æs alienum suscipiunt amicorum caussa; aut in* (4) *filiarum collocatione adjuvant; aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda.* (5) *Itaq; miror, quid in mentem venerit Theo-*

(1) *Etenim quis.*) Textus hic procul dubio est corruptus: ut adeò nolimus vel interpretum explicationi cuipiam subscribere, vel refragari, aut novam commiscisci.

(2) *Omnino.*) Qui largitiones faciunt ita hic dividuntur, ut alii sint Prodigi, alii Liberales. Istos ex actionibus depingit, uti & hos: ex quibus ita colligas, Prodigos illos dici, qui intempestivos vel immodicos sumptus in res non necessarias, hos, qui in necessarias & honestas moderatè faciunt.

(3) *Æs alienum suscipiunt.*) *Add. l. 5. §. 10. ff. de jur. dotium.*

(4) *Filiarum collocatione.*) Nam Romani Reip. interesse credebant, mulieres dotes habere, propter quas nubere possunt. *l. 2. ff. de jur. dot.*

(5) *Itaque miror.*) His ita positis, graviter reprehendit Theophrastum, qui Magnificentiam ejusq; munera fructum divitiarum dixit. Non satis accuratè videtur

*Theophraſto in eo libro, quem de divitiis ſcripſit: in quo multa præclare, illud abſurde. Eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: taliumque ſumptuum facultatem, fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus exempla pauca poſui, multo & major videtur, & certior.* (1) *Quanto Ariſtoteles gravius, & verius nos reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deleniendam? At ii, qui ab hoſtibus obſidentur, ſi emere aquæ ſextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis videri, omnesque mirari: ſed, cum attenderimus, veniam*

Cicero Magnificentiæ naturam perſpexiſſe, & quid illa à Liberalitate differat aut non differat. Omnis enim Magnificus eſt Liberalis, licet hæc propoſitio reciprocè vera non ſit, adeoque Magnificus nunquam ſuis opibus rebus neceſſariis deerit: interim quatenus revera eſt Magnificus, oportet ipſum excellentius, cum decore tamen, δαπανᾶν, & in publica vel convivia, ſyſſitia, ejusque res alias ſuas opes impendere. Cumque illa συσσίτια mirificè etiam commendet Ariſtoteles in Politicis paſſim, eaque populari ſtatui valdè ſint amica, & in Democratiis Græciæ fuerint uſitatiſſima, videtur etiam huc reſpexiſſe Theophraſtus diſcipulus, & illa συσσίτια eorumque apparatum non adeò abſurdè commendaſſe. Add. l. 4. *Nicom. c. 2.*

(1) *Quanto Ariſtoteles.*) Magiſtri autoritatem opponit diſcipulo, quamvis ipſe locus Philoſophi non ſit manifeſtus. Hujus ſententiam dicit eſſe, ſolere homines admirari propter rariſſima exempla, ſiquis ſextarium aquæ

*veniam neceſſitati dare: in his immanibus jactu-ris, infinitisque ſumptibus, nihil nos magnopere mirari; cum præſertim neque neceſſitati ſubve-niatur,* (1) *nec dignitas augeatur,* (2) *ipſaque il-la delinitio multitudinis ad breve tempus, exi-guumque, duratura ſit, eaque à leviſſimo quoque animo: in quo tamen ipſo una cum ſatietate me-moria*

aquæ mina emerit, tanquam rem inuſitatam, ubi autem neceſſitate ſitis eum compulſum audiverint, veniam illi facilè dare. Eam verò eſſe perverſitatem, ut maximos ſumptus, nulla neceſſitate expreſſos, profundentes neq; mirentur neque reprehendant, quod ſcilicet frequens hoc ſit, & tamen non quotidianum.

(1) *Nec dignitas.*) Si ex magnis ſumptibus nullum decus conſequemur, minus rectè illa δαπάνη ſe habebit; modus enim & τὸ δέον ſi adhibeatur, viri Magnifici dignitas utique augebitur; aliàs foret potius βαναυσία vel ἀπειροκαλία.

(2) *Ipſaque illa.*) Cum plebeji animi tamdiu beneficii memoriam retineant, quamdiu illius voluptate fruentur, putat magis in neceſſarias, quam ſplendidas aut jucundas res ſumptus eſſe faciendos. Sunt hæc quidem veriſſima, interim tamen ſecundum Peripateticos, licet quoque homini in his eſſe Magnifico, ubi neceſſariis præprimis jam conſuluit. Nec judicium plebejorum morari debemus, ſed hominum proborum, rectèq; ſentientium; quinimo, licet nemo agnoſcere velit beneficia publico bono conſecrata, cumprimis ſi in res duraturas collata fuerint, ſibi virtus exit pulcherrima merces. Videtur verò Cicero omnino loqui de iis, qui ſtolidè Magnifici ſunt aut haberi volunt, ſuo honori & ambitioni

*moria quoque moriatur voluptatis.* (1) *Bene etiam colligitur, hæc pueris, & mulierculis, & servis, & servorum simillimis liberis esse grata: gravi verò homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderandi, probari posse nullo modo. Quanquam intelligo, in nostra civitate inveteraſſe jam à bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque & P. Crassus cum cognomine Dives, tum copiis, functus est ædilitio maxime munere. Et paulo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio magnificentissima ædilitate functus est: deinde C. Claudius, Ap. filius: multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omneis autem P. Lentulus, me consule, vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificen-*

velificantes, necessitati vix obulum impendentes: qui sanè plurimorum Romæ mores erant.

(1) *Bene etiam.*) De spectaculis, viscerationibus, venationibus, muneribusque ædilitiis Romanorum verissimè hæc dicta sunt; nisi quatenus hæc fortè in Democratiis, quæ forma Reipub. etiam tunc apud Romanos in usu erat, publicæ utilitati & tranquillitati servire possint; etsi non pauci ædiles his muneribus plebem in partium studia pellicere studuerunt. Adeoque suo tempore & loco etiam aliquando saltem in his Magnificentia, ubi τὸ δέον adest, sine quo nec nomen tueri poterit, etiam optimis quibusque planè probari poterit. Hinc corrigit mox quodammodo idipsum, dicitque à præstantissimis Romæ viris ædilitia munera postulata fuisse,

vel

*ficentiſſima verò noſtri Pompeii munera ſecundo conſulatu:* (1) *in quibus omnibus, quid mihi placeat, vides. Vitanda tamen eſt ſuſpicio avaritiæ. Nam Mamerco, homini ditiſſimo, prætermiſſio ædilitatis conſulatus repulſam attulit. Quare &, ſi poſtulatur à populo, bonis viris, ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus, faciendum eſt, modo pro facultatibus; nos ipſi ut fecimus:* (2) *&, ſi quando aliaque res major aut utilior populari largitione acquiritur; ut Oreſti nuper prandia in ſemitis, decimæ nomine, magno honori fuerunt. Ne M. quidem Seio vitio datum eſt, quod in caritate annonæ aſſe modium populo dedit. Magna*

vel ex conſuetudine, per pro tempore neceſſaria, vel ut non inhoneſta oblectamenta, quibus populus delinitus cum patriciis, & cives cum civibus majori benevolentia ſociarentur.

(1) *In quibus omnibus.*) Deteſtatur grandes illos ſumptus, quibus non neceſſariis ſed ſuperfluis rebus litatur, idque ſæpe ſine ullo modo; nonnunquam tu vix aliter poteris, quàm ut plebis genio aliquid indulgeas, ne avaritiæ crimine traducaris, & in honorum petitione turpem repulſam, & quidem ex præſumpta avaritiæ opinione, feras. Atque his cauſis ſemet ad idem faciendum impulſum fuiſſe fatetur, ut tamen facultatum rationem habuerit.

(2) *Et ſi quando.*) Quemadmodum honeſta quæ ſunt, omni loco & tempore decent, ita inhoneſta ſua natura nequaquam. Quod ſi quæ actiones ſint non quidem in ſe honeſtæ, nec tamen honeſtati ſimpliciter adverſantes, licitæ illæ ſunt;



Digitized by Google

(1) *Magna enim ſe, & inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima, liberavit.* (2) *Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis Reipublicæ cauſſa, quæ ſalute noſtra continuebatur, omneis P. Clodii conatus, furoresque compreſſit.* (3) *Cauſſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autem*

ſit ut quandoque præterea ſint commendabiles, ſi ſingularis utilitatis aut boni cauſa prudenter fuerint ſuſcepta.

(1) *Magna enim.*) M. Sejus prudenter pecuniam in loco neglexit, & inveterata invidia ſe expedivit, aſſe vendens modium, jactura non turpi, quod ædilis erat, quorum alia munera ferè ſumptuoſa erant, hisque incumbebat urbi de frugibus proſpicere; ſed nec maxima illa jactura fuit, quod multò pretioſiores donationes aut munera alii Ædiles edidiſſent.

(2) *Sed honori.*) Miloni bene de ſe merito aliquam etiam laudem tribuit; quamvis ille hoc factum exilio Maſſilienſi luit, & ingens æs alienum eò conflavit. Notetur verò quantum ſibi tribuat, dum Reip. ſalutem ſua ſalute contineri dicit. Nam *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

(3) *Cauſa.*) Largiri rectè poterimus, ſi vel neceſſitate ac indigentia alterius, vel utilitate propria aut aliena impellamur. Qua poſtrema ratione multa ex ſuperioribus excuſationem & interpretationem accipiunt, modò nihil fiat inhoneſtè, quandoquidem nihil cenſeri debet utile, quod honeſtati repugnet. Utra verò ex cauſa largitio fiat, mediocritatis regula ea debet definiri, ſecundum omnes circumſtantias, objecti, finis, & cumprimis

facul-

*autem ipſis mediocritatis regula optima eſt.* (1) *L. quidem Philippus, Q. filius, magno vir ingenio inprimisq; clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima. Dicebat idem Cotta Curio. Nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragiis adepti ſumus noſtro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, ſane exiguus ſumptus ædilitatis fuit.* (2) *Atque etiam illæ impenſæ meliores ſunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaq; quæ ad uſum Reipublicæ pertinent. Quanquam enim, quod præſens tanquam in manu datur, jucundius eſt: tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo*

facultatum ratione habita: poſtremum verò hoc videtur præcipuè reſpicere: ceu etiam ex ſequentibus apparere poterit.

(1) *L. quidem Philippus.*) Ne quis pluſculum conſuetudini indulgeat, aut exiſtimet, ac ſi alia ratione non liceat emergere, contraria ſuperioribus exempla reſtrictæ Liberalitatis vel Magnificentiæ adducit.

(2) *Atque etiam.*) Laudat eadem in Magnifico Ariſtot. 4. *Nicom.* 2. (Cicero enim Liberalitatem cum Magnificentia, uti libro ſuperiori, miſcet) §. 28. *Illud* Magnifici *opus demum commendationem habet maximam, quod magnitudine præſtat, & pulchritudine antecellit. Talis enim operis ſpectatio admiratione homines adficit. Quod autem magnificum eſt, id admirabile eſt.* add. §§. ſeqq. ubi narrantur Magnifici viri impendia. §. 41. *In*

*ea*

*hendo* (1) *propter Pompeium: ſed doctiſſimi non probant, ut & hic ipſe Panætius, quem multum in his libris* (2) *ſecutus ſum, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ, vituperabat, quod tantam pecuniam in præclara illa Propylæa conjecerat. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos de republica ſcripſi, diligenter eſt diſputatum.* (3) *Tota igitur ratio talium largitionum genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria, & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.*

(4) *In illo autem altero genere largiendi, quod à libe-*

*ea potius pecuniam impendet, quæ diuturna ſunt futura; ſunt enim hæc pulcherrima.*

(1) *Propter Pompeium.*) Hic enim nulla non ex re gloriam pompamque aucupatus eſt, ut, teſte Plutarcho *in Vita*, nemo magis gloriam quam ipſe expetiverit, nemo res cæteras magis contempſerit.

(2) *Secutus ſum.*) Hæc eſt illa libertas, de qua initio hujus Operis, quam ſibi reſervavit, ut Panætii decretis non tanquam interpres ſerviat ac inhæreat, ſed liberè hæc quidem ſequatur, illa repudiet.

(3) *Tota igitur.*) In univerſum igitur pronuntiare poſſis, Omnem ſumptuoſam largitionem, ceu nimiam & enormem, eſſe vitioſam; interim pro ratione temporis Reipublicæ aliarumque circumſtantiarum non eſſe talem, modò in his adhibeatur moderatio, quam definiat facultatum ratio.

(4) *In illo a. altero.*) Quo Largorum genera fecit,

quorum

*à liberalitate proficiſcitur , non uno modo in diſparibus cauſſis affecti eſſe debemus. Alia cauſſa eſt ejus, qui calamitate premitur, & ejus, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. Propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos: niſi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui ſe adjuvari volent, non ut ne affligantur , ſed ut ad altiorem gradum aſcendant , reſtricti omnino nullo modo eſſe debemus: ſed in deligendis idoneis judicium, & diligentiam adhibere. Nam præclare Ennius.*

Benefacta male locata; malefacta arbitror.

*Quod* quorum alii ſint Prodigi, alii Liberales. Prodigos appellat, qui magnos ſumptus faciunt, ſive id rectè fiat , ſive non : quæ eſt improbanda confuſio. Vitioſum enim nomen propter actionem bonam aut ſaltem licitam nunquam bene cuipiam tribuitur. His ſubjungit præcepta officiorum Liberalitatis, debere quidem nos eſſe propenſos ad dandum juvandumque, ſed non uno modo. Illam modi diverſitatem aliquot ſingularibus explicat. v.g. propenſiores eſſe debemus erigendi adflictos, quam ambitioſos, majora bona adfectantes , nulla gravi ſorte preſſos. Non tamen inquit omnino deeſſe debemus altiora meditantibus, ſed judicium adhibere, an digni ſint, qui juventur , nec ne. Fit enim non rarò , ut , qui liberaliſſimè à nobis fuerint adjuti , & evecti , opibus ac potentia vel contra noſmetipſos , vel contra Rempubl. improbè abutantur : ut adeò ſollicitè ſint exploranda ingenia , ne inſtrumenta malitiæ exercendæ præbeantur iis , quæ potius omni ſtudio eripienda aut ſubtrahenda fuerant.

Ariſt.

(1) *Quod autem tributum est bono viro, & grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex cæteris. Temeritate enim remota, gratissima est liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod* (2) *summi cujusq; bonitas commune perfugium est*

Arist. 9. *Nic.* 2. §. 12. hosce variantes modos ad generalem aliquam regulam revocat, eos scilicet esse maximè dignos nostra amicicitia & ope, ubi major vel honestas vel necessitas nostra officia provocent.

(1) *Quod autem.*) Est hæc quædam cohortatio ad Liberalitatem. Bonis enim quidquid tribuerimus, ejus uberrimus fructus ad nos redundabit. Idem enim & bonus est, & gratus. *καλὸς θησαυρὸς παρ' ἀνδρὶ σπουδαίῳ χάρις ὀφειλομένη*, inquit Isocrates. Nam non solùm fructum liberalitatis ab ipso bono viro, gratum animum qua potest ratione testificante, percipimus, sed etiam ex aliorum laude & approbatione. Modo inquit temeritas sit remota h.e. modo ut certo judicio ac delectu des, non temerè, sed *προαιρέτως* & prudenter.

(2) *Summi cujusq;.*) Hoc cumprimis illis dictum est, qui illustri lautaq; fortuna utuntur: hos enim quamplurimis prodesse decet, & tum excellens hoc elogium eos consequetur, quod summi cujusque bonitas commune perfugium sit omnium. *Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis. Ovid.* Præcipuam verò laudem adepti hac bonitate sunt ii Principes, qui Musas exules ac profligatas, Constantinopoli capta, benignè receperunt, aliove tempore ac necessitate viros doctos foverunt: quos inter immortalem gloriam consecuti sunt in Ro. Rep. Mæcenas, in Gallia Nicolaus Claudius Fabricius Peirescius: cujus vita à P. Gassendo descripta est lectu

*est omnium.* (1) *Danda igitur opera est, ut hos beneficiis quamplurimis afficiamus, quorum liberis, posterisque prodatur memoria, ut his ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem beneficii oderunt:* (2) *Eamque injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant.* (3) *Atque hæc benignitas etiam Reipublicæ utilis est, rēdimi è ser-*

ctu dignissima: cui addi poterit Bœclerus in Grotii Prolegomena Operis de J.B.P.

(1) *Danda igitur.*) Plura liberalitatis præcepta inculcat, quomodo ad utilitatem referri possint. Itaque iis præ aliis benefaciendum esse monet, quorum etiam posteri propter memoriam aut fructum beneficii nobis maneant devincti, nec enim huic nexui se subducere possunt, nisi ἀχαριστίας nota velint infamari.

(2) *Eamq; injuriam.*) Quantum crimen sit, Ingratum dici, nonnullis rationibus exponit. Primò deterrentur homines per ἀχαριστίαν, à liberalitate: deinde non solùm hoc vitio, qui dedit beneficium, læditur, sed quisque ad se quoque illam injuriam trahit, qua effectum est, ut manum deinceps erga alios quoque clausam habeant opulentiores: unde denique tanquam communis tenuiorum hostis traducitur. Nam, ut P. Syrus Mimus ait, *Ingratus unus miseris omnibus nocet.*

(3) *Atque hæc.*) Suppeditat alias rationes, quomodo beneficentia in privatos collata sæpe utilis etiam possit esse Reip. Et verò illæ multò sunt præstantiores, quàm quibus privatum emolumentum quæritur, aut quando unicè privato benefit. Hujusmodi beneficia sæpe à Senatoribus & Patriciis esse collata, ex Crassi oratione

probat.

*è ſervitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo ſolitũ fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi*

probat. Malo enim hic cum Franc. Maturantio intelligere ordinem Senatorium, quàm collegium agurum, ceu hoc accipit P. Marſus. Hinc cum Jure Ro. ſedulò bonorum eccleſiaſticorum alienatio eſſet prohibita, excepta tamen fuit cauſa captivitatis & famis. *l.* 21. *C. de SS. Eccl.* quia non ſit abſurdum, animos hominum quibuſcunque vaſis & veſtimentis præferri; juxta illud D. Ambroſii: *Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut erogat, ac ſubveniat neceſſitatibus. c. aurum.* 14. *quæſt.* 2. Socrates *hiſtor. eccleſ. l.* 7. *cap.* 21. memorat, Acacium Amidenum Epiſcopum ob hanc cauſam conflaſſe vaſa omnia aurea & argentea, dixiſſeque clericis ſuis, ὁ θεὸς ἡμῶν οὔτε δίσκων οὔτε ποτηρίων χρήζει. οὔτε γὰρ ἐσθίει, οὐδὲ πίνει, ἐπεὶ μὴ προσδεής ἐστιν, *Deus noſter neque patinis, neque poculis utetur. Nec enim edit, nec bibit, quandoquidem nullius rei indigus eſt.* Narrat quoque aliud exemplum de vaſis Eccleſiæ à Cyrillo Hieroſolymorum epiſcopo venditis Sozomenus 5. *Tripart.* 37. Tradit quoque Victor *lib.* 1. *de perſecut. Vandal.* Carthaginenſem Epiſcopum, ut captivos à Vandalis & Mauris liberaret, vaſa aurea & argentea vendidiſſe. Plura de hac alienandi cauſa legi poterunt apud Covarruviam *lib.* 2. *var. reſol. cap.* 16. *n.* 7. *ſeqq.* & Molinam *tr.* 2. *diſp.* 340. *num.* 22. Sic cum Jure Ro. conſtitutum eſſet, ut, ſi donatio legitimam quantitatem 500. ſolidorum exceſſiſſet, illa abſque inſinuatione facta non eſſet valida, cauſa captivorum item fuit excepta, ut quantamcunque pecuniam ad liberandos captivos donare liceat, etiamſi inſinuatio non fuerit adhibita, ſic ut donatori ne quidem eam donationem revocare fas ſit. *l.* 36. *C. de donat.* & ibi *Perez n.* 35.

Hanc

*Crassi scriptum copiose videmus.* (1) *Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum antepono. Hæc est gravium hominum, atque magnorum: illa quasi assentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium.* (2) *Convenit autem tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum:* (3) *in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, in vicinitatibus & confiniis, æquum,*

(1) *Hanc ergo.*) Quantum publica salus & utilitas præstat privatæ, tantum benignitas ea, quæ & privatorum & Reip. necessitati ac temporibus consulitur, est præstantior ea liberalitate, quæ quidem confertur in publicum, sed non ob finem vel necessarium, vel bonum: tales verò erant ferè largitiones munerum, quibus Ædiles aliive nonnisi populi favorem captabant.

(2) *Conveniat.*) Quemadmodum τὸ δέον in dando observandum, ita quoque habet suum δέον quod observet, qui beneficio nostro indiget, ne is nimis sit molestus & importunus. Alii hoc ita intelligunt, Liberales nos esse debere cum voluptate & facilitate, nec referendæ gratiæ nos rigidos exactores esse debere. Add. 4. *Nic.* 1. *com.* 1.

(2) *In omni.*) Hoc præceptum probè usurpatum mirificè amicitiam utilem, quò omnes Contractus pertinent, confirmabit, & pacem ac concordiam civium tuebitur, qui omnino necessum habent, per contractus indigentiæ consulere: quæ sanè etiam ea ratione flagellabitur, si crebrò de commerciis litigandum fuerit. Hinc inter alia Aristoteles 4. *Polit.* 17. Judicia institui vult περὶ τῶν συναλλαγμάτων, καὶ ἐχόντων μέγεθος.

*æquum, & facilem, multa multis de jure ſuo concedentem: à litibus verò, quantum liceat,* (1) *& neſcio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem.* (2) *Eſt enim non modo liberale paullum nonnunquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.* (3) *Habenda autem eſt ratio rei familiaris; quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis, avaritiæque abſit ſuſpi-*

(1) *Et neſcio.*) Ita quiſque debet adfectus eſſe erga alios, quibuſcum σωάλλαγμα aliquod habet, ut malit aliquam rei familiaris, quàm amici ac neceſſarii hominis, jacturam facere. Id fiet, ſi bonam fidem in contractibus ſequatur, & ſtricto juri ſemper æquitatem præferat. Ariſt. 4. *Nicom.* 1. §. 57. ait, Liberalem poſſe injuriam perpeti, quippe qui non magni faciat pecuniam. Cæterum quod non licet, inhoneſtum per ſe videtur, quale quid perpeti non omnino in Officio eſſe poteſt. Videtur autem Cicero in vitii fuga illorum morem ſequi, qui ligna diſtorta directuri in contrarium flectunt: id quod laudat Ariſt. 2. *Nicom.* 9. §. 7. & 8.

(2) *Eſt enim.*) Confirmat hoc ab Honeſto, & Utili; videlicet ne odium tibi concites, magnos ſumptus facias, præſertim ubi ſunt Judiciorum labyrinthi, ut lauderis boni & æqui viri nomine, qui non ſectetur τὸ ἀνειβοδίκαιον, ſed τὸ ὀφελιμὲς, & ut multos tibi adjungas amicos: quod iis cumprimis eſt utile, qui victum ex commerciis quærunt, varii generis mercatores.

(3) *Habenda.*) Reſtringit præcedentia, debere quemque de jure ſuo concedere, ut ſuſpicionem quidem avaritiæ vitet; non tamen ita, ut avari & injuſti homines bona cujusquam impunè involent, & ſine ulla Judicis

*ſuſpicio.* (1) *Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum is eſt pecuniæ fructus maximus.* (2) *Recte etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim, ut mihi videtur, valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idque etiam Reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt etiam vehementer utile iis,* (3) *qui honeſte poſſe multa volunt*

Judicis ſollicitatione rem quis ſuam negligenter dilabi aut diripi patiatur.

(1) *Poſſe enim.*) Rectè ſuis opibus poſſe uti (id quod per Liberalitatis habitum fit) nec tamen omni cenſu ſe ſpoliare, maximus pecuniæ fructus eſt. *Ariſt.* 4. *Nicom.* 1. §. 44.

(2) *Rectè etiam.*) Hoſpitalitas etiam Utilis amicitiæ ſpecies eſt: qua & Reip. & noſtris commodis ac ornamentis proſpicimus, beneque conſulimus. Huc revocari poſſunt illa, quæ *lib.* 1. de Domo viri honorati ſcripſit. Alibi dicit hoſpitem ſuum fuiſſe Deiotarum Regem. Nam olim Hoſpitii neceſſitudo non ſolùm inter privatos, ſed etiam inter populos contrahebatur: quin etiam inter ſingulos privatosque & Civitates. Atque hoc publici hoſpitii genus, προξενία: privatum hoſpitium ἰδιοξενία Græcis dicebatur, cujus erat nota hoſpitalitatis teſſera. Actum autem fuit hujus neceſſitudinis vinculum, ac Jovis Hoſpitalis numine ac reverentia ſanctum. Plautus *in Pœn. Deum hoſpitalem, & teſſeram mecum fero.* *Ariſt.* 8. *Nicom.* 12. §. 4. *Franciſ. Patricius l.* 8. *de Regno. tit.* 13.

(3) *Qui honeſte poſſe.*) Non ſemper vituperandum

*lunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, Cimonem Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe. Ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaſſe, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam ſuam divertiſſet.*

(1) *Quæ autem opera, non largitione, beneficia dantur, hæc tum in univerſam Rempublicam, tum in ſingulos civeis conferuntur. Nam in jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam.* (2) *Itaque cum multa*

eſt, ſi quis inſigniorem potentiam adfectet, ſiquidem illud eo fine fiat, ut præ aliis Reip. prodeſſe & velit, & per alia ſubſidia poſſit; illud enim eſt honeſtè multa poſſe. Potentia verò augetur amicorum opera. Si igitur cum illuſtribus viris provincialibus Hoſpitalitatis jura & amicitiam colueris, facilius illorum opera Provinciam in obſequio Reip. continebis, quàm militis. Exemplum præbet Cæſar in ſuis Commentariis de Divitiano ejusque fratre.

(1) *Quæ autem.*) Tranſit à pecuniaria liberalitate ad eam, quæ fit opera & induſtria. Hac verò vel toti Reipub. vel ſingulis civibus proſumus, vel utrisque. Utrò id fiat modo, valde utile eſt ad autoritatem, dignitatem & benevolentiam aliorum erga nos amplificandam. Hinc Cicero 1. *de Orat.* ait, obtinendæ & augendæ potentiæ gratia huic ſtudio ſe tradidiſſe veteres.

(2) *Itaque cum.*) Ex ſtudiis operisque noſtris primò commendat Juriſprudentiam, cujus, tanquam proprii ſui ſtudii, Mutii, Craſſus, aliiq; optimi & nobiliſſimi

viri,

*multa præclara majorum, tum quam optime constituti juris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atque interpretatio. Quam quidem ante hanc confuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt: nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus*

viri, dignitatem hactenus conſervaverant. Turpe enim credebatur patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus in quo verſaretur ignorare. *l.* 2. §. 43. *ff. de O. J.* ubi JCtorum veterum principes etiam à Pomponio recitantur. Bellis verò civilibus Judiciorum autoritas concidit, ceu fieri ſolet, quod inter arma ſileant leges, cum Martem, non Prætorem, ſibi arbitrum delegiſſent Cæſar & Pompejus. Cumque Jus civile in magnam amplitudinem, molem & confuſionem excreviſſet, indignatur potiſſimùm Cicero; Jus eo tempore fuiſſe oppreſſum, quo exſtiterint eruditiſſimi viri, qui in methodum jus omne civile potuiſſent compingere: quos inter fuit ipſe Cæſar, teſte Suetonio cujus hæc ſunt verba: *Jus civile ad certum modum redigere ſtatuit, atque ex immenſa diffuſaq; legum copia optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros.* Et profectò dolendum eſt, quod vel à Cæſare, vel Sulpitio, vel alio pari ingenio & doctrina inſtructo JCto, aut pluribus etiam communi ſtudio, res illa non fuerit perfecta. Procul dubio enim non tam infelix fuiſſet fatum librorum Iuris, quod pòſt fuit ſubſecutum, cum aliorum, tum Iuſtiniani, Baſilii Macedonis, quique hunc ponè ſubſecuti ſunt, auſpiciis. Unde mox natæ ἐκλογαὶ συνόψεις, πρόχειρα: de quibus breviter & accuratè poſt alios egit Iac. Gothofr. *Manual. Jur. part.* 2. Nunquã certè mihi perſuaſero, veterũ ICtor. quenquã eò veſaniæ prolapſurũ

*tus est. Idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui omneis superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Hæc igitur opera, grata multis, & ad beneficiis adstringendos homines accommodata.* (1) *Atque huic arti finis* fuisse, ut, concinnato methodice Juris studio, (quam rem in consilio fuisse dixi) prudentissimorum JCtorum libros & commentarios, quibus ad Systema Jurisprudentiæ usi fuissent, penitus atque adeò temerè aboleviſſent, ceu vel Justiniani jussu, vel Triboniani detestabili consilio factum fuisse constat. Præstitisset sanè, sanctissimè adservari duo illa millia librorum veterum, quæ plus quàm tricies centenis millibus versuum exarata habebantur, quàm Tribonianeos centones in centum quinquaginta millia versuum redactos semper cum tristi desiderio integrorum voluminum inspicere. *lib.* 2. §. 1. *C. de vet. jur. enucl.* Hos, inquam, præstaret habere, quàm infinitis Decisionum, Quæstionum, Consiliorum, Responsorum voluminibus nupet natis pluteos implere. Sed cum amissa frustra recuperare quæramus, utamur sanè & contenti simus Triboniani purpureis panniculis: in quem, vel ipsum Justinianum ne iniquiores esse videamur, velim attentè legantur, quæ Jo. Sichardus, JCtus cumprimis bonus, scripsit ad Ferdinandum I. Ungariæ & Bohemiæ regem, *epist. dedicat.* Codici Theodosiano præmissa. Cui addatur eruditissima Præfatio Nicolai Cisneri, Tribunalis Imperii Adsessoris, ad Geideros fratres, Franc. Duareni Operum parti secundæ præfixa.

(1) *Atque huic arti.*) Pergit ad studium Eloquentiæ, cujus operam etiam liberaliorem & utiliorem esse ait ipsa Jurisprudentia, quod illa non solùm Judiciis sed & Senatui inserviat. Confirmat hoc ab effectibus, & veterum

(1) *finitima est dicendi gravior facultas, & gratior, & ornatior. Quid n. eloquentia laudabilius, & præstabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic quoque ergo à majoribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis, & facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorũ causſas & non gravate, & gratuito defendentis, beneficia, & patrocinia late patent.* (2) *Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem*

terum Romanorum testimonio. Inprimis commendat Eloquentiam, si sit gratuita, defendat reos, (accusationes enim suprà volebat esse rarissimas) operamque iis facilem, non pretio emptam, exhibeat. Hoc enim est hominis facilè laborantis. Plura in Eloquentiæ laudem dicta invênies à Cicerone in libris *de Oratore*. Ubi inter alia Eloquentem hoc modo describit, qui & subtilia humiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè possit dicere. Atque his omnibus usum fuisse Demosthenem, non solùm Cicero, sed & Dionysius Halicarnassensis autor est, qui *lib.* περὶ τῦ Δημοσθένους δεινότητος scribit, illum characterem attemperasse qualitati, aliaque sublimi, alia humili, alia mediocri stylo exposuisse. Defensio, cujus speciatim hic iterum meminit Cicero, quomodo sit instituenda, tradunt Rhetores, quæ compendio legi possunt apud Jo. Gerh. Vossium *Instit. Orat. lib.* 3. *part.* 1. *c. ult. p. m.* 424.

(1) *Finitima.*) Sc. ad utilitates comparandas: vel, quod more Ro. Jurisprudentiæ officia Eloquentiæ beneficio expediebantur.

(2) *Admonebat.*) Sicut Jurisprudentiæ studium

*missionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem, nisi vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exstinctis oratoribus, quam in paucis spes, quam in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia.* (1) *Cum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut jurisperiti esse, aut diserti; licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem judicibus, & magistratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consulunt, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ consequuntur, latissimeq; eorũ manat industria.* (2) *Iam illud non sunt admonendi, (est enim in prom-*

& dignitas bellis civilibus eviluit, ita non minus se conqueri posse ait, idem Eloquentiæ, his turbis interpellatæ, accidisse. Quia verò agnoscere videtur se inter principes Oratorum esse, modestè occupationem adhibet, ne magis suum quondam honorem in Senatu & foro, quàm Reip. calamitatem deplorare videatur.

(1) *Cum autem.*) Pauci quidem Eloquentiæ laudem habent aut merentur, at hos ipsos plurimis prodesse posse ait: quod ipsum quomodo fiat, variis modis propositis explicat, putà, si beneficia, honores, magistratus aliorum nomine petant, causam Iudicibus, vel commendent, vel defendant: aut hoc ubi facere nequeant, alios rogent, qui vel consilio vel patrocinio clientes juvent: quæ studia ad Gloriam parandam valde sunt utilia.

(2) *Jam illud.*) Regulas tradit, quomodo opera nostra aliis prodesse, & quidem cautè ac sine criminatione possimus.

Quos

*promptu) ut animadvertant, cum alios juvari velint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt,* (1) *quos non debent; aut eos,* (2) *quos non expedit: si imprudentes, negligentiæ est: si scientes, temeritatis.* (3) *Vtendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacunq; possis, quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere*

(1) *Quos non debent.*) v. g. eos, qui juridicundo, aut magistratibus aliis præsunt.

(2) *Quos non expedit.*) Ne potentiores irritentur vel in defendentis detrimentum, vel ejus, quem defendere studet. Pittaci & Chilonis præceptum erat: *Ne judex sis inter duos amicos:* quod necessum sit, alterutrum offendi. Atque hæc præcepta Oratori aut Patrono tantò diligentius erunt observanda, quò majori suo malo hæc didicit ipse Cicero, qui sibi dicendo sæpe magnam & intolerabilem invidiam conflavit. Feliciter itaque is sapit, qui alieno periculo sapit, uti bene monet Plautus *in Mercat.*

(3) *Vtendum.*) Si officii ratio tanta & tam gravis sit, ut illud omnino subire cogaris, & invitus nonnullos offenderis, purgare te his debes, & demonstrare, non ullo odio aut simultate, sed officii necessitudine adductum, ita egisse. Tum occasione data convenientibus operis, quod violatum est, compensabis. Sic enim de muneris necessitudine pleniùs alteri constare poterit. Si ergo defendendo clientem adversarium ejus offenderis, honestissimè factum tuum excusare poteris, si, quàm sancta patronatus & clientelarum jura antiqui esse

*facere potueris: certisq; operis & officiis erit, quod violatum est, compensandum.*

(1) *Sed cum in hominibus juvandis aut mores spectari, aut fortuna soleat; dictu quidem est proclive, itaque vulgo loquuntur, sese in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est: sed quis est tandem, qui inopis, & optimi viri causſæ non anteponat in operam dandam gratiam fortunati, & potentis? A quo enim expeditior, & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior.* (2) *sed animadvertendum est diligentius, quæ natura rerum*

voluerint, ostenderis: de quibus Dionysius *lib.*2. & Plutarchus *in Romulo.* Hinc Lex XII. Tabb. *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Si enim clientes quasi colentes sunt, & patroni quasi patres; tantundem est clientem, quantum filium fallere, inquit Servius ad illum Virgilii versum, 6. *Æneid. aut fraus innexa clienti.* Add. Gellius *noct. attic. lib.*5. *c.*13.

(1) *Sed cum.*) Profitentur quidem multi, ad benefaciendum se magis impelli moribus, hoc est, ut optimo cuique libentissimè prosint; interim actu ipso magis sequuntur fortunam, & inde speratam utilitatem. Nam quò fortuna, eò quoque favor hominum inclinare solet. Interim *odi ego homines ignava opera, Philosopha sententia*; inquit Pacuvius apud Gellium *lib.*13. *c.*9.

(2) *Sed animadvertendum.*) Ostendit etiam inopis non esse nullam remunerationem, cujus intuitu plerumque plebeji animi ad benefaciendum excitantur, secundum illud Ovidii, *Vulgus amicitias utilitate probat.* Ita-

que

*rerum ſit. Nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt.* (1) *Commode autem, quicunque dixit: pecuniam qui habeat, non reddidiſſe; &, qui reddiderit, non habere: gratiam autem, & qui retulerit,*

que rectè docet, virum inopem eundemque bonum, diviti ac inſolenti præferendum, diviti verò & bono non poſtponendum. Illi enim præ aliis benefaciendum eſt, qui noſtræ opis maximè indiget, uti docuit *lib.* 1. Deinde gratiam ſi ſpectes, & diligentiùs attendas, quæ natura rerum ſit, hoc eſt, quam de his veritatem genuina Philoſophia, non ex opinione vulgi nata, prodat, non eſt exiſtimandum, minus gratum eſſe eum, qui gratias animo habet, quàm qui reapſe refert, ſiquidem non ſuppetat, unde iſte referat.

(1) *Commode autem.*) Gemina ſunt his, quæ in *orat. pro Cn. Plancio* leguntur: *Diſſimilis eſt*, inquit, *pecuniæ debitio, & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit. Qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, eo ipſo quod habet, refert.* Et in Oratione ad Quiritres poſt reditum: *In officio perſolvendo diſſimilis ratio pecuniæ debitæ eſt: propterea quod pecuniam qui retinet, non diſſolvit: qui reddidit, non habet. Gratiam & qui retulit, habet: & qui habet, diſſolvit.* Poſſunt hæc Ciceronis loca mutuò ſe illuſtrare, qui hoc loco id ſignificare videtur, aliud eſſe, debere pecuniam, mutuò fortè acceptam, aliud debere gratiam: ac viciſſim diverſam horum debitorum eſſe ſolutionem. Nam quàm diu quis pecuniam ex mutuo habet, non eam reddidit: ubi verò reddiderit, eam non habet. At gratiam qui retulit, beneficio fortè

*lerit: habere: &, qui habeat, retuliſſe.* (1) *At qui ſe locupleteis, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum, ipſi quamvis magnum aliquod acceperint, æque etiam à ſe aut poſtulari, aut exſpectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio vero ſe uſos, aut clienteis appellari, mortis inſtar*

fortè viciſſim præſtito, etiam eam habet, declarando ipſo facto grati animi προαίρεσιν. Et qui tantùm animo gratiam habuerit, beneficium mutuum negante fortè inopia, hæc προαίρεσις & boni animi ſignificatio tanti debet fieri, ac ſi reapſe gratiam retuliſſet. Placuit igitur Ciceroni ambiguis hiſce phraſibus ludere, de quibus legere licet ſententiam Antonii Juliani apud Gellium *lib.* 1. *c.* 4.

(1) *At qui ſe.*) Cur potiùs inopi bono quàm diviti inſolenti benefaciendum ſit, quadam ἀντιθέσει explicat: non quod illi mores omnium vel divitum vel pauperum ſint, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Inopi eidemque bono qui benefacit, videtur hoc facere propter bonum honeſtum: & is, ſi facultatem habebit, referet, vel ſaltem animo gratias habebit; quod tamen tantundem Ciceroni & cuivis humanitatis ſtudioſo erit, ac ſi referatur. Diviti honorato & propter divitias inſolenti qui benefacere velit, videtur amicitiam utilem cum ipſo contracturus: circa quam prudenter monet Ariſtoteles 8. *Nicom.* 13. §. 28. videndum eſſe ſtatim à principio, à quo beneficium accipias, & quam beneficii mercedem ille exſpectet, ut hac conditione beneficio te adfici aut patiaris, aut recuſes. Nam, uti mimographus ait, *Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.* Si itaque Dives nil niſi opes ſuas quæri videat, diſcrimen ſanè & delectum adhibere

*ſtar putant. At verò ille tenuis, cum, quidquid factum ſit,* (1) *ſe ſpectatum, non fortunam putet, non modo illi, qui eſt meritus, ſed etiam illis, à quibus exſpectat,* (*eget enim multis*) *gratum ſe videri ſtudet. Neque verò verbis auget ſuum munus, ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat.* (2) *Videndumque illud item, quod ſi opulentum, fortunatumque defenderis, in illo uno, aut forte in liberis ejus, maneat gratia: ſin autem inopem, probum tamen, & modeſtum: omnes non improbi humiles, quæ magna in populo multitudo eſt, præſidium ſibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam*

hibere poteſt, velitne beneficio tali adſtringi, nec ne: at ſi hoc faciat ex mera quadam inſolentia & faſtu, talique animo officia & ſtudia aliorum faſtidiat, meritò reprehendendus eſt: idque multò magis, ubi beneficium accipiendo dediſſe beneficium videri velit, ſi fortè illud invicem ſe debere intellexerit.

(1) *Seſe ſpectatum.*) Inopiam ſuam, morum innocentiam & probitatem. *Neſcio* enim *quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas*, inquit nequitiarum Arbiter. Hic verò non ſolùm ipſi benefactori, ſed & aliis, quorum ope forſan eget, gratum ſuum animum declarare ſtudet: & ſi forſan reapſe operam pro opera reddat, illam extenuat potius, quàm ut jactitet, hoc ipſo uberiùs gratiæ referendæ deſiderium ſignificans.

(2) *Videndumq.*) Melius apud bonos quam opulentos beneficiū collocari, etiam ſic oſtendit. Si divitem in judicio defenderis, vix eſt, ut ejus beneficii gratiam præter illum, aut certè liberos ejus à quoquam exſpectes: at inopi ſi benefeceris, ab omnibus ejus ſortis hominibus ama-

*quam apud fortunatos, beneficium collocari puto.* (1) *Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possimus. Sed, si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus: qui, cum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret*; Ego verô, *inquit*, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro. (2) *Sed corrupti mores, depravatiq;* amaberis, non solùm bonis, sed etiam omnibus non improbis, propterea quod communem Patronum ea humanitate præditum sibi omnibus & singulis paratum existiment.

(1) *Danda omnino.*) Si omnibus nostram opem requirentibus satisfacere possimus, obligati sanè ad multiplex officium sumus: at si omnibus subvenire nequeas, aut quæstio sit, utri magis minusve obligatus sis, habenda est ratio cum honestatis, tum necessitatis. Prioris exemplum proponit Themistoclem, quem hac in re autorem sequamur.

(2) *Sed corrupti.*) Ea est morum pravitas, & judiciorum perversitas, ut magis utilia bona, quàm honesta admirentur, faciliusque viro diviti, improbo licet, quàm inopi eidemque bono, adsurgant, & nihil non tribuant, secundum elegans illud Petronii epigramma:

*Quisquis habet nummos, secura naviget aura,*
*Fortunamq; suo temperet arbitrio.*
*Uxorem ducat Danaën, ipsumq; licebit*
*Acrisium jubeat credere, quod Danaen.*
*Carmina componat, declamet, concrepet, omnes*
*Et peragat causas, sitq; Catone prior.*
*Jurisconsultus*, Paret, Non paret, *habetor*,
*Atque esto, quidquid Servius, & Labeo.*

*Parva*

*vatiq; ſunt admiratione divitiarum.* (1) *Quarum magnitudo quid ad unumquemque noſtrum pertinet? Illum fortaſſe adjuvat, qui habet: ne id quidem ſemper. Sed fac juvare: potentior ſane ſit: honeſtior verò quo modo? Quod ſi etiam bonus erit vir, ne impediant divitiæ, quo minus juvetur; modo ne adjuvent; ſit q; omne judicium, non quam locu-*

*Parva loquor. Quidvis nummis præſentibus opta,*
*Eveniet. Clauſum poſſidet arca Jovem.*

(1) *Quarum magnitudo.*) Stoicè jam de Divitiis diſſerit, quæritque, quid harum magnitudo poſſeſſori conferat? Illum, inquit, adjuvat, ejusque indigentiam ſublevat, qui habet; non tamen ſemper adjuvat, ſed ſæpe mergit. ἤδη γάρ τινας ἀπώλοντο διὰ πλοῦτον, inquit Ariſtoteles 1. *Nicom.* 3. §. 4. *Exſtitere, quibus divitiæ exitio fuerunt. Immodicæ divitiæ*, inquit Apulejus *in Apolog. veluti ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt, quàm regunt, quod habent irritam copiam, noxiam nimietatem.* Et licet conceſſerimus, juvare divitias poſſeſſorem, non tamen honeſtiorem illius animum per ſe efficiunt; niſi quatenus etiam honeſtatis inſtrumenta adhibitæ fuerint Divitiæ: abſque hoc ſi fuerit potentiorem ſanè reddere poterunt. Unde Potentes etiam Latinis ſcriptoribus Opulenti dicuntur, & Potentia Opum vel Opulentiæ nomine venit. Quod ſi idem dives ſit & vir bonus, quid tum conferunt Divitiæ? Sanè ipſum animum non perficiunt hæc inſtrumenta; ſed ipſa Virtus efficit, ut hæc inſtrumenta ad convenientem debitumque uſum adhibeantur, & ut ornamento ſint & adjumento, quæ virtutis directione deſtituta impedimento eſſent futura. Hoc modo hæc explicata conveniunt cum Peripateticis.

Quod

*locuples, sed qualis quisque sit.* (1) *Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda, est, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam. Fundamentum enim perpetuæ commendationis, & famæ, est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile.*

(2) *Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quæ ad singulos spectant: deinceps de iis, quæ ad universos, quæque ad Rempublicam pertinent,*

Quod si verò dixeris, nihil quidquam ad actiones virtutum exercendas conferre Divitias, utique hoc falsum est. Si ergo idem sit & dives, & vir bonus, & adeo liberalitate pecuniaria non indigeat, opera tamen nostra juvandus est, à qua promptè impertienda non ejus pecuniæ nos avocare debet; quamvis neque hujus intuitu, sed solius honestatis, juvandus sit.

(1) *Extremum.*) Si quis hominum studia ad suas utilitates adjungere velit, tanquam præcipuam regulam observet, ut ita sit beneficus erga alios, ne aliis inferat injuriam, sed cum beneficentia justitiam conjungat; hæc enim solidam laudem & gloriam demum conciliat. Alteri enim prodesse cum alterius injuria nefas fuerit. Non ergo concussionibus pecuniæ sunt coacervandæ; ut liberalitatem exercere queas. Non defendendus quispiam est in judicio, ut fucum facias judici, jus pervertas, & improbitati calumniosè operam commodes.

(2) *Sed quoniam.*) Beneficentiam, magnum Gloriæ utilitatumque parandarum præsidium, fecerat duplicem, ratione rerum, quibus illa exercetur: nunc item ratione personarum eandem constituit duplicem, Privatam, de qua hactenus: & Publicam, quæ talis dici potest,

vel

*nent, disputandum est.* (1) *Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos civeis pertineant, partim singulos ut attingant; quæ sunt etiam gratiora.* (2) *Danda est opera omnino, si possit, utrisque; nec minus ut etiam singulis consulatur; sed ita, ut eares aut prosit, aut certe ne obsit Reipu-*

vel ratione dantis: si Magistratus, aliusve publico munere fungens det, vel ratione ejus, cui benefit, si vel in Rempub. universam, aut cives, aut collegium aliquod beneficium conferatur.

(1) *Eorum.*) Vel beneficia pertinent ad universos, si donum sit commune omnibus; veluti si quis forum aut theatrum excitet in Urbe; si ludos, spectacula, munera ædilitia exhibeat, Triremes suo sumptu in usum Reip. instruat, copias conscribat, publicæ causæ patrocinium suscipiat, legationem aut similia officia obeat. 4. *Nicom.* 2. §. 30. Vel ad singulos, si viritim inter singulos munuscula distribuantur: si ex publico frumentum detur, agri Reip. vectigales dividantur, missilia spargantur, epulum vel syssitia instruantur, congiaria, donativa, fercula, & panes gradiles offerantur: de quibus Seneca, Suetonius, Plinius in Panegyrico Trajano dicto, aliique passim legi poterunt. Posteriora dicit esse gratiora, hæc enim magis sunt propria, quàm ista, magisque adeò animos adficiunt & demerentur.

(2) *Danda est.*) Si fieri possit, & universis & singulis benefaciendum esse monet, ea circa privatas largitiones cautione adhibita, ut si non semper prosint Reip. ne tamen ullatenus ei obsint. Subjungit deinde exempla, quomodo alius immodica largitione Reipub. damnum, alius modicâ commodum utrique attulerit.

*Reipublicæ. C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit: exhauriebat igitur ærarium. Modica M. Octavii, & Reipublicæ tolerabilis, & plebi necessaria: ergo & civibus, & Reipublicæ salutaris.* (1) *Inprimis autem videndum erit ei, qui Rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat. Pernicioſe enim Philippus in tribunatu, cum legem Agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, & in eo vehementer se moderatum præbuit:*

(1) *Inprimis.*) Privatas opes & possessiones ab iis, qui in publico munere sunt, non lædendas esse monet, auræ popularis captatione: quod fit vel novis tabulis, quas Græci χρεῶν ἀποκοπὰς, Solon σεισάχθειαν, appellabant: aut æquatione bonorum, aut rigidis tributis, aliisque ejusmodi oneribus. Ita Philippus, publicos agros populo dividendos suadens, vehementer erravit, etiamsi multi pauperes in Rep. fuerint. In ejusdem forensis turbæ seu factionis, ut Livius loquitur vel, secundum Ciceronem, urbanæ plebis favorem legem suam agrariam Ti. Gracchus his verbis commendasse apud Livium legitur: *Feras quidem ac bestias lustrum ac tectum, quò se reciperent, in Italia habere: qui verò adsiduè pro libertate pugnarent, præter aërem lucemq; nihil in Italia possidere, sed sine lare, sine sede, cum liberis conjugibusq; vagari: mentiri autem imperatores Ro. cum milites hortarentur, ut pro aris focisq; pugnarent; neque enim lares paternos, nec monumenta majorum eos tenere, sed pro aliena luxuria dimicare: atque orbis terrarum dominos verbo appellari, revera autem ne glebam quidem terræ possidere.*

Capi-

*buit: ſed cum in agendo multa populariter, tum illud male dixit*: non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. (1) *Capitalis omnino oratio, & ad æquationem bonorum pertinens. Qua peſte quæ poteſt eſſe major?* (2) *hanc enim ob cauſſam maximè, ut ſua tenerentur, reſpublicæ civitatesque conſtitutæ ſunt. Nam etſi ducè natura congregabantur homines, tamen, ſpe cuſto-*

(1) *Capitalis.*) Hæc enim bonorum exæquatio non ſine aliorum injuria, querelis ac ſeditionibus fieri poteſt. *Detrahere enim aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus adfecti, ut propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet, aut arriolet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem*: ceu hæc egregiè ab ipſo Cicerone explicantur infrà *lib.* 3.

(2) *Hanc enim.*) Si ſecuritatis etiam cauſa Urbes & Reſpp. ſunt conditæ, neceſſe eſt omnia illa averti, quæ illam labefactare poſſint. Etſi enim Homo natura ſit ζῶον κοινωνικὸν, Reſpublicæ tamen conſtitui, & Urbes condi ac muniri cœperunt, ut quisque ſuo ſecurè uti frui poſſet. Atque illa ſecuritas vel perſonis quæritur, vel rebus. Illa erit ſalva atque integra, ſi Imperium; hoc, ſi Dominium legum armorumque præſidio ſit munitum, ut & fraus & violentia qualiſcunque iniquè imminens arceri queat.

*cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.* (1) *Danda etiam opera eſt, ne, quod apud majores noſtros ſæpe fiebat, propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemq; bellorum, tributum ſit conferendum. Idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua neceſſitas hujus muneris alicui Reipublicæ obvenerit, (malo enim alteri, quam noſtræ, ominari: neque tamen de noſtra, ſed de omni*

(1) *Danda etiam.*) Tributa & frequentes acerbasque exactiones vitandas eſſe monet. Ad hanc rem multum confert, ſi Ærarium bene ſit inſtructum, in quod cum alia, tum ordinaria, eaque tolerabilia tributa inferantur. Illud verò ne citò deficiat, bella omni ſtudio declinanda ſunt, & parcimonia ac diligens diſpenſatio adhibenda eſt, ne ulla fiat pecuniæ erogatio, quam non vel neceſſitas imperet, vel honeſtas. Illam autem præfectus ærarii indicabit populo, quò faciliores ſint ad collationem, nec aliquem tumultum excitent. Multa hic utiliter moneri poſſent de Ærario, qua parte plurimæ Reſpp. laborant, & cumprimis hæc noſtra Germanica. Potentia enim civilis præcipuè in his quinque partibus conſiſtit, Pecuniæ copia, ſubditorum ac militum frequentia & viribus, ſitu & Munitionibus regionis, Amicorum fide ac fœderibus, denique Inſtrumentorum bellicorum copias commeatu & annona. Quæ omnia vel haberi, vel conſervari, vel ad neceſſarios uſus diſponi nequeunt ſine illo neceſſario rerum gerendarum nervo, Pecunia. Notum eſt, illud Taciti in hanc rem 4. *Hiſtor. Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queant.* Quod ſi ergo Ærarium aliunde poſſit eſſe inſtructum, ut tributorũ exa-

Digitized by

*omni Republica disputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum.* (1) *Atque etiam omnes, qui Rempublicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ. Quarum qualis comparatio fieri soleat & debeat, non est necesse disputare. Est enim in promptu: tantum locus attingendus fuit.*

*Caput*

exactione planè opus non sit, optimè hac quidem parte constituta erit Respublica. Testis est Plinius *hist. nat. lib. 33. c. 3.* Æmylium Paulum, Perseo rege Macedonum victo, prædam pondo trium millium in ærarium intulisse, & ex eo tempore populum Ro. tributum pendere desiisse. Quod si omnino tributis opus sit, ordinariis utendum est, ut tamen quandoque ad extraordinaria viam aperiat Necessitas. Secus si fiat, peribit in subditis amor patriæ, fides & benevolentia, præcipua ejus monumenta. De Tributis Romanorum plura scripsit Car. Sigonius *l. 1. de ant. jur. civ. Ro. cap. 16. Add. Casp. Klock de Ærario.*

(1) *Atque etiam.*) Qui præsunt Reip. etiam prospicere illi debent de Annona; rebusque omnibus pace & bello necessariis, idque tum præcipuè, quando propter copiam viliſsimi sunt pretii, magnoque numero & quantitate ea coëmunt & recondent, si servando servari queant. Hoc enim nisi maturè fiat, incumbente subitò magna plurium rerum inopia, vel exhaurietur penè, vel non sufficiet ærarium: aut, licet pecunia non defuerit, coëmendi facultas variis modis impediri, aut planè tolli poterit. Abrumpit verò hujus præcepti exquisitam explicationem, quæ varia esse possit pro diversa Rerump. conditione.

(1) *Caput autem est in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me servasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent: non essem passus diutius eos imperare. Næ illi quidem multa secula exspectanda fuerunt. modo enim hoc malum in hanc Rempublicam invasit. Itaque facile patior, tunc potius Pontium fuisse; siquidem in illo tantum fuit roboris.* (2) *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecu-*

(1) *Caput autem.*) Maximum Magistratuum vitium Avaritiam esse adserit; hac enim infecti venalem habebunt Remp. omniaque ejus commoda, fulcra ac præsidia, Senatum, dignitates, Judicia, universamque Remp. quovis modo quæstui habebunt. Quanta verò mala hinc oriri possint, exemplo seu oratione Pontii declarat. Cui geminum est illud Philippi Macedonis dictum: Nullum Castellum adeò esse munitum, quod non expugnari possit, in quæ modò asellus onustus auro ascendere possit. *Cic. ad Attic. lib. 1. ep. 13.* Atque hic est ille C. Pontius, Samnitum Dux, qui M. Curio Consuli contra Samnitas pugnanti magnum auri pondus misit: qui, eo repudiato, non aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent, imperare. Tam sedulò itaque avaritia vitanda est, ut ne quidem suspicio illius aliqua possit cuiquam moveri. Cujuslibet enim boni viri domus ita debet esse comparata, qualem suam volebat esse Cæsar, ut non solùm vitiis, sed & vitiorū suspicione careat. Addatur ad hujus loci illustrationē Ant. Mureti *l. 10. var. lect. c. 8.*

(2) *Nondum centum.*) Avaritia Magistratuum quàm

sit

*pecuniis repetundis à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cum fuiſſet. At verò poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati, tantum*

ſit pernicioſa Reip. & ſubditis, declarat judicio repetundarum, quo Socii apud Romanos pecunias ſibi iniquè ereptas repetebant, easque ex condemnatorum litibus æſtimatis recipiebant. Litis verò æſtimatio eſt rei controverſæ, & quod propter eam actoris interfuit, in certam pecuniæ ſummam à judice facta redactio. *Cic. & Aſcon. in Verr.* Litis æſtimationem ſolvere, eſt tantum ſolvere, quanti controverſa res eſt. *l. ult. ff. de condict. tritic.* Quamvis autem olim hoc judicium in eos magiſtratus ſolos, qui in provincias fuerant miſſi, fuerit inſtitutum, pòſt tamen eo crimine & judicio tenebantur, qui pecunias in magiſtratu, poteſtatisve curatione, legatioeve, vel quo alio officio, munere, miniſteriove publico ob judicandum cœpiſſent, quive magiſtratus urbani à ſorde ſe non abſtinuiſſent. *l. 1. & t. t. ff. de l. Jul. repetund.* Memorabile quoque eſt, quod apud Tacitum 11. *Annal.* in *d. t. Dig.* verò non legitur, Advocatos fuiſſe repetundarum reos, quod pecunia à Guillio accuſatore accepta prævaricati eſſent. Atque ibidem refert ſancitum, ut qui Advocati donûm ſe ſtertiûm modum egrederentur, repetundarum tenerentur. *Sueton. in Nerone. c. 17.* De pœna horum reorum præter *l. 7. ff. d. t.* videri etiam poterit Lipſius ad Taciti *l. 14. Annal. p. m. 423. ſeq.* Legi etiam cumprimis meretur Sigonius *lib. 2. de Judic. cap. 27.* ubi illud ipſum, quod de Piſone hic refert Cicero, ac ſi ante eum nulla lex de repetundis exſtitetit, his verbis explicat: *Creſcente indies magiſtratuũ in provinciis libidine, L. Calpurnius Piſo tribunus plebis an. DCIV. Manlio & Cenſorino Coſſ. exſtitit, qui legẽ tulit, qua non ſolùm pœna graviore, ut*

*tantum Italicum bellum* (1) *propter judiciorum metum excitatum, tanta, ſublatis legibus, & judiciis, veriſimile eſt, hoc crimen vindicandum ſanxit, ſed etiam, ut certum hæc quæſtio poſthac haberet prætorem, inſtituit, ita ut nova lege ſociis opus non eſſet, ſed certum, ad quem confugerent, prætorem haberent.* Hæc ille: cui adde, ſi lubet, Manutii librum de *Legibus Roman.* Danda itaque eſt opera principibus & Rebuſpub. ne ſocii aut ſubditi à magiſtratibus eorumve miniſtris vexentur, opibusque emungantur: aut ſanè ut ſedulò ac ſeverè judicia repetundarum, & ſi quæ ſunt ſimilia alia, in illos concuſſores, depeculatores, prædones & expilatores publicos inſtituantur. Prius verò poſt alia etiam hac ratione obtinebitur, ſi Luxuria omni ſtudio è Rep. exterminetur, cujus initium & incrementum cum præprimis in potentioribus cernatur, nequaquam ea gratia ipſis eſt tribuenda, ut contrario eoque pernicioſiſſimo exemplo leges ſumptuarias ipſis impunè relaxare liceat. Deinde ut cuique magiſtratui vel miniſtro idonea honoraria & ſtipendia pro cujusque conditione præbeantur, & ſingularia fortè merita extraordinariis remunerationibus compenſentur, ne gratis pœniteat fuiſſe probos. Graviſſimè enim decipiuntur Principes, qui putant, ſe vel ſic locupletiores fore, ſi maximè exigua miniſtris ſuis ſalaria conſtituant, aut ſatis æquè ægrè ſolvant, cum revera eo modo fures Reip. alant. Suum igitur ſi cuique tribuatur, id quod iniquè ſubductum eſt, acriori juſtæ pœnæ ſenſu repeti poterit. Quem modum à ſuis Proconſulibus teneri voluerint Romani, eleganter proponit JCtus *l.6.§.2.ff. de off. proconſ.* ubi vetus proverbium commendatur, ὅτε πάνυ, ὅτε πάντοτε, ὅτε ἀπὸ πάντων.

(1) *Propter judiciorum.*) Ne repetundarum, concuſſionis

*ciis, expilatio, direptioq; ſociorum, ut imbecillitate aliorum, non noſtra virtute, valeamus.* (1) *Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abſtinens. Quid ni laudetur? ſed in illo alia majora: laus enim abſtinentiæ non hominis eſt ſolum, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ ſunt maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum ſuam intulit, præter memoriam dominis ſempiternam. Imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine everſa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit, L. Mummius, numquid copioſior, cum copioſiſſimam urbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quam domum ſuam maluit.* (2) *Quamquam, Italia ornata, domus ipſa mihi videtur*

cuſſionis aut peculatus rei fierent, multos ſe ſocios addidiſſe ait quondam bello Italico: de quo conſulendi ſunt Hiſtoriæ Ro. Scriptores. Eodem metu complures ductos conjurationi Catilinariæ nomina ſua dediſſe, apud Salluſtium legere eſt. Neque ulla facilè Reſpublica ab hujusmodi motibus libera eſſe poteſt, ubi ſemper ſunt, qui

*Quærere, ut abſumant, abſumpta requirere, certant.*

(1) *Laudat.*) Superioribus contraria exempla abſtinentiæ opponit, ſic tamen ut majores in Africano alias virtutes laudet; nam iſta quidem ætate abſtinentiam ab omnibus penè ſanctam, avaritiam contrà deteſtabilem fuiſſe habitam.

(2) *Quanquam.*) Vel enim publicum incrementum

*videtur ornatior.* (1) *Nullum igitur vitium est tetrius, (ut eo, unde egressa est, referat se oratio) quam avaritia, præsertim in principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui Rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit*: Spartam nulla re alia, nisi avaritia esse perituram; *is videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse.*

*Nulla*

ad ipsum ex parte pertinebat. vel gloria tam laudabilis facti ad illum referebatur.

(1) *Nullum.*) Rectissimè avaritiam, cum primis in Principibus damnat; quid enim in tali Repub. sanctum, aut justum esse potest? Non solùm igitur turpe est hoc in illis vitium, sed sceleratum, & nefarium: videlicet, quod ad nefaria quæque scelera largitionibus possint impelli. Qua de re tantò luculentius constare potest, si per partes Reip. eundo explores, quàm pernicioſum, imò exitioſum sit Reip. si ii, qui magistratuum munere funguntur, aut Senatores, aut Judices sint avari, ac justi, honesti, bonique publici ratione postposita munera captent, sic ut hæ

*Quo plus sint potæ, plus sitiantur, aquæ.*

Idem conformat oraculo Apollinis, quod quilibet prudens cuivis Reip. possit augurari. Τὴν πολιτείαν δὲ ἐργασίαν δεῖ νομίζειν, ἀλλὰ λειτουργίαν, inquit Isocrates *in Areopag.* Hic denuo ex Aristotelis *lib.* 4. *ad Nicom. c.* 1. notandum est, Avaritiam vel esse simplicem, vel μετὰ συμπλοκῆς, cum luxu aliisque vitiis conjunctam. Posterioris generis avaritia ferè magnates laborare solent.

*Nulla*

(1) *Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui Reipublicæ præsunt, quam abstinentia, & continentia.* (2) *Qui verò esse populares volunt, ob eamque caussam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, ut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta Reipublicæ: concordiam primum tollunt, quæ esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ, deinde æquitatem, quæ tollitur*

(1) *Nulla autem.*) Indicat abstinentiæ seu continentiæ plurima esse commoda utilitatesque.

(2) *Qui verò.*) Cum modò tradidisset præceptum, quo observato benevolentia multitudinis conciliari possit; subjicit jam & graviter reprehendit modum, ad eundem quidem finem destinatum, sed in se pessimum, & Remp. perturbantem. Nam qui auræ popularis studio exæquationem bonorum quærunt, debita quovis modo expungunt, ejusq; generis alia tentãt, Remp. labefactant; tollitur enim concordia, & ex injusta illa vel distributione, vel confusione, oritur multiplex querela. Æqualitas sanè est Amicitia, & hac quæque conservatur societas; interim cum illa duplex sit, vel Arithmetica, vel Geometrica, hinc pro natura status seu Reipub. alius alio potest esse opulentior. Et si forsan æqualitas bonorum circa Reipub. constitutionem fuerit introducta, si tamen illa vel industria, vel aliis bonis rationibus fuerint aucta, non possunt sanè sine querelis & dissidiis bona diligentibus patribus familias eripi, & adsignari ignavis, ac sæpe luxuriosis. Nam etiam hoc notandum venit, discrimen esse habendum, num quis civium opulentior fuerit factus ex titulo oneroso, an lucroso:

qua

*tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet. Id enim eſt proprium, ut ſupra dixi, civitatis, atque urbis, ut ſit libera, & non ſolicita ſuæ rei cujusque cuſtodia.* (1) *Atque in hac pernicie Reipublicæ ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta eſt, eſt inimicus: cui data eſt, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe, & maxime in pecuniis creditis occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſolvendo. At verò ille, qui accipit injuriam, & meminit, & pro ſe fert dolorem ſuũ:* (2) *nec, ſi plures ſunt ii, quibus improbe datum eſt, quam illi, quibus injuſtè ademptum eſt, idcirco*

qua diſtinctione uti ſolent JCti. Hac enim obſervata, forſan è re fuerit Reip. certum legibus modum ponere, quatenus adquirere titulo lucroſo liceat opes, nec ne. Ita teſtamenti factio libera, quæ vulgò Juris naturæ dici conſuevit, hoc eſt, permiſſa à Jure naturæ, pro certo Reipub. ſtatu non ſolùm reſtringi, ſed & planè inhiberi poteſt.

(1) *Atque in hac.*) Illa bonorum exæquatio uti privatim iniqua, publicè permiſſa eſt; ita ferè aucupes favoris popularis ſuo fine illam fruſtrari docet.

(2) *Nec ſi.*) Dicat aliquis popularis, aut ſibi perſuadeat, ſe numero illorum tutum eſſe, qui lege agraria ditati ſint, quos in ſua quaſi clientela habeat, atque adeò ſpernere illorum invidiam poſſit, qui propter bona ſibi adempta ei ſuccenſent. Sed rectè ait Cicero, non tam ſtrenuè incumbere ſolere homines in gratiam referendam, quàm vindicandam injuriam, majuſque fore odii quàm gratiæ momentum: id quod etiam Tacitus confirmat 4. *Annal. Proclivius eſt injuriæ quàm beneficio vicem repen-*

*idcirco plus etiam valent: non enim numero hæc judicantur, sed pondere.* (1) *Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat? At propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lysandrum Ephorum expulerunt; Agin regem, quod numquam antea apud eos acciderat, necaverunt. Ex eoque tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut tyranni existerent, & optimates exterminarentur, & præclarissime constituta Respublica dilaberetur. Nec verò solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum; quæ à Lacedæmoniis profectæ manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Tib.*

*rependere; quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur.* Obiter etiam notari poterit, quod Ciceronem hic imitati videntur, qui, cum in Comitiis Germaniæ, atque alibi disputaretur, an decreta secundum Majora essent concipienda, existimaverunt, saltem in quibusdam causis suffragia non esse numeranda, sed ponderauda: seu, ut aliàs amant loqui, suffragia in iis causis non Majora, sed Saniora obtinere debere. Plura ea de re dixi ad Grotii *lib. 2. de J.B.P. c. 5. §. 17.*

(1) *Quam autem.*) Quia dominia rerum à naturali possessione originem trahunt, ceu rectè sensit Nerva *l. 1. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss.* hinc sicuti magnus Dominii, ita & Possessionis, tempore cumprimis satis multo continuatæ favor est, ne in hac temere fiat perturbatio seu invasio. Atque hanc æquitatem sequuntur Legislatores, quando jus Usucapionis legibus latis certo modo

ratum

*Tib. Gracchi ſummi viri filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At verò Aratus Sicyonius jure laudatur, qui, cum ejus civitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandeſtino introitu urbe eſt potitus: cumque tyrannum Nicoclem improviſo oppreſſiſſet, ſexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletiſſimi, reſtituit, remque publicam adventu ſuo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis & poſſeſſionibus difficultatem; quod & eos, quos ipſe reſtituerat, quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum poſſeſſiones movere, non nimis æquum putabat; propterea quod tam longo ſpatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur ſine injuria; judicavit, neque illis adimi, neque his non*

ratum habent. Etſi enim illud ab ipſo Naturæ jure non ſit introductum, moribus tamen gentium, & Retump. pleſarumque civilibus legibus tam diligenter eſt ſanctum, ut non ſolùm nihil habeat iniqui, ſed ad tranquillitatem publicam & lites ſopiendas planè ſit neceſſarium, quandoquidem abſque eo dominia rerum plerarumque forent incerta. *l.* 1. *ff. de uſurp. & uſuc. & l.* 5. *ff. pro ſuo.* Atque ob hos ipſos fines non minùs, ſi non magis, hoc jus locum invenit inter liberos populos, quàm e jusdem civitatis membra. Vide Grotium *lib.* 2. *de J. B. P. cap.* 4. ad quod plura de hoc argumento ſcripſimus. Et Conringium *de Finib. Imp. germ. cap.* 19. *p. m.* 360. Exempla hanc in rem ipſe Cicero eximia hic narrat. De prudentiſſimo

*non ſatis fieri , quorum illa fuerant , oportere. Cum igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia , Alexandriam ſe proficiſci velle dixit , remque integram ad reditum ſuum juſſit eſſe: isque celeriter ad Ptolomæum, ſuum hoſpitem, venit , qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam. cui cum expoſuiſſet, patriam ſe liberare velle, cauſſamque docuiſſet: à rege opulento vir ſummus facile impetravit , ut grandi pecunia adjuvaretur. quam cum in Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cum quibus cauſſas cognovit & eorum, qui aliena detinebant , & eorum, qui ſua amiſerant: præfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, & uti perſuaderent aliis ut pecuniam accipere mallent, & poſſeſſionibus cederent , aliis , ut commodius putarent, numerari ſibi quod tanti eſſet, quam ſuum recuperare. Ita perfectum eſt , ut omnes conſtituta concordia,*

ſine tiſſimo Arati conſilio, præter Plutarchum *in vita ejus*, etiam legi poteſt Grotius *lib. 3. de J. B. P. cap. 16. num. 6.* Unum adhuc notandum eſt , ubi de uſucapionis jure inter liberas gentes quæſtio eſt, non illud juris alicujus civilis decempeda ſtrictè tum menſurandum eſt. Etſi enim Uſucapionis inſtitutum ad Jus Naturæ non referamus, cujus ſententiæ rationes accuratiùs expendimus ad Grotii *.d. l.* nihilominus iisdem populis propter fines ſuprà memoratos hoc præſidium quàm maximè eſt neceſſarium. Puto enim eos falli, qui exiſtimant, quæ fini naturali quomodocunque ſerviunt, illa omnia eſſe juris Naturæ.

*ſine quereda diſcederent. O virum magnum, dignumque, qui in noſtra Republica natus eſſet! ſic par eſt agere cum civibus: non, ut* (1) *bis jam vidimus, haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit ſapientis, & præſtantis viri) omnibus conſulendum putavit:* (2) *eaq; eſt ſumma ratio, & ſapientia ſummi civis, commoda civium defendere, non divellere, atque omneis æquitate eadem continere.* (3) *Habitant gratis in alieno. Quid ita? ut, cum ego emerim, ædificaverim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo? quid eſt aliud, aliis ſua eripere, aliis dare aliena?* (4) *Tabulæ verò novæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum, & cum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Quam-*

(1) *Bis jam.*) Dominante Sulla, & pòſt Cæſare: qua de re etiam ſuprà.

(2) *Eaq; eſt.*) Salus enim publica ſuprema lex eſto, quam privatis & publico bono contrariis ſtudiis non datur conſequi, ſed ſi omnes & ſinguli eadem juris æquitate fruantur, abſque qua civium ſocietas commodè contineri nequit.

(3) *Habitant gratis.*) At nunc, inquit, ea ſunt tempora, quibus aliena occupata habitantur, & detinentur, nulla juris æquitate, ſed per ſummam injuſtitiam, quam liquidò demonſtrat.

(4) *Tabulæ verò novæ.*) Hæ ſunt, quibus debitæ pecuniæ gratia ſeu remiſſio fit debitori, cui illa credita ab alio eſt. Hæc lex de ære alieno plebi invitis creditoribus relaxando ſæpius Romæ lata eſt, maximisque turbis cauſam

(1) *Quamobrem ne ſit æs alienum, quod Reipublicæ noceat, providendum eſt. Quod multis rationibus caveri poteſt: ſi hoc non fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius Rempublicam continet, quam fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Numquam enim vehementius actum eſt, quam me conſule, ne ſolveretur: armis, & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine; quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de Republica tolleretur.* (2) *Nunquã nec majus æs alienum fuit; nec melius, nec facilius diſſolutũ eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſi-*

cauſam dedit. Oſtendit verò item Cicero, has tabulas nonniſi injuſtitiæ argumentum prodidiſſe.

(1) *Quamobrem.*) Monitum ingerit utiliſſimum, omni ſtudio providendum eſſe, ne cives, vel pars illorum, in grandius æs alienum incidant, ex quo factiones exiſtere poſſint, aut, quo onere ut liberentur, hinc arripi poſſit occaſio, tabulas novas importunè poſcendi, aut alias turbas excitandi. Horum igitur malorum cauſas qui velit præcidere, non debet eam inire rationem, ut tollatur fides, nec creditum ſolvatur. Nam ſine commerciis ſocietas civilis ſubſiſtere nequit, neque iſta perfici poſſunt ſine bona fide & æqualitate: de quo argumento plura ſcripſi ad Grotii *de J.B.P. lib.* 2. *cap.* 12. & quædam etiam hinc repetendi occaſio dabitur *lib.* 3. *Offic.*

(2) *Nunquam.*) Catilina cum ſociis obæratis luxuque perditis eodem modo ſe ære alieno liberare, & aliarum opes involare moliebatur. At impunitatis

*neceſſitas conſecuta eſt.* (1) *At verò hic noſter victor, nunc quidem victus, quæ cogitarat, ea perfecit, cum ejus jam nihil intereſſet.* (2) *Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret, peccare, etiamſi cauſſa non eſſet.* (3) *Ab hoc igitur genere largitionis ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui Rempublicam tuebuntur: inpri-*

(quæ eſt illecebra peccandi) & fraudis ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt ex illa conjuratione ſuperſtites. Hoc ipſum bellum, ejuſque cauſas, graviter deſcripſit *Criſpus Romana primus in hiſtoria.*

(1) *At verò hic noſter.*) Innuere videtur, Cæſarem, cujus ſanè ingens fuit æs alienum, tacitè faviſſe Catilinæ, ut, ſi hic viciſſet, illius furore ad ſuum quoque compendium & debiti obliterationem abuteretur. Hic Cæſar poſt bellum civile victor recoxit illas cogitationes, easque tum perfecit, cum jam nihil intereſſet, quod vel occiſi eſſent & diſperſi creditores, vel ipſe rerum opumque omnium eſſet potitus.

(2) *Tanta in eo.*) Vehemens profectò hæc eſt accuſatio, quæ meritò ab iisdem criminibus deterrere alios debeat. Cum enim varii ſint peccatorum gradus, ſecus atque Stoici ſenſerunt, qui illa omnia paria eſſe pronuntiarunt; ille profectò ſummum improbitatis faſtigium jam adſecutus eſt, qui libidine peccandi peccat: id quod ſecundum Ariſtotelem eſt, προαιρετικῶς omnino improbum eſſe.

(3) *Ab hoc igitur.*) Quid in magiſtratu maximè ſit reprehendendum vidimus. Nam inculcat, quid contrà iis ſit faciendum, ut quiſque ſuum habeat, Juſtitiæ, quæ eſt quædam æqualitas, normâ, & Judiciorum æquiſſimo

ordine

*inprimisq; operam dabunt, ut juris & Iudiciorum æquitate ſuum quisq; teneat: & (1) neq; tenuiores propter*

ordine religiosè obſervato, ubi nulla ſit vel excœcans animum δωροληψία, vel iniqua προσωπολημψία.

(1) *Neque tenuiores.*) Id quod fit, ſi pecuniâ à potentioribus creditâ egena plebs magnis uſuris alteratur, vel exhauriatur: unde non poſſunt non querelæ & res novæ ſequi. Notæ ſunt ex hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus ſeditionum & ſeceſſionum à plebe quondam factarum cauſæ. Nam ante Legg. XII. Tabb. uſuræ ferè pro libidine fœneratorum exigebantur: pòſt placuit uſura unciaria, teſte Tacito 6. *Annal.* & deinde rogatione tribunitia ad ſemiunciam redacta eſt. Sed cum ea ratione haut facilè in creditum ire allubeſceret, centeſimam voluerunt eſſe legitimam uſuram. *l.* 1. §. 3. *ff. de pignoribus* quam *Sanguinolentam* appellat Seneca 7. *de Benef. c.* 10. Tandem Juſtinianus pro negotiorum qualitate & perſonarum conditione diverſa alium atque alium uſurarum modum conſtituit *l.* 26. *C. de uſur.* ad quem *tit.* præter alios videatur Perezius. Romani itaque ad utrumque extremum prolapſi ſunt, unde non potuit non turbari Reſpublica. Nam gravioribus uſuris plebeji fuerunt exhauſti, unciaria verò & ſemi unciaria in damnum conjecti ſunt creditores. Iſtæ cauſam dedere tabulis novis, aut ſeditionibus ac ſeceſſionibus: his effectum eſt, ut commercia multis modis ſufflaminarentur. Media proinde via hic eſt tutiſſima, ut uterque ordo, pauperum & divitum conſervetur; ad alterutrum extremum ſi deflexeris, alterum certè ordinem peſſumdari, vel ſaltem graviter vexari & affligi neceſſum eſt. Optimè igitur proſpectum eſt iis Rebuſpub. ubi uſuræ ſunt modicæ & tolerabiles, ut tamen quandoque temporum & negotiorum

*propter imbecillitatem circumveniantur,* (1) *neque locupletibus ad ſua vel* (2) *tenenda, vel recuperanda obſit invidia.* (3) *Præterea quibuſcunque rebus vel belli, vel domi poterunt, Rempublicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt: hæc apud majores noſtros factitata: hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma utilitate Reipublicæ magnam ipſi adipiſcentur & gratiam, & gloriam.* (4) *In his autem*

tiorum habeatur juſta ratio, atque ita ſuum quærant compendium ditiores, ut adminiculum hinc ſentiant pauperes & plebeji ſine facultatum graviori detrimento; ſic enim inter hos major æqualitas & temperamentum obtinebit, neque vel oligarchica vel democratica ſtudia enormiùs excreſcent.

(1) *Neque locupletibus.*) Alioqui id accidet, quod ait Comicus:

*Judices ſæpe propter invidiam adimant diviti:*
*Aut propter miſericordiam addunt pauperi.*

(2) *Tenenda vel recuperanda.*) Notum eſt, quæ hanc in rem juris præſidia apud Romanos & Interdicta fuerint adhibita, quæ non minùs in bona cauſa ditioribus prodeſſe debent, quàm egenis.

(3) *Præterea.*) Et ſingulorum opes tueri debeat Magiſtratus, & cum primis Reip. ejuſque opum incrementum quærere licitis modis, quorum nonnullos enarrat, qui tamen in juriæ patrandæ ferè proximi eſſe ſolent. Qui verò honeſtè Reip. proſunt, nullis malis artibus uſi, huic inſignem utilitatem, ſibi verò exemplo majorum in Rep. Ro. gratiam & gloriam parabunt.

(4) *In his autem.*) Hactenus de iis ſubſidiis & mediis

*autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo præcepta censet esse à Panætio prætermissa, valetudinis curationem, & pecuniæ.* (1) *quas res à summo Philosopho præteritas arbitror, quod essent faciles; sunt certe utiles.*

(2) *Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis, & observatione, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse: & continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi caussa, & prætermittendis volu-*

mediis egit, quæ ad Gloriam cum existimatione parandam utilia esse queant. His jam adjiciendum esset de rei familiaris, & valetudinis curatione, ex Antipatri Tyrii sententia, rebus sanè utilissimis ad vitam commodè degendam. Nam inter bona corporis, Valetudo inter fortunæ, Pecunia primo ferè est loco.

(1) *Quas res.*) De Divitiis & Valetudine ideo Panætius nihil dixisse videtur, quod illa in bonis non ponerent, neque magni facerent severissimi Stoici.

(2) *Sed valetudo.*) Vetus est Senarius apud Græcos, ὡς ἐκ ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. Proinde ejus conservandæ præcepta, licet pauca, tradit. Et quidem primò, ut quis diligenter suam naturam, vires ac temperamentum exploret, ac quid prosit, quid obsit, observet; sic enim sibi quodammodo medicus esse, aut medicum rectius edocere poterit. Deinde accuratam rationem habendam esse ait Diætæ, ut in ea teneatur sedulò, τὸ μηδὲν ἄγαν. Cumque diætæ faciant complures partes οἱ ἰατρῶν παῖδες, speciatim præcipit moderationem voluptatum, quibus non minus corpus, quàm anima enervatur. Nam, uti bene Val.

*voluptatibus: postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.* (1) *Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abest turpitudo: conservari autem diligentia, & parsimonia: iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos, ista fere ætate cum essemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum convertimus.*

(2) *Sed utilitatum comparatio (quoniam hic locus*

Maximus *lib.* 2. *c.* 5. ait: *Bonæ valetudinis quasi quadam mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & alienæ nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris usu aversa.* Reliqua ad bonam valetudinem sive conservandam, sive recuperandam facientia petenda esse monet à medicæ artis cum scientibus, tum eximiè peritis Doctoribus.

(1) *Res autem familiaris.*) Res familiaris vel adquiritur, vel adquisita conservatur, vel ad usum transfertur. Adquisitio non debet esse sordida nec turpis. Conservatio fit per diligentiam, ut, si quod demptum fuerit, mox restituatur: vel ut sub diligenti custodia habeatur, ne pateat quibuslibet: quod Parcimoniæ officium est. Divites enim non solùm reddimur adquisitione opum, sed & illarum quàm minima impensa ac erogatione. *Arist.* 1. *Rhet.* 4. Idem præcepta diteſcendi seu artis χρηματιστικῆς optimè tradidit *lib.* 1. *Polit.* & in Oeconomicis, modò hæc sint tribuenda Aristoteli. Cumprimis etiam Xenophontis Oeconomicus legi, & cum istis conferri meretur.

(2) *Sed utilitatum.*) Jam attingit à Panætio prætermissum caput, quæ bona utilia aliis sint præferenda. Præci-

*locus erat quartus à Panætio prætermissus*) *sæpe est necessaria. Nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipsa inter se corporis, & externa cum externis, comparari solent. Cum externis, corporis, hoc modo comparantur; valere ut malis, quam dives esse: cum corporis, externa, hoc modo; dives esse potius, quam maximis corporis viribus. Ipsa inter se corporis comparantur sic: bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati.* (1) *Externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis: ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: à quo cum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret? respondit, bene pascere: quid secundum? satis*

Præcipua sunt bona Animi, deinde Corporis, deinde Externa, seu Fortunæ quæ dicuntur. Ut enim hæc vel præstantiori parti præstantius aliquod adjumentum aut perfectionem adferunt, ita ipsa quoque alia aliis sunt præstantiora. Sed hæc forsan in singularibus deliberationibus clariùs, quàm in genere definiri poterunt. Nam varia sunt hominum studia & fines, ut sanè non idem omnibus sit æquè utile.

(1) *Externorum.*) Jam exempla proponit bonorum fortunæ inter se comparatorum: ad quem locum sive emendandum, sive rectius intelligendum, addi poterunt Plinius *lib.* 18. *c.* 5. Adr. Turnebus 6. *Adverss. c.* 23. & Manutius *h. l.* Eo verò quod Catonis hoc dictum refert Cicero, videtur unà cum ipso omnem artem fœnobrem detestari: & à modis opum adquirendarum licitis planè excludere, & pessimis artibus καπηλευτικαῖς, de

*ſatis bene paſcere: quid tertium? bene veſtire: quid quartum? arare: & cum ille, qui quæſiverat, dixiſſet, quid fœnerari? tum Cato, quid hominem, inquit, occidere?* (1) *Ex quo, & multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes ſolere fieri: rectèque hoc adjunctum eſt quartum exquirendorum officiorum genus.* (2) *Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius à quibusdam optimis*

quibus Ariſt. 1. *Polit.* annumerare. Cæterum an differant Uſuræ à Fœnore, & ab utroque, Id quod intereſt, & quibus differentiis hæc invicem diſterminentur: item, an omnino jure naturæ licitum ſit uſuras accipere, nec ne, non perfunctoriè me diſputaſſe puto ad Grotii *lib.* 2. *de J. B. P. c.* 12. *§.* 20. *&* 21. qui & ipſe hac de re legendus eſt.

(1) *Ex quo.*) Occaſione artis fœnebris à ſe damnatæ monet, non fruſtra de ejusmodi rebus, earumque comparatione diſquiri, quod quædam ſint ejus momenti, ut honeſtati & reatæ conſcientiæ omnino repugnent, adeoque cum nullo modo agi debeant aut ſuſcipi, ne quidem cum aliis actionibus circa bona fortunæ licitè occupatis rectè contendantur.

(2) *Sed toto hoc.*) Ex qua pecunia, & quo illius uſu, ſeu commercio, vel major vel minor utilitas colligi, ipſaque pecunia coacervari queat, rectiùs norunt mercatores, & quibus in vita unicè lucellum eſt propoſitum, quàm Philoſophi: qui tanti hoc non faciunt, nec ullam aut ſanè exiguam in iis curam ponunt: quam tamen ſi huic ſtudio impendere velint, non minùs facilè

eſt

*optimis viris, (1) ad medium Ianum ſedentibus, quam ab ullis Philoſophis ulla in ſchola, diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro diſputandum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.*

M. TUL-

eſt Philoſophis, quàm mercatoribus diteſcere, ſiquidem utriſque par quoque juſtitiæ cura fuerit, confirmante hoc Ariſtotele 1. *Polit.* 7. exemplo Thaletis, qui, cum omnem olivitatem coëmiſſet, pòſt ex hujus mercis monopolio magnam confecit pecuniam.

(1) *Ad medium Janum.*) In illo enim viro cum ſuis menſis proſtabant fœneratores & nummularii: qui in ſummum, medium & imum dividebatur. *Horatius lib.* 1. *ep.* 1.

*O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,*
*Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo,*
*Perdocet.*

# M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCUM F.

## LIBER III.

PVb. *Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum, scripsit Cato, qui fuit fere ejus æqualis,* numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset. *Magnifica verò vox, & magno viro, & sapiente digna, quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaq; duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium, & solitudo. Vellem, & nobis hoc*

## *IN LIBRVM TERTIVM OFFICIORVM COMMENTARIVS.*

CUr Cicero à Reip. negotiis, sive senatoriis, sive forensibus, ad Philosophiam se contulerit, non semel causam exposuit : atque hic etiam suum institutum apophthegmate Scipionis à Catone approbato confirmat: cui geminum est illud, quod quidam è Græciæ Sapientibus

*hoc idem vere dicere liceret: ſed, ſi minus imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam & à Republica forenſibus q; negotiis armis impiis, viique prohibiti, otium perſequimur: & ob eam cauſſam urbe relicta, rura peragrantes, ſæpe ſoli ſumus.* (1) *Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec ſolitudo cum illa comparanda eſt. Ille enim requieſcens à Reipublicæ pulcherrimis muneribus, otium ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum, frequentiaq; interdum, tanquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat. Noſtrum autem otium negotii*

pientibus rogatus, quid difficile eſſet, reſpondit, σχολὴν εὖ θέσθαι, *otium rectè collocare.* Ipſe autem hoc libro multis ſingularibus exemplis id urget, quod Auſonius uno enuntiat verſiculo: *Nunquam diſcrepat Utile à Decoro.*

(1) *Sed nec hoc.)* Suum otium cum Scipionis otio contendit, atque illud neceſſarium, hoc voluntarium & delectabile fuiſſe inquit. Eſt enim certè non unius generis Otium; ſed aliud honeſtum, aliud turpe: aliud προαγωγικὸν, aliud neceſſarium. Ne igitur turpi & ignavo otio nos tradamus, ſed ſolùm honeſtum conſectemur, ipſas actiones ignavas & turpes à laudabilibus ſecernere, atq; iſtas fugere, has amplecti decet. Hinc cum Ariſt. 7. *Polit.* 14. *ſub fin.* dixiſſet, multos bellicoſos populos, quamdiu bella geſſiſſent, fuiſſe conſervatos, eosdem imperio potitos emarcuiſſe, ſubjicit hanc rationem: *Cauſa hujus eſt legumlator, qui non docuit, quomodo poſſent otio uti.* Præterea rectè tradit idem Philoſophus, quod Beatitas videatur in otio & quiete conſiſtere; rebus enim agendis nos occupari, ut in otio & quiete vivere poſſimus, bellaque

nos

*negotii inopiâ, nec requiescendi studiô, constitutum est. Extinctô enim senatû, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curiâ, aut in forô agere possimus? Itaque qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & sæpe soli sumus.* (1) *Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset*

nos gerere, ut pacefruamur. 10. *Nicom.* 7. §. 19. *seqq.* & 7. *Polit.* 14. & 15. Cum verò Beatitas humana sit duplex, Practica & Theoretica, ista civilium rerum administratione, debitaque adfectuum & actionum moderatione occupatur, quò Mens rerum divinarum contemplationi liberiùs vacare possit: quale ferè fuit illud Scipionis otium. Atque hinc Philosophus 6. *Nicom. ult.* docet, Prudentiam Sapientiæ bono actionibus humanis præesse, putà ut illas ad felicitatem civilem, atque tum Sapientia speculationes mentis ad felicitatem hæreticam ducat. Ex quibus di judicare quoque licet, quid de illorum otio existimandum sit, qui nummos suos ita collocant, ut sibi otio ignaviſſimo frui liceat, atque interim perpetuis usuris, graviſſimo aliorum labore partis, pascantur.

(1) *Sed quia.*) Cum res humanæ pluribus casibus sint obnoxiæ, sæpe in illa tempora incidimus, ut omnia mala effugere nequeamus; tunc igitur obligati sæpe sumus ad minimi delectum. Minus enim malum habet rationem boni, uti docti secundum Ciceronem, hoc est, Philosophi docent. Qua sententia cum ille sæpiuscule utatur, notandum est, vocem *Mali* non rarò ambiguè usur-

*ineſſet boni ; propterea & otiô fruor , non illô quidem , quod debet is, qui quondam peperiſſet otium civitati ; nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi affert neceſſitas , non voluntas.* (1) *quamquam Africanus majorem laudem vel meô judiciô aſſequebatur : nulla tamen ejus ingenii monumenta mandata literis , nullum opus otii,*

uſurpari. Vel enim aliquid hactenus eſt aut dicitur malum, quod damnum vel incommodum externum adferat, atque tunc habet locum hoc adagium. Vel aliquid eſt, & dicitur, moraliter malum, quod naturâ ſuâ ſit turpe: atque ex his malis minimum non eſt deligendum, ſed utrumque fugiendum; nec enim tibi inopia adflicto magis licet furtum, quàm ſacrilegium committere. Hinc bene Ariſtoteles 3. *Nicom.* 1. §. 19. *Sunt nonnulla ejusmodi, ut nulla vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis ſit oppetenda , graviſſimiq; cruciatus perferendi.* Talia ſunt, quæ moraliter ſunt mala. Etſi igitur otium ex iniquiſſima cauſa Ciceroni obtigiſſet, ſe tamen eo frui ſeu uti dicit: ſimulque illam cauſam vituperat, oſtendens, illud otium non eſſe tale, quale ipſe, oppreſſa Catilinaria factione, civitati peperiſſet: ut, ſi otioſa vita, hoc eſt, curis civilibus vacua tranſigenda jam à ſe eſſet, tale ſibi otium daretur, non autem neceſſarium, & ex vitio aliorum ortum.

(1) *Quanquam Africanus.*) Etſi Africanum præ ſe extollere videatur , reapſe tamen illi ſe anteponit, dum ſuum otium adeò fructuoſum eſſe oſtendit , Africani verò ſibi unicè ſuæque contemplationi inſerviverit. Etſi verò dicat, Scipionem nil ſcripſiſſe, conſtans

tamen

*otii, nullum ſolitudinis munus extat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inveſtigatione q; earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum unquam fuiſſe. nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium, curamq; convertimus. Itaq; plura brevi tempore, everſa, quam multis annis ſtante Republica, ſcripſimus.* (1) *Sed cum tota Philoſophia, mi Cicero, frugifera, & fructuoſa nec ulla pars ejus inculta, ac deſerta ſit: tamen nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, quam de officiis; à quibus conſtanter, honeſteq; vivendi præcepta ducuntur.* (2) *Quare, quamquam à Cratippo noſtro, principe hujus memoriæ Philoſophorum, hoc*

te

tamen præſumptio eſt, illum multas Terentianas comœdias compoſuiſſe; ſed hoc ſtudium tanto viro quaſi indignum, aut non ſatis compertum, diſſimulat. Quintilianus *lib.* 10. *c.* 1. *Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referuntur.* Plura hac de re habet Donatus in vita Terentii. Sed vix quidquam dubii eſt reliquum, quandoquidem ipſe Comicus idem haut obſcurè profitetur *in Prologo Adelphorum.*

(1) *Sed cum tota.*) Commendat jam præ omnibus aliis ſtudiis doctrinam Moralem, ſeu de Officiis, ut quæ reliqua omnia utilitate ſumma vincat. Hinc Ariſtoteles τῆς πολιτικῆς, cujus præcipua pars eſt Philoſophia de Moribus, finem ait eſſe ἀρχιτεκτονικὸν, ipſamque illam ὀνησίμην ἀρχιτεκτονικὴν appellat 1. *Nicom.* 1. & 2. Cujus vocis quæ vis ſit optimè ibi interpretatur Euſtratius.

(2) *Quare quanquam.*) Etſi filium à ſummo Doctore

præ-

*te assidue audire, atq; accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus aureis tuas vocibus undique circumsonare, nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tamen haud scio, an nemini potius, quam tibi:* (1) *sustines enim non parvam expectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus præterea grave & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est; dedecorantem & urbis auctoritatem, & magistri. Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere,* (2) *(si discendi labor est potius, quam voluptas) tantum fac ut efficias: neve committas, ut, cum omnia suppeditata sint à nobis, tibi defuisse videare. Sed hæc hactenus: multa enim sæpe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem propositæ divisionis revertamur.*

*Panætius*

præceptis honestatis imbui sciat, è re tamen ejus esse putat, ut nunquam non, & cum primis à patre talia accipiat: nihil igitur causæ esse filio, ut hoc Patris munus, velut noctuas Athenas missas, adspernetur.

(1) *Sustines.*) Varia congerit argumenta, quibus industria ardorque animi in filio accendatur.

(2) *Si discendi.*) Elegans ἐπανόρθωσις novum suppeditans cohortationis argumentũ, studia hæc, etsi aliquem laborem requirant, tanta tamen cũ voluptate & utilitate esse conjuncta, ut hæ illius sensum penitus removeant.

*Panætius*

(1) *Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis accuratiſſime diſputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecuti ſumus: tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines, & conſultare de officio ſolerent: uno, cum dubitarent, honeſtumne id eſſet, de quo ageretur, an turpe: altero, utilene eſſet, an inutile: tertio, ſi id, quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quo modo ea diſcerni oporteret. De duobus generibus primis tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum: nec id exſolvit, quod promiſerat. Quod eo magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo ejus Poſidonio eſt, triginta annos vixiſſe Panætium, poſtquam illos libros edidiſſet. Quem locum miror à Poſidonio breviter eſſe tractatum in quibusdam commentariis, præſertim cum ſcribat, nullum*

(1) *Panætius.*) Hujus, quem præcipuè ſecutus eſt, Philoſophi tria propoſita argumenta repetit, & tertium ab eo omiſſum miratur, cum tamdiu vixerit poſt editos jam de prioribus duobus libros. Miratur item, Poſidonium, à quo hoc poſtremum caput tanquam ſummè neceſſarium laudatum fuerit, tam paucis idipſum attigiſſe in commentariis, & vix ſumma rerum capita perſtrinxiſſe, nec ex dignitate, ac juſto quidem volumine pertractaſſe. Hinc igitur ſuo operi tantò majorem exiſtimationem atque autoritatem conciliat Cicero. Commentarii quid propriè ſint, docent, qui in J. Cæſaris commentarios ſcripſerunt H. Glareanus, Jo. Glandorpius, Fr. Hotomannus, Jo. Brantius, qui editione Gothofredi Jungermanni omnes conſuli poterunt.

*Mini-*

*nullum esse locum in tota Philosophia tam necessarium.* (1) *Minimè verò assentior iis, qui negant, eum locum à Panætio prætermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse; quia numquam posset utilitas cum honestate pugnare. De quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panætii tertium est, an plane omittendum: alterum dubitari non potest, quin à Panætio susceptum sit, sed derelictum. Nam, qui è divisione tripartita duas parteis absolverit, huic necesse est restare tertiam. Præterea, in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum. Accedit eodem testis locuples Posidonius; qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panætium audiverat; ut nemo pictor esset inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret, (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat) sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum quæ fecisset, præstantiam, neminem esse persecutum.*

*Quam-*

(1) *Minimè verò.*) Quod tertium illud caput à Panætio non sit explicatum, nonnulli factum esse putabant, quod principiis Stoicis illud ita esset consentaneum. Hi enim cum docerent, nihil esse revera utile, quod non idem esset honestum; videbantur simul ita colligere, nullam unquam inter Utile & Honestum contentionem existere posse. His itaque Cicero ita respondet, de hac collectione posse quidem

*Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest.* (1) *Rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an secus, de eo fortasse dubitari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet: sive quod honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum peripateticis nostris videtur, ut omnia, ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem solitum execrari eos, qui primum hæc, natura cohærentia, opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam, quidquid honestum esset, id utile esse censerent: nec utile quidquam, quod non honestum.* (2) *Quod si is esset Panætius,* disputari, at institutum Panætii planè certum fuisse, evidenter simul ostendit.

(1) *Rectene autem.*) Hic jam examinat illam dubitationem, adseritque, sive quis hypothesin Stoicorum accipiat, sive etiam Peripateticorum, qui Honestum seorsim sumunt ab aliis bonis, nunquam posse utilitatem cum honestate contendi, ut huic illa vel par, nedum eâ superior sit. Confirmat hoc Socratis autoritate, quem hac in re Stoici sint secuti: de qua videatur Plato 1. *de Legg.* & quæ initio *libri* 2. diximus, ubi subtilius illam Stoicorum reciprocam propositionem, *Nihil est honestum, quod non idem sit utile*, Et, *Nihil est utile, quod non idem sit honestum*, examinavimus, quidque veri habeat, aut quandoque falsi, expendimus.

(2) *Quod si is.*) Si ea fuisset Panætii mens & hypothesis, quę fuit Epicuri, qui virtutem excolendam dicebat propter

*Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, honestatem aliquando cum utilitate pugnare.* (1) *Sed, cum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit; quæ autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec discessione pejorem:*

propter voluptatem, aut quæ fuit Hieronymi Rhodii, qui virtutem ad ἀναλγησίαν indolentiam referebat, tum forsan asseruisset, pugnam interdum existere posse inter Honestum & Utile. Nam & Divitiæ & Sanitas aliæque res Voluptatis efficientes causæ esse possunt, ac multis videri possent & frequentiorem & majorem voluptatem producere, quam ipsa Virtus: ut ita contentio quædam oritura esset, præstaretne ad talem finem per virtutem vel alias res utiles conniti; cum tamen Virtus complectatur in se τὸ καλὸν φύσει καὶ δι' αὐτὸ αἱρετόν: unde paulò pòst dicit: Honestum à virtute non posse divelli.

(1) *Sed cum sit is.*) Hæc verò Panætii mens aut sententia non fuit, quin potius ita docuit, non esse extra Honestum ullum aliud Bonum: tum, si quæ Utilium nomine veniant, & ab Honesti natura distent, illorum nec accessione meliorem vitam, nec discessione infeliciorem futuram. Atque hinc colligit, non potuisse à Panætio comparationem institui Utilium cum Honesto, siquidem voluisset τῇ θέσει δηλεύειν. At hæ Hypotheses falsissimæ sunt. Primò enim non videntur distinguere inter bonitatem Naturalem & Moralem. Hæc unicè in Honestate consistit: illa non potest cuiquam rei conditæ denegari. Deinde etsi vita humana convenienter Naturæ seurectæ Rationi instituta ratione essentialium

*pejorem: non videtur hujusmodi debuisse deliberationem introducere, in quâ, quod utile videretur, cum eo, quod honestum est, comparetur.* (1) *Etenim, quod summum bonum à Stoicis dicitur, CONVENIENTER NATVRÆ VIVERE, id habet hanc, ut*

partium ab Vtilium bonorum accessione non fiat perfectior, ratione tamen externi vel ornamenti, vel exercitii, plurimum illi addunt: sic ut si illa adminicula absint, non quidem protinus Infelix sit homo, ita tamen se habeat, *Vt lyra qua reticet, vel qui non tenditur arcus:* quandoquidem *Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris proderit?* Rectius igitur docet Aristot. 1. *Eud.* 2. Felicitatem quidem non consistere ex his, (bonis Vtilibus seu externis) non tamen posse esse sine his, tanquam necessariis quibusdam instrumentis. Addatur *c.* 7. & 8. 1. *Nicom.* Et v. cap. 7. §. 25. seqq. rem omnem expedit his verbis: *Tale quid Beatitudinem esse arbitramur: atq; etiam aliquid omnium maximè expetendum, etiam solum, absq; bono omni alio. Quod si cum alio etiam minimo bono conjungatur, erit tamen utique expetibilius. Hujus quippe boni accessione augetur. Quò verò majus est aliquod bonum, eò magis est expetendum.* Addantur ea, quæ in Librum 2. initio ferè commentati sumus.

(1) *Etenim.*) Stoici Hominis felicitatem aliis atq; aliis locutionib. depingebant, sententia eadem, dicentes illam in eo consistere, si secundum Naturam vivat, si convenienter Naturæ vivat, si secundū Virtutē vivat. Hominis n. Natura propria est Ratio: hæc v. ad certum propriumq; munus à Deo seu Natura, uti aliæ res, condita sit necesse est. Quisque v. suo munere rectè fungitur, si virtute accommodata sit imbutus. Ratio igitur proprio suo munere rectè beneq; fungetur, si virtutibus moralibus (hæ enim ad hoc munus sunt accommodatæ) earumque regina

Deinde

*ut opinor, ſententiã, naturã cum virtute congruere ſemper*: (1) *cætera a. quæ ſecundũ naturam eſſent, ita legere, ſi ea virtuti non repugnarent. Quod cũ ita ſit, putant quidam, hanc comparationem rectè non eſſe introductã, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendũ fuiſſe.* (2) *Atq; illud quidẽ honeſtũ, quod proprie, vereq; dicitur, id in ſapientib. eſt ſolis, neq; à virtute divelli unquã poteſt: in iis a. in quib. ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectũ honeſtũ nullo modo eſſe poteſt, ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc igitur omnia officia, de quib⁹ his libris diſputam⁹, MEDIA Stoici appellant: & ea communia ſunt, & late patent: quæ & ingenii*

*bonitate*

Prudentia fuerit inſtructa; & tunc uti Recta cognominatur, ita vitæ totius munia & officia rectè obibit. Hæc nobis principia ſuppeditantur 1. *Nicom.* 7.

(1) *Cætera.*) Externa bona his verbis deſignat, quæ etiã Seneca dicit eſſe *ſecundũ Naturam.* Si ſerio ita ſentiunt, cur quæſo tantopere illa criminantur & quaſi pedib. proculcant. Hinc Cicero convenienter Stoicorũ theſi loquitur, quando dicit, hæc externa *Legi*; expeti n. hæc religio fuiſſet Stoicis dicere. Vid. Cicer. 4. *de Finib.* Atque, inquit, ex his cauſis videtur ſequi, non potuiſſe à Panætio commode inſtitui ἀντίθεσιν Honeſti & Vtiliũ; Non n. credibile eſt, quod alii ferè faciunt omnes, ipſum fuiſſe neglecturum, ut theſin ſuam teretur, eiq; conſentanea loqueretur.

(2) *Atq;.*) Jam defendere inſtituit Panætiũ, & hanc Objectionem deſtruere parat. Primò repetit diſtinctionẽ initio primi Libri poſitam, aliud eſſe Honeſtum perfectũ Sapientis, cujus Officia ibi dicebãtur κατορθώματα: aliud eſſe Honeſtum commune, cujus Media ſunt Officia, in ſpecie καθήκοντα appellata, uti videl. hęc κατορθώμασι opponũtur.

*bonitate multi assequuntur, & progressione discendi. Illud autem, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est: &, ut iidem dicunt, omneis numeros habet, nec, præter sapientem, cadere in quemquam potest.* (1) *Cum autem aliquid actum est in quo media officia comparantur, id cumulate videtur esse perfectum: propterea quod vulgus, quid absit à perfecto, fere non ex toto intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod autem in poëmatibus, & in picturis usu venit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint; ob eam, credo, caussam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros: qui quidem, quid in unaquaq; re vitii sit: nequeant judicare: Itaque, cum sunt docti à peritis, desistunt facile à sen-*

Perfecta Officia nulla collidi pugna circa Utile & Honestum, sed optimè inter se convenire: De Mediis quid sentiat, ex ipso paulò post intelligemus. De hoc autem Officiorum discrimine diximus plenius ad *lib.* I.

(1) *Cum autem aliquid.*) Occupatio. Si nemo κατορθώματος perfectionem adsequi potest, cur igitur Stoici tam sublimes ideas somniant, & à consensu aliorum hominum recedunt, qui nostrum ingenium minimè capax ejusmodi perfectionis esse existimant? Respondet Cicero, imperitia vulgi, Media officia pro perfectis accipi. Sed non videtur satisfactum hac responsione Objectioni. Rectius dixisset, nihil vitii habere, perfectam vivendi rationem præscribere, quam si non omnino adsequi, sequi tamen ceu normam debeamus: qualē ideam

à ſententia. (1) *Hæc igitur officia, de quibus his libris diſſerimus, quaſi ſecunda quædam honeſta dicunt eſſe*, (2) *non ſapientum modo propria, ſed cum omni hominum genere communia: itaque ii omnes, in quibus virtutis eſt indoles, commoventur.* (3) *Nec verò, cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, aut Ariſtides juſtus nominatur; aut ab illis fortitudinis, aut ab his juſtitiæ, tanquam à ſapientibus petitur exemplum. Nemo enim horum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem intelligi hic volumus: nec ii, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerunt: nec illi quidem ſeptem:*

ideam etiam Ariſtoteles nobis delineavit ſecundum filum methodicum ſeu ὑποτυπωτικόν. Illuſtrat ſuam ſententiam eleganti ſimili.

(1) *Hæc igitur.*) Non tàm de perfecti Sapientis, qualem Stoici fingebant, officiis, quàm de ſecundis ſeu mediis ſe hic docturum monet. Talia tamen hæc media officia ſunt, ut, cum probabilis eorum ratio reddatur, nemo non illa amplectatur, qui ſit εὐ φυὴς, vel in quo ſit τῆς φύσεως εὐμοιρία ſeu θειά τις μοῖρα Platonis.

(2) *Non ſapientum modo.*) Cum Sapiens Ciceroni & Stoicis vel conſideretur in idea, vel is dicatur, qui communi judicio talis habeatur, de poſteriori hæc verba ſine dubio accipienda ſunt, videlicet tali quoq; competere officia Media.

(3) *Nec verò.*) Nec eſt quod mihi objicias Sapientiæ aut Juſtitiæ aut Fortitudinis nomine celebratos viros; hi enim propter officiorum mediorum frequentiam inſtar aliquod ſapientis Stoici præſe ferebant, ab ejus

*ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemque ſapientum.* (1) *Quocirca nec id, quod vere honeſtum eſt, fas eſt cum utilitatis repugnantia comparari: nec id, quod communiter appellamus honeſtum, quodq; colitur ab iis, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis unquam eſt comparandum: tamque id honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſervandumque eſt nobis, quam id, quod propriè dicitur, vereq; eſt honeſtum ſapientibus. Aliter enim teneri non poteſt, ſi qua ad virtutem eſt facta progreſſio.* (2) *Sed hæc quidem de iis, qui conſervatione officiorum exiſtimantur boni.* (3) *Qui autẽ omnia metiuntur emolumentis,*

verò dignitate longè aberant. Rejicit igitur illorum Stoicorum opinionem pluſquam frivolam, negantium τὰς προκοπὰς ἀρετῶν, adeoque gradus omnes ac progreſſiones bonitatis tollentium.

(1) *Quocirca.*) Concludit jam dicens nec perfectum Honeſtum Sapientis, nec medium viri communiter boni cum Utili rectè comparari. Quare de utroque ita colligat, forſan in progreſſu apparebit clariùs. Videri enim poſſet in eorum ire ſententiam, qui putarunt, hoc caput à Panætio ſalvis Stoæ placitis tractari non potuiſſe; quod tamen Cicero mox expedit.

(2) *Sed hæc quidem.*) Si qui ſint Mediorum officiorum cultores, illi horum obſervatione non Sapientis dignitatem adſequuntur, ſed opinione hominum exiſtimantur boni.

(3) *Qui autem omnia.*) Dixit & verè Sapientes, & opinione Sapientes aut bonos ſemper præpoſituros honeſtum

*lumentis, & commodis, neq; ea volunt præponderari honestate, hi solent in deliberando honestū cum eo quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Itaq; existimo, Panætium, cum dixerit, homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, solere modo, non etiam oportere. Etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum; sed hæc etiam inter se comparare, & in his dubitare, turpissimū est.*

*Quid*

nestum Utili, sine ulla operosa contentione, ut tamen hi nonnunquam dubitent. Jam de tertio hominum genere loquitur, qui vel vitiosa φιλαυτία aut alia ejusmodi causa inducti Honestum cum Vtili contendunt, ac sæpe hoc isti anteponunt: id quod à Viro bono alienum esse dicit, omnesque illos damnat, qui hæc inter se comparent, aut ita dubitent. Proinde vel horum hominum causa de comparatione Honesti & Vtilis fuit docendum, præsertim quod sæpe ad contentionem ejusmodi non tam vitio aut errore, quàm bonis rationibus duci videantur. Si enim Vtile falsam emolumenti speciem mentiatur, quod tum facit, cum Honesto penitus repugnat, & tales actiones impediat, tum vera est Ciceronis sententia; nihil enim tam splendidum cuiquam videri debet, quod Honestum obscuret. At si Vtile aliquod tale sit, quod Honesto non adversetur, tum si illud majus hoc sit, aut temporis aliusve conditionis necessitate adjuvetur, nil vetat tale Vtile tali tempore ac conditione præferre Honesto; cumprimis si huic nil detrahatur turpitudine aliqua actionis, & potius hoc Vtile jam delectum ipsi Honestati in suo exercitio subsidium deinceps adferre possit: qua de re etiam ad *lib.* 2. quædam dicta fuerunt.

(1) *Quid eſt ergo, quod nonnunquam addubitationem afferre ſoleat, conſiderandumq; videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, quale ſit id, de quo conſideretur. Sæpe enim tempore fit, ut quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur, non eſſe turpe. Exempli cauſſa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod poteſt eſſe majus ſcelus, quam non*

(1) *Quid eſt ergo.*) Tanquam certum jam ratumque ſupponit, Non poſſe inter Honeſtum & Utile contentionem inſtitui. Interim ſæpe deliberatio ſolet à nobis inſtitui: deliberamus autem de rebus dubiis? 3. *Nicom.* 3. §. 17. Reſpondet Cicero, ſi quando ejusmodi dubitatio accidat, illam de qualitate facti ſolere inſtitui, ſitne illud honeſtum, an turpe, utile an perniciosum; non quod Utile cum Honeſto conferatur, aut ei anteferatur. Ita occidere hominem, non reddere depoſitum, plerumque ſunt turpia: quia verò illæ ſunt nonnunquam facti ἀφιστάσεις, ut quod genere turpe quidem eſt, tempore, aut loco, aut alia circumſtantia non ſit turpe, ſanè circa talem πιεῖσασιν de qualitate facti addubitari poteſt. Exemplum verò de tyranno occidendo quod adfert, tale eſt, ac ſi quæras, an aliquando tyrannus licitè occidi poſſit, ſicut tuum factum honeſtati non repugnet. Videmus igitur diverſam vocum acceptionem æquivocè inſinuari. Quando enim dicunt Stoici: Nihil eſt bonum, niſi ſolum honeſtum: & deinde inferunt: Nihil eſt honeſtum, niſi quod idem ſit Utile: nec quidquam revera eſſe Utile, quod non idem ſit Honeſtum; facilè apparet, in hiſce poſtremis pronuntiatis Honeſtum latè accipi, ſicut complectatur & ſignificet etiam omne id, quod non eſt Inhoneſtum, ſeu Honeſto non repugnat. Etiamſi igitur ea ſit πιεῖσασις, quæ licitam reddat tyranni interemptionem,

*non modo hominem, ſed etiam familiarem occidere? Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi qui tyrannum occidit, quamvis familiarem?* (1) *Populo quidem Rom. non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat.* (3) *Vicit igitur*

ptionem, non tamen perinde etiam propriè honeſta, ſed fortè tantùm licita eſt, aut excuſationem meretur. Quæri verò poſſet, an unquam tyrannum interficere liceat? Græci, & hos ſecutus hic Cicero, quid ſentiant, notum eſt. Videatur Grotius 2. *de J. B. P. c. 4. n. 14.* Nonnulli docent contra Tyrannum crudelem ſubditis licere uſurpare defenſionem cum moderamine tutelæ inculpatæ. Sed admodum ſpiſſum eſt, quæ ἀφιστάσεις hic reddant tutelam inculpatam. Scholiaſtes Græcus in Ariſtotelis Opus ad Nicomachum aliquoties eò prolabitur, Tyranni occidendi gratia, poſſe quem adulterii conſuetudinem cum uxore illius licitè habere. Perperam; ceu alibi à nobis demonſtratum eſt *Examine Probab. Jeſuit. c. 6. p. 29.*

(1) *Populo quidem.*) Ut Cæſarem obtruncatum etiam in majus odium adducat, & Brutum Caſſiumque obtrectatione liberet, tyrannicidium illud Cæſaris ab univerſa Rep. comprobari adſerit, ſic ut illi Reip. conſilium & ſententiam exſecuti videantur.

(2) *Vicit igitur.*) Hanc Cæſaris necem patratam eſſe ait, non quod Honeſtum ab Utili fuerit ſeparatum, ſed quod bene hæc in illo facto convenerint. Quia enim utile erat, Remp. liberari tyrannide, ipſum tyrannicidium non potuit eſſe inhoneſtum. Hoc eſt quod his verbis dicit, *Honeſtas utilitatem ſecuta eſt.* Non jam hic diſputabimus, an Julii Cæſ. oppreſſio utilis fuerit Reip. Ro. qualis quidem eo erat ævo, quod vix puto; hoc ſolùm conſiderandum eſt, quomodo denuò τὸ Honeſtum hic im-

Digitized by Google

*igitur utilitas honeſtatem : immo vero honeſtas utilitatem ſecuta eſt.*

(1) *Itaque , ut ſine ullo errore dijudicare poſſi-*

impropriè accipiatur,nec etiam Vtile hic illud ſit,quod communiter omnibus utile ſit,ſed certo Reipub. ſtatui. Nam ſi quid revera utile ſit libero Reip. ſtatui,non tamen eapropter & ſimpliciter utile eſt : multò minùs propriè ac ſimpliciter honeſtum erit. Et cum ſuprà dixiſſet initio *lib.*2. Vtile , Honeſtum & Juſtum inter ſe reciprocari , certè tale Vtile certæ alicujus Reipub.eſt quidem Juſtum, ſed non niſi ὑποθετικῶς, pro natura illius ſtatus: erit forſan etiam Honeſtum, ſi omnino tale eſſe deprehendatur,quod nullatenus à propriè dicto honeſto recedat: id quod vix ſperare licet,in iis Rebuſpub. præſertim,quæ παρεκβάσεις Ariſtoteli dicuntur,aut etiam in iis Mixtis,quæ plurimum πολιτείας ex illis παρεκβαινούσας trahunt,& quidem qua parte παρεκβαίνουσι, *à rectis exorbitant.* Optimam enim Remp.quod attinet,adumbrare quidem illam licet,in fæce verò Romuli illam conſtituere velle deſperati laboris eſt.

(1) *Itaque ut.*) Repetit hujus libri propoſitionem, qua de re deinceps dicturus ſit , ſimulque neceſſarium eſſe oſtendit,ſiquidem hæc πραγματεία rectè procedere debeat ut certè formulæ h.e. principia & κριτήρια ponantur,ſecundum quorum normam collectio & recta de Officiis dijudicatio inſtitui poſſit.Ponit autem protinus duas formulas,unam Stoicorum, alteram Peripateticorum,iſtorumque ſplendidiorem eſſe adfirmat.Cæterum an ſatis verè ab iis dicantur, ut quidem magnificè, magna dubitatio eſt.Imò jam ſuprà oſtenſum eſt,quo pacto locum habere poſſit,nec ne,Stoicorum formula: *Nihil eſt honeſtum , quod non idem ſit Vtile , nec quidquam Vtile*

*possimus, si quando cum illo,* (1) *quod honestum intelligitur, pugnare id videbitur, quod appellamus utile: formula quædam constituenda est: quam si sequemur, in comparatione rerum ab officio nunquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoi-*

*Vtile est, quod non & Honestum sit.* Quod verò præ hac grandiloqua doctrina Peripateticorum formulam seu principium contemnat, posse aliquid esse Vtile, quod propriè honestum non sit, non sat causæ habuit. Quod verò addit, statuere Peripateticos Honestum aliquod non utile, si eo sensu accipiatur, quod Honestum sua natura non penitus idem sit cum natura boni Vtilis, verissimè dictum est; hoc enim propter aliud, istud propter se expetitur: hoc medii, istud finis rationem obtinet. Quod si eo sensu inteiligas, ac si Honestum bonum nemini utilitatem aliquam adferat, falsissima hæc foret interpretatio. Bonum enim cum sit perfectio illius, cui est bonum, etiam Honestum bonum erit animæ humanæ perfectio, eique ingentem utilitatem adferet: Nec solum possessori prodest, sed & aliis. Virtus enim, præcipuum Honestum bonum, ejus est conditionis, ut quàm plurimis velit prodesse; uti Peripateticorum princeps Aristoteles rectè tradidit.

(1) *Quod honestum intelligitur.*) Paulò antè idem his significabat verbis, *quod in nostram intelligentiam cadit.* Qua φύσει illa morum probitas indicatur, quæ in iis cernitur, qui vulgò boni existimantur, quorum honestas in oculos & sensum se ingerit, à qua diversum facit τὸ κατόρθωμα & perfectam bonitatem Sapientis, quæ nonnisi oculis mentis cernitur.

Quod

*Stoicorum rationi disciplinæq; maxime consentanea. quam quidem in his libris propterea sequimur,* (1) *quod, quamquam à veteribus Academicis, & Peripateticis nostris, qui quondam iidem erant, qui Academici, quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen splendidius hæc ab eis disseruntur, quibus, quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus est honestum aliquod non utile, aut utile non honestum.* (2) *Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.* (3) *Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis* & 95 *in-*

(1) *Quod quanquam.*) Conferantur hæc cum iis, quæ initio hujus Operis habet, *Quoniam utriq; Socratici &c.*

(2) *Nobis autem.*) Quod rejecto Peripateticorum principio, præferat Stoicum illud, adductum se esse libertate Academica ait. Ea enim illius est autoritas, ut jure sectatores suo utantur, si quod maximè probabile visum fuerit defendant. Sed de Probabilitate aliàs plura à nobis dicta sunt *Examine Probabilitatis Jesuiticæ.*

(3) *Detrahere.*) Cum Homo à natura sit conditus animal κοινωνικὸν, *sociale*, &, si Aristoteli credimus, πολιτικὸν, *civile*, necesse est quæque Societas, in qua degit, certa ratione ac jure regatur, siquidem velit esse salvus. Societates verò sunt duplices, vel Naturales, ad quas naturæ instinctu ferimur, vel ex instituto hominum, quæ nostra προαιρέσει constituuntur. In hisce posterioribus pluri-

*incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum*

plurimùm licet hominibus, ut ſibi jura condant, prout fini & utilitati alicujus ſocietatis aliquid poteſt eſſe conſentaneum. In Naturalibus multùm quæque hominum arbitrio relictum eſt, ita tamen, ut ſine vitio non videantur jus aliquod conſtituere poſſe, quod naturæ illius ſocietatis repugnet. Formula itaque Ciceronis videtur hæc eſſe. Quidquid naturæ ſocietatis humanæ repugnat, eamque deſtruit, illud naturaliter injuſtum eſt: Quidquid verò illam conſervat, illud eſt juſtum. Poſterius non ſolùm ajente ſed & negante ſenſu accipiendum eſt, ut Jus hic intelligatur inprimis, quod propriè eſt tale, tum etiam quod injuſtum non eſt. Adde Grotium *l.* 1. *de J.B. P. c.* 1. §. 3. *&* 10. *v. ad juris autem.* Huic jam formulæ ſubdit Cicero, Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, eſt contra naturam: atque hoc ita confirmat, quia, ſi id fiat, ſocietas & convictus hominum tollatur. Illa enim Societas certo Juris vinculo continetur. Jus verò eſt æquale. Inæqualitas verò eſt injuria: ubi ergo iniquè detraho alteri, mihique adjicio, laxatur utique ſocietas humana. Ejusdem præſidium eſt dominiorum diſtinctio, quod item erit nullum, ſi cuivis illud temerè involare liceat. Sublato aut perturbato dominio, quomodo ſuum cuique tribuetur, quod Juſtitiæ primarium ajunt eſſe officium. Hujus itaque formulæ Ciceronianæ tanta eſt æquitas, ut multa hinc definiant JCti extra legum præſcripta, ſemper ad ipſam æquitatem, ut evidentiſſimam provocantes. Exempla collecta vide apud Grotium 2. *de J.B.P.*

*victum humanum, & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, huma-*

c.10.n.2. Hinc illa Juris regula à Pomponio est tradita: *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. l.206. ff. de R.I. & l.14. ff. de condict. indeb.* Ex eodem æquitatis fonte manarunt hæc effata: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l.74. ff. de* R.I. Et, *Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam. l.75. ff. eod. Videtur enim,* inquit Proculus, *dolum malum facere, qui ex aliena jactura lucrum quærat. l.17. §.4. ff. de instit. act.* Terent. Andr. act.4. sc.1.

*Hoccin' est credibile, aut memorabile,*
*Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,*
*Ut malis gaudeant, atque ex incommodis*
*Alterius sua comparent ut commoda? ah*
*Id ne est verum? imo id est genus hominum pessimũ.*

Quod verò Cicero inquit, magis hoc esse contra naturam, quam mors, dolor, aut paupertas, non Physicè, sed moraliter intelligendum est. Naturaliter enim quisque dolorem fugit, ad quem declinandum Ira homini à Natura tributa est: Mortem vel maximè, quæ individuum planè destruit. Paupertatem quoque fugimus, quod indigentiam, & cum hac dolorem, aut interitum adferre possit. Eo verò sensu hæc accipi non vult, sed morali: videlicet, debere nos à rapinis & iniquis lucrandi rationibus ita abhorrere, ut malimus paupertate ac dolore maximo adfligi, aut planè mortem obire, quàm alteri suum per injuriam subducere. 3. *Nicom.* 1. §.19. Licere tamen de commodis quandoque detrahere alienis, si utilitas

multa

(1) *humani generis ſocietatem.* (2) *Vt, ſi unumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic, ſi unusquisque noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque, quo cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum, & com-*

multa Reip. atque hominum ſocietati pariatur, docet Albericus Gentilis *lib. 1. de jure belli c. 21. p. m. 165.* Cæterum privati cum Rep. collati vix eſt ut pro alienis haberi queant, cum omnes ſint Reip. partes.

(1) *Humani generis ſocietatem.*) Eſt utique talis quædam ſocietas naturalis: unde Stoici dixere, civitatem totius mundi unam eſſe, & omnes homines populares, municipesque, & quaſi in communi prato paſcere. Atque hæc hominum ſocietas lapidum fornicationi ſimillima, uſuræ, niſi invicem obſtarent, & ſuſtinerent ſe lapides, inquit Seneca *ep. 96.* Et Varroni mundus eſt domus maxima rerum. Plura in hanc rem collecta, vide apud *Alb. Gentil. l. 1. de jur. bell. c. 15. p. m. 108.*

(2) *Vt ſi unumquodque.*) Eleganti hanc cognitatis rationem & conditionem ſocialem ſimilitudine illuſtrat. Huc pertinet ille Menenii Agrippæ apologus apud Livium. Ita eleganter Imperator quidam Fiſcum lieni comparavit, quo intumeſcente reliqua membra tabeſcant. Quod ipſum nonnulli Londinenſi urbi accommodant, quæ quantò frequentiora commercia ad ſe attrahat, eò minus opulentiæ reliquis Angliæ opidis accedere. Huc facit etiam illud Senecæ præceptum *2. de Ira. c. 32. Vt omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt; ita homines ſingulis parcent,*

*communitas evertatur necesse est.* (1) *Nam sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est non repugnante natura. Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.* (2) *Neque verò hoc solum natura, id est, jure gentium, sed & legibus populorum, quibus quia ad cœtum geniti sumus. Salva enim esse societas nisi amore & custodia partium non potest.*

(1) *Nam sibi ut.*) Scilicet ita comparatum est, ut omnes homines malint sibi melius esse quàm alteri, secundum illud tritum: *Ordinata charitas incipit à seipso.* Cum enim inter homines promiscua rerum communio, qualem nonnulli absurdè commenti sunt, minimè locum inveniret, sed necessariò rerum dominia essent distinguenda, non alia conditione id fieri potuit, quàm ut quod quisque vel occupasset animo sibi illud habendi, vel adquisivisset sive ex dispositione legis, sive per σωάλλαγμα, id proprium haberet, sicut sine injuria ei à nemine subtrahi, aut in eo lædi posset. Huc pertinet illud Quintiliani *Declam.* 13. *Si hæc conditio est, ut quidquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis; profectò quidquid jure possidetur, injuria aufertur.* Julianus cum πρῶτον λόγον constituisset de Deo agnoscendo & colendo, δεύτερον illi hanc subjungit: *Lex altera, & ipsa suapte natura sancta atque divina, ea est, quæ semper & ubiq; alienis abstineri jubet, neque vero aut verbo, aut facto, aut arcanis animi cogitationibus contrà iri sinit.*

(2) *Neque verò.*) Jus naturæ & gentium promiscuè hic usurpat, uti etiam fit à JCtis Romanis, quod vel ex unico §. 11. *Instit. de* R.D. apparere potest. Urget porrò Formulæ suæ autoritatem, eam non solùm

Digitized by Google

Jure

*bus in ſingulis civitatibus Reſpublicæ continentur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceret ſui commodi cauſſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe civium conjunctionem: quam qui dirimunt; eos morte, exilio, vin-*

Jure Naturæ, ſed & civili confirmari ſolere. Quia enim multa Natura indeterminata reliquit, & hominum voluntati commiſit, quomodo pro diverſa natura & fine civilis ſocietatis velint ſuis commodis atque utilitati proſpicere; hinc Jus civile ortum eſt. Jam verò tantum non in omnibus civitatibus illud obſervatur, ut nemo cum injuria alterius locupletior fiat, variasque generis pœnæ tranſgreſſoribus dictitantur. Ita in Ro. Repub. determinatio Juris erat alia circa furtum manifeſtum, alia circa nec manifeſtum. Alia erat pœna rapinæ factæ, alia ejus, qui peculatus, aut repetundarum, aut ex l. Aquilia fuiſſet damnatus. Gravis quoque & non una erat illorum pœna, qui per crimen falſi alienas opes ad ſe traducebant: non alium ob finem, quàm ut incolumis eſſet civium conjunctio, uti hic inquit Cicero. Ad eundem finem pertinent omnia Prætorum edicta atque Interdicta poſſeſſoria. Cum enim Dominium modò ſit plenum, modò minus plenum, cujusque juri proſpici per legum præſidia jubet ſocietatis civilis ratio, ſicut cuique etiam ſalvam oporteat eſſe, non ſolùm proprietatem rerum, ſed & poſſeſſionem, à qua naturaliter dominium incipit. *l.* 1. §. 1. *ff. de adq. vel am. poſſ.* & quodcunque jus ſive in re, ſive ad rem, ut hæc à JCtis diſtingui ſolent. Atque hoc ipſum, quod cum naturali tum civili decreto eſt ſtatutum circa bona fortunæ, idem quoque obtinet in animi corporisque bonis, ne cui vi aut fraude detrahatur per injuriam, calumniam, obtrectationes, pulſationes, vulnere, necem & ſimilia.

*vinculis, damno coërcent.* (1) *Atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex divina, & humana: cui parere qui velit, (omnes autem parebunt qui ſecundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat.* (2) *Etenim multo magis eſt ſecundum naturam telſitas animi, & ma-*

(1) *Atque hoc multo.*) Etſi id magno ſtudio utrumque Jus cum Naturale, tum Civile agat, ne cuiquam iniquè quid detrahatur, hominis tamen naturæ maximè eſſe conſentaneum inquit, ſi Juri Naturæ, quàm civili propter pœnam fortè diſertè expreſſam, morem gerat. Nam, inquit, Naturæ ratio eſt lex divina & humana. Hoc eſt, Lex Naturæ eſt oratio à Providentia profecta, autorem habens ipſum Deum, conformis hominis rationali naturæ, adeoque omnes quoque homines obligans, quod eandem omnes naturam, & ex hujus naturæ conditione certum peculiaremque finem, quem certis actionibus legibus naturæ limitatis adſequantur, ab eodem autore propoſitum acceperint. Atque hoc eſt *ſecundum naturam vivere.* Docui aliàs, Jus ſeu Legem Naturæ ubi dixeris, duplici ſenſu hoc poſſe accipi: primò quidem, ut intelligas talem legem, quæ autorem habeat Deum, quem Philoſophi nonnulli Naturam Naturantem appellant: deinde, eam legem, quæ ſit conveniens & accommodata hominis naturæ rationali ac ſociali. Utrumque ſenſum videtur Cicero voluiſſe complecti, quando hanc Legem & divinam & humanam appellat.

(2) *Etenim multo.*) Vitioſè φίλαυτοι, inquit Ariſt. 9. *Nicom.* 8. §. 16. & 17. ſunt illi, *qui ubique ſibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ, & honoris attribuunt partem.*

Quid

*& magnitudo, itemque comitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ:* (1) *quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi, & excelſi eſt.* (2) *Detrahere autem alteri ſui commodi cauſſa, magis eſt contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera generis ejusdem*

*Quid ita? quoniam vulgus iſta ut præcipua hominis bona appetit, in iisq; præcipuum ſtudium ponit: ideoq; de iis vehementer dimicare homines inter ſe ſolent.* Hinc intelligimus, cujus notæ ſint illi, qui voluptatem, vitam quamvis turpem, & divitias quovis etiam titulo partas veris bonis, animi videlicet, præferunt. Magnanimus verò & excellenter bonus, juſtus, liberalis magis ſecundum naturam vivit, quæque bona ſuo pretio æſtimans, ſuum cuique tribuens, aliena iniquè non adfectans, quin potius indigos & dignos ſublevans, adeoque ea omnibus anteponit aliis, quæ naturæ ipſius rationali perfectionem & conſcientiæ ſincerum gaudium ac tranquillitatem conciliant. Et verò quomodo ſpeciatim in his ſeſe gerat Magnanimus, egregiè docet Philoſophus 4. *Nicom.* 3. §. 38. *ſeqq.*

(1) *Quæ quidem contemnere.*) Si quis voluptatem, vitam, divitias cum utilitate communi comparet, quæ maximè animi bonis, juſtitia aliisque virtutibus obtinetur, & videat, utilitatis communis rationem exigere, ut vitam & alia ejus generis bona contemnat, is ſua fortitudine, aut temperantia, aut continentia, aut liberalitate utilitatem communem promoturus, ſanè magnum & excelſum animum omnibus oſtendit.

(2) *Detrahere.*) Repetit ſuam Formulam jam ſuprà explicatam.

*dem.* (1) *Itemq; magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis maximos labores, molestiasque suscipere: imitantes Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocavit: quam vivere in solitudine non modo sine*

(1) *Itemq; magis.*) Stoici, uti ex *lib.* 1. *Offic.* didicimus ita statuebant, omnia hominis gratia esse condita, Hominem verò propter hominem. Rectiùs si ita dixissent, Hominem esse propter hominem, cumprimis autem propter Deum. Si enim omnia sunt propter hominem, nonne eo nomine gratias debet, & cultum, & obsequium, Autori illorum? Benefactoribus enim si gratia referenda est, quæ illi persolvi sat digna poterit, cujus infinita sunt beneficia, & cujus providentia indies sustentantur, conservantur & propagantur? Deinde si Homo hominis est causa, secundùm Naturam est, ut Homo homini prosit, quemadmodum contra Naturam est, si Homo homini noceat. Quo verò pluribus, & quo majori opera ac studio, prodesse possumus, ita maximè secundum Naturam hoc erit, id est, rationi & honestati maximè erit consentaneum. Si quis igitur, Herculis exemplo, beneficiis nullas non gentes sibi devincire posset, is uti optimè viveret, ita sanè illud vitæ genus aversaretur, quo bene merendi occasio præripitur, quale est solitarium. Quo igitur quisque est melior & humanior, hoc est κοινωνικώτερος ac πολιτικώτερος, ita segregem vitam magis detestabitur, tanquam inimicam Officiorum communicationi. Hinc cum Aristoteles 1. *Polit.* 2. *pag.* 6. dixisset, Hominem naturâ esse ζῶον πολιτικὸν, addit: καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν, καὶ ὃ διὰ

*ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine, & viribus. Quocirca optimo quisque ſplendidiſſimoque ingenio longe illam vitam huic anteponit.* (1) *Ex quo efficitur, hominem, naturæ obedientem, homini nocere non poſſe.*

ὃ διὰ τύχην, ἄτοπος φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. *Qui natura abhorret à civitate, non aliquo caſu inde avulſus, vel improbus eſt, vel homine melior.* Addit Cicero, etiamſi omnia bona divina quadam virgula ſuppeditentur ſolitariis illis, non tamen poſſe eſſe jucundam illi hanc vitam, qui animo ſit excelſo, & officiorum præſtandorum cupido. Hoc verò qui velit, in ſocietate cum aliis vivat neceſſe eſt, ad finem naturæ aptè conſtituta. Huc ſpectat illud cujuſdam dictum, ſe nec in Paradiſo ſolum velle degere. Quando autem Herculem imitandum proponit, Heroicarum virtutum exemplum videtur exhibere, quod in vita ſequamur. Nam quidquid olim magni ac præclari geſtum fuit, illud omne ſolitum fuiſſe tribui Herculi notum eſt; quicunque etiam ille fuiſſet: unde tot ſunt Herculis nomine celebrati viri, ceu jam ab aliis obſervatum eſt.

(1) *Ex quo efficitur.*) Cum contrariorum contraria ſint conſequentia, facilè ex ſuperioribus hæ formulæ colliguntur, quod, qui velit ductum naturæ ſequi, non adſpernari debeat ſocietatem: atque hanc qui velit colere, officiorum & virtutum communicatione debeat partes ſeu membra ſocietatis ſibi conciliare ac devincire: unde non poteſt non ſequi, qui omni ſtudio & ope ſint juvandi, illos iniquè non eſſe lædendos.

*posse.*(1) *Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur; aut nihil se existimat contra naturam facere; aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam injuriam. Si nihil existimat contra naturam*

His Ciceronis formulis consentanea sunt illa tria Juris præcepta ab Ulpiano præ aliis commendata *l.*10.*ff. de I. & I. Honestè vivere, Alterum non ladere, suum cuique tribuere.*

(1) *Deinde qui.*) Adfert jam Dilemma. Si quis violat alterum, vel hoc fit supina quadam ignorantia, non existimans id contra naturam esse: vel quidem hoc scit, sed corporis & fortunæ bona iis injuriis potiora habet. Si prius, nec disputandum nec contendendum cum tali est, quod hominem ex homine tollat, sed suppliciis ille coërcendus fuerit. Quid verò sit hominem ex homine tollere, eleganter Aristoteles interpretatur 6.*Nicom.*5.§. 16. *Vitium*, inquit, *principii delendi ac perimendi vim habet.* Clarius idem *eod. lib.* c 12.§.33. *Pervertit & depravat judicium rationis vitiositas, efficitq;, ut de principiis actionum falsum judicemus.* Et 7.*Nicom.*8.§.12. *Ut Virtus principium tuetur & conservat, ita Vitiositas perdit atque exstinguit.* Principium igitur est Rationis seu Intellectus judicium. Virtus igitur cum sit perfectio illius, cujus virtus dicitur, si illa adsit, rectè Intellectus judicabit, & verum bonum ab apparente probè discernet. At vitium corrumpit principium, hoc est depravat judicium, ut Honesti faciem non jam amplius agnoscat. Hinc ita Aristoteles 3.*Nicom.*1.§.38. *Ignorare quæ sunt agenda, & à quibus item est abstinendum, est quidem illud ejusmodi, quod omnibus improbis conveniat: atque adeo*

ex

*turam fieri hominibus violandis: quid cum eo differas, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem censet, sed multo illa pejora mortem, paupertatem, dolorem: erat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius existimat.* (1) *Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniusex ista re homines efficiuntur injusti, imò mali.* Unde ibidem mox hujusmodi ignorantia illi appellatur ἡ ἐν τῇ προαιρέσει ἄγνοια, talis scilicet, quam nostro nobis jumento arcessivimus. Quia igitur ex debito Rationis usu Homo potissimùm æstimatur, nonne, qui illo unicè ad malum aliorumque perniciem abutitur, hominem quasi ex homine tollit? Posterius Dilemmatis membrum quod attinet, si lædens sciat, debuisse operam se dare, ne læderet, adductum verò ad læsionem fuisse, quod corporis & fortunæ vitia seu mala animi vitiis majora putaverit, & hunc errorem maximum esse pronuntiat. Quo enim quæque res sua natura præstantior est, ita quoque Virtus seu bonum, quo illa perficitur, erit præstantius. Verbi gratia, præstantior est Sanitas splendido ædificio, atque istâ præstantior est Justitia. Jam quod optimo contrarium, pessimum est: 8. *Nicom.* 10. §. 9. Animi igitur vitia, injustitia, avaritia, crudelitas, ejus generis alia, sunt fœdissima, multò sanè fœdiora hydrope, scabie, lepra aut quavis febre. Et hæc corporis vitia sunt multò molestiora, quàm sterilis ager, angustus hortus, aut nullus.

(1) *Ergo unum.*) Repetit suam Formulam, Hominem natum esse, ut homini prosit, & utilitati communi esse serviendum: cui quidquid repugnat contra naturam esse dicit. Quod verò de singulorum & universorum communi utilitate promovenda docet, hanc habet



Digitized by Google

*uniuscujusque, & universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio. Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumq; sit, ob eam ipsam caussam tamen,*

rationem. Est quædam universi generis humani societas, & cognationem quandam inter nos Natura constituit, uti pulchrè loquitur Florentinus *l. 3. ff. de I. I.* Ubi societas est, ibi bonorum necesse est communio adsit. Ubi bonorum communio, ibi Jus & Amicitia simul erit. Deinde quanta est bonorum communio, tanta est illius societatis amicitia & Jus. Si jam quæramus quantam bonorum & officiorum communicationem exigat natura Societatis humanæ, profectò eadem ferè erit singulorum & universorum utilitas nobis proponenda. Etiamsi igitur de Jure naturæ mihi seorsim res necessarias parare rectè potero, si tamen mihi aliquid superfit aut accesserit, quo aliis inservire queam, omnino obligatus sum ad omnis generis officia, virtutumque actiones exercendas: in iis enim Jus Naturæ consistit, quo hæc Societas regitur. Idque facere ita debeo, licet nulla alia argumenta me constringant, modo hominem esse videam. Interim cum in illa universali omnium hominum societate sint etiam aliæ contractiores magisque speciales, etiam à Natura institutæ, sanè discrimen illud est observandum, ut, si sanctiori fide & pacto ejusmodi specialem societatem ingressus aut nactus fuero, v.g. nuptialem, aut paternam, me magis conjugi & liberis esse obligatum, meminerim, quam extra illam positis. Etsi igitur omnibus hominibus prodesse debeam, his tamen præcipuè adstrictus sum. Harum enim Societatum ea est natura, ut in iis major rerum, bonorum & officiorum exigatur communio. In Herili quidem societate minor est rerum communio & amicitia; interim tamen omnis barbara sævitia in servos

est

*tamen, quod is homo ſit, conſultum velit: neceſſe eſt, ſecundum eandem naturam omnium utilitatẽ eſſe communem.* (1) *Quod ſi ita eſt, una continemur omnes, & eadem lege naturæ. Idq; ipſum ſi ita eſt, certe violare alterum lege naturæ prohibemur. Verum autem primum: verum igitur & extremũ.* (2) *Nam illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt,* eſt Jure naturę prohibita, & heri ad omnia illa officia ſunt obligati ſervis, quæ homo debet homini; eſt n. ſervus utique homo, etiamſi forſan ut vult Ariſtoteles, minus ſapiat. Liberalius etiam tractandi ſunt ii, qui liberaliter ſerviunt, quales multi ex iis ſunt, qui ſervitutem ſerviunt legitimam, bellis videl. capti. Hinc Ariſtot. 8. *Nic.* 11. §. 16. ſeq. *Qua ſervus eſt id, quod eſt,* (inſtrumentum animatũ) *nulla cum eo amicitia intercedit domino: ſed quà homo eſt, aliqua. Nam omni homini cum eo, cum quo pactionum & rerum contrahendarum ratio nobis eſſe poteſt, jus aliquod intercedere videtur. Ergo & amicitia, quatenus homo eſt.* Deinde & hoc notantum eſt, non hic intelligendam eſſe talem bonorum communionem, quæ Meum & Tuum, adeoque dominia rerum tollat, aut perturbet, ſed facilem debere quemvis inveniri hominem, benefaciendi & communicandi de ſuo aliis.

(1) *Quod ſi ita.*) Hinc jam conſtruit Syllogiſmũ Hypotheticum: Si eadem lege Naturæ omnes homines adſtricti ſunt, ut ſocietate eodemq; jure conjuncti proſint ſibi invicem, ſequitur alterum ab altero minimè eſſe violandum; Verum autem primum; Verum igitur & extremum. Nos vulgò dicimus: Atqui verum prius, ſeu antecedens, Ergo & verum poſterius, ſeu conſequens.

(2) *Nam illud.*) Hominem homini obligatum eſſe ad mutua ſubſidia præſtanda, abunde cognitum eſt; non tamen omnibus omnia aut eadem homo debet, uti etiam

legitur

*dicunt, parenti se, aut fratri, nihil detracturos commodi sui caussa: aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil juris, & nullam societatem communis utilitatis caussa statuunt esse cum civibus.* (1) *Quæ sententia omnem societatem distra-*

legitur 9. *Nicom.* 2. & à contrario à Philosopho ostenditur 8. *Nicom.* 9. §. 10. ubi dicit, gravius esse Fratrem decipere, quam civem. Interim etiamsi quis his aut illis inæqualiter obligatus sit, est tamen omnibus obligatus: ut meritò secus existimantium absurdam esse pronuntiet sententiam; qualis v. g. illius foret, qui nemini benefacturus, eo obtentu uteretur, quod liberos haberet alendos, cum tamen non his solùm, sed & pluribus ejus facultates sufficerent.

(1) *Quæ sententia.*) Rectè. Sic enim longissimè recederetur à fine civilis societatis: sublato autem fine civitatis, ipsa intereat necesse est. Quis verò est finis Civitatis? ut non solùm vivere mihi in illa, sed & commodè ac beatè vivere liceat. Arist. 1. *Pol.* 2. *pr.* Jam verò quî fieri posset, ut πάσης τῆς αὐταρκείας πέρας indipiscerentur cives, si amicitiam rerumque communionem ultra parentes aut fratres extendere nollent? Hic enim si claudi debeat humanum subsidium, quorsum civilis societas vel à natura constituta, vel ab ipsis esset inita? Ipse Aristoteles quàm latè porrigat τὸ αὔταρκες felicitatis civilis, hic cognoscere interest: *Non quod sibi soli, vitam soli vagam agenti, sed quod parentibus etiam, ac liberis, & conjugi, & omnino amicis ac civibus satis est, quandoquidem Homo ad vitam societatemq; civilem natus est.* 1. *Nicom.* 7. §. 20. 21. Quam liberalem extensionem ne quis cavilletur, mox Philosophus restrictionem subjicit, quæ ibi videri poterit.

Qui

*distrahit civitatis.* (1) *Qui autem civium rationẽ dicunt esse habendam, externorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem; qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. Quæ qui tollunt, etiam adversus deos immortaleis impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homi-*

(1) *Qui autem.*) Sunt alii, qui benevolentiæ ac societatis humanæ fructus etiam ad cives porrigunt, exteros autem nihil ad se pertinere dictitant. Hinc verò illud absurdum emergeret, per civilis societatis constitutionem tolli universi generis humani cognationem jura ac consociationem. Etsi enim hominibus à Natura secundum Aristotelem impressus sit appetitus civilis societatis, ut arctiori conjunctione legibus civilibus constrictâ facilius suis commodis ac securitati prospiciant; non tamen hæc civilia pacta possunt infringere aut rescindere Juris naturæ vincula, quibus devincti sumus omnibus hominibus, quà talibus. Locum hic habere quodammodo potest illa Juris regula, *Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt. l. 8. ff. de R. I.* Si qui tamen sint, qui in hac opinione perseverent, omnes virtutes tollunt. Quid ita? quia Justitia universalis, quæ omnes virtutes cum relatione ad alios complectitur, non sanè obligat nos ad subsidium solis civibus, sed omnibus omnino hominibus, siquidem se non indignos reddiderint, præstandum. Pergit hinc colligere, si quis præfractè tollat virtutes, hunc esse impium. Quid ita? quia superioris alicujus autoritate, quæ humana major sit, ad illas

sumus

*homini detrahere ſui commodi cauſſa, quam omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis,* (1) *vel etiam ipſius animi, quæ vacent juſtitia. Hæc enim una virtus omnium eſt domina, & regina virtutũ.* (2) *Forſitan quiſpiam dixerit: Nonne igitur*

ſumus obligati, nec ſanè noſtri arbitrii eſt, velle illo nexu teneri, nec ne. Imo cum ejusmodi opinio penitus naturæ noſtræ rationali ſit refragatura, divinæ illa particula auræ in nobis impiè proculcaretur.

(1) *Vel etiam.*) Denuo occaſionem arripit Juſtitiam extollendi, cujus ſanè uſum multò maximũ eſſe fatemur. Per incommoda externa, paupertatem, per corporis, deformitatem, imbecillitatem, morbos, per animi, curas, mœrorem, ejusgeneris alia intelligit. Præſtat itaque eſſe pauperem, quàm cum injuria aliorum diteſcere. Præſtat eſſe imbellem & morboſum, quam eſſe robuſtum & violenter lædere alios. Præſtat dolorem ex egeſtate aliisve incommodis ſine tuo vitio arceſſitis ſentire, quàm ex turpibus actionibus delectationem capere: ita præſtat propter inopiam non eruditi, quàm eruditionem partam ad dolos & fraudes convertere. Notandum hic eſt, pro his verbis, *Quæ vacent juſtitia*, unum Manutii codicem, *Quæ non vacent juſtitia*, & Ubaldinũ legere, *Quæ vacent injuſtitia.* Quas ſanè lectiones illi vulgari libenter præferrem, ut hæc ſit Ciceronis ſententia: Hominem erga alios in ſocietate humana ita debere eſſe adfectum, ut malit ſubire incommoda & fortunæ, & corporis, & animi, modò ab his abſit injuſtitia, quàm alterum iniquè lædere.

(2) *Forſitan.*) Exhibet jam Quæſtiones ex variorum attributorum πειρασί dubias. Sapientem ille hic intelligit, ex ſententia Stoicorum, Hominem, qui cum Jove ex pari vivat, imò illo (ſi Diis placet) ſuperior ſit. Talis igitur

Digitized by Google

*tur ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibũ alteri, homini ad nullam rem utili? Minimè verò. Non enim mihi eſt vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia.* (1) *Quid? ſi Phalarim, crudelem tyrannũ,* &

igitur quàm multis poſſit eſſe utilis, quis non intelligit? adeoque ex Lucano quis ita de hoc ſtatuere poſſet:

*Cum tot ab hac anima populorum vita ſalusq́*
*Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis,*
*Sævitia eſt voluiſſe mori.*

Huic igitur ſapienti homini tam neceſſario, & Phœnice rariori opponitur hic à Cicerone homo prorſus inutilis, ἀτώσιον ἄχθος ἀρούρης, *pondus inutile terræ*, & quæritur, an non Sapiens huic eripere panem poſſit, ſiquidem alia ratione ſalvus eſſe nequeat. Negat Cicero, quod propoſitum lædendi alterum multò grandius malum ſit, quàm τὸ vivere bonum: & quod Sapienti non tam τὸ non-vivere malum ſit, quàm innocentia & juſtitia illi bonum eſt. Eſt quidem ita, ut, ſi in graviſſima neceſſitate, & quidem fame, vel omnino non peccetur, vel peccatum hoc leviſſimum, & venia facili dignum ſit, ſi alienis eſculentis ad explendam famem uſus fueris. Verum ne hæc licentia evagetur, quod facilè accidere poſſet, cum alia obſervanda ſunt, tum illud etiam, an pari neceſſitate ipſe poſſeſſor teneatur: quo poſito, non concedendum alteri, ut poſſidentis conditionem deteriorem reddat, ſuam ſublevet. *Melior eſt cauſa*, inquit Curtius, *ſuum non tradentis, quàm poſcentis alienum.* Plura hac de re diximus ad Grotii *lib. 2. de J. B. P. c. 2. §. 6. ſeqq.*

(1) *Quid? ſi Phalarim.*) Quæſtio perſpicuè in textu proponitur, ad quam Cicero diſtinctione adhibita reſpondet. Vel enim ille Vir bonus eſt privatus ſibiq́; ſolùm utilis,

*& immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit, nonne faciat? Hæc adjudicandum sunt facillima. Nam si quid ab homine ad nullam partem utilitatis tuæ caussa detraxeris, inhumane feceris, contraque naturæ legem: sin autem is tu sis, qui multam utilitatem Reipublicæ atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis: si quid ob eam caussam alteri detraxeris, non*

utilis, vel Reip. plurimum prodest. Hanc distinctionem jam quidem ratam habeamus. Censet itaque Cicero prioris conditionis hominem non posse licitè spoliare Phalarim, posterioris verò posse. A priori enim si hoc fiat esse inhumanum; ubi enim par utrobique est necessitas, possidentis conditio melior videtur, ut contra rationem & naturam hominis esse videatur, velle illi quidquam eripere. A posteriore si idem fiat, excusari hujus factum salute publica; sicut duo cum faciant idem, non sit idem. Et verò hanc responsionem facillimè Ciceronem expediviſſe legimus. Verum enimvero plures hic sunt attendendæ διαιρέσεις, antequam planè possis de ea esse certus. Primò hic considerandū est, qualis sit ille Tyrannus, deinde alter ille quis sit, subditusne an extraneus. Si subditus, an unquam fuerit à tyranno crudeliter habitus, nec ne, an item universus populus imperium tyranno derogaverit, & in privatam conditionem redactum cuivis occidendum exposuerit: & an ad ejusmodi exsecutionem populo jus fuerit. Sin extraneus, an hic sit privatus, an gerat magistratum, aut sit Princeps, & quidem bonus, vel an æquè malus. Tum ille extraneus, sive privatam sive publicam sustinuerit personam, an à tyranno læsus fuerit, nec ne, an sola humanitatis ratione motus tyrannide oppressis eat auxiliatum. Hæc sin-

*non ſit reprehendendum: ſin autem non ſit ejusmodi, ſuum cuique incommodum ferendum eſt potius, quam de alterius commodis ſubtrahendum. Non igitur magis eſt contra naturã morbus, aut egeſtas, aut*

ſingularia multùm diverſam reſponſionem pariunt. Sed inhæreamus textui Ciceronis, & inde reſponſionem ulteriorem formemus. Supponit ille tyrannum planè immanem, qualis fuit Agrigentinus ille Phalaris, adverſus quem etiam ſubditis videntur arma permiſſa, ut tanquam belluam talem tyrannum irruentem omniaq; laniantem, & Reip. hoſtem ſe ferentem, interimant. Cum ejusmodi tyrannis dicit nobis nullam eſſe ſocietatem, ac per conſequens, nullum jus: adeoque cur hic diverſum ſtatuat, quàm occaſione præcedentis quæſtionis fecerat, hæc videtur eſſe ratio, quod Tyrannus non ſolùm ſit homo inutilis, ſed planè pernicioſus ac peſtilens. Deinde inquit, non adverſari naturæ, ſpoliare eum, quem occidere licet. Quod verò ejusmodi tyrannos exterminare liceat, confidenter hac in re Græcos ſequitur. Qui enim inſtar luporum & leonum in humano genere & ſocietate graſſantur, in Deum extremè impii, in homines extremè iniqui & crudeles ſunt, horum ſanè ferina immanitas non iniquè videtur domari & reprimi poſſe. Hinc ita loquitur Cicero: *Sic iſta in figura hominis feritas, & immanitas bellua à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. Add. Grot. 3. de J. B. P. c. 19. n. 3. Alb. Gentil. l. 1. de Jure belli c. 1. p. m. 8.* Etſi verò in tales humani generis facies, & lutum ſanguine maceratum, tale quid certis ſtatuere caſibus liceat; diligenter tamen notandum eſt, quod idem Cicero paulò antè monet: *modo hoc ita fiat, ut ne quis ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeque diligens, hanc cauſam habeat ad injuriam.* Hinc

*aut quid ejusmodi, quam detractio, atque appetitio alieni.* (1) *Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est: est enim injusta. Itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominis conservat, & continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ: qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans, seseque diligens, hanc caussam habeat ad injuriam. Itaque semper officio fungatur, utilitati consu-*

llam Ciceronis formulam, quam in truculentissimis tyrannis certo modo admisimus, non sanè universaliter veram & infallibilem amplecti debemus, videlicet, Nullam nobis cum tyrannis esse societatem, sed potius summam distractionem; Etiamsi idem dicant alii. Proinde Grotius disertè illam repudiat 3. *de J.B.P. c.* 19. *n.* 2. Addatur illius *l.* 2. *c.* 13. *n.* 15. Quod verò quem occidere nefas non sit, spoliare liceat, & quæ hinc alia produci queant, videatur Idem *lib.* 3. *ejusdem Operis c.* 5. *n.* 1. quamvis illud ipsum non simpliciter procedat. Fieri enim potest, ut ex decreto Reip. aliquis proscriptus impunè possit occidi, quem tamen non liceat spoliare, sed bona ejus heredibus sint relinquenda, nisi lege aliud constitutum sit. Licet quoq; jure gentium occidere hostium feminas quandoque, pudicitia easdem spoliare non licet. *Alb. Gentil. l.* 2. *de jur. belli. c.* 21. *p. m.* 421. Quod jure gentium licere dixi, quomodo sit intelligendum, non semel docet Grotius *lib.* 3. *de J.B.P.*

(1) *Sed communis.*) Si quis inutilis homo, qui tamen aliis non sit infestus, veluti tyrannus, hominem bonum & pu-

*consulens hominum, & ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium est. Nulla est enim societas nobis cum tyrannis, sed potius summa distractio: neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est necare: atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum est.* (1) *Etenim, ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à communi tanquam humanitate corporis segreganda est.* (2) *Hujus generis quæstiones sunt omnes eæ, in quibus ex tem-*

& publicè valde utilem fame adfligi viderit, sic ut ea sit perituru s, nisi ipse suum cibum ipsi concedat, mortemq; obeat; docet Cicero jure societatis hunc esse obligatum, ut mortem suam præoptet, eaque ratione salvum præstat eximium illum hominem. Grotius mavult ejus actionis necessitudinem tribuere legi Charitatis: cujus hæc sunt verba: *Ut meo unius bono multorum admodum bonum præferam, Charitas monet sæpe, imperat interdum. lib. 2. de J. B. P. c. 1. §. 9.*

(1) *Etenim ut membra.*) Quibus casibus liceat tyrannos ceu putrida societatis membra è medio tollere, cum alibi ad Grotium prolixius disputatum est, tum ad *lib. 1. de J. B. P. c. 4. §. 11. 16. seqq.*

(2) *Hujus generis.*) Hujusmodi quæstiones variam dubitationem consequuntur ex περιστάσει temporum. Hinc Aristoteles argutè loquitur 3. *Nicom.* 1. §. 10. τὸ τέλος

*tempore officium exquiritur.* (1) *Ejusmodi igitur credo res Panætium persecuturum fuisse, nisi aliquis casus, aut occupatio consilium ejus prævenisset. Ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa præcepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum, quid sit id quod idcirco fugiendum non sit,* (2) *quia omnino turpe non est. Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tanquam fastigium imponimus;* (3) *ut geometræ solent non omnia docere, sed*

τῆς πράξεως καὶ τὸν καιρόν ἔχει. Quæ verba ita exprimit Vetus Paraphrastes: *Uniuscujusque actionis finis talis aut talis est pro tempore; & respectu temporis aut bonus fit aut malus.* Ubi nota non dici hoc tempus χρόνον, sed καιρόν. Sed quæso quæ est differentia utriusque? Illud paucis perelegánter docet Medicorum Coryphæus Hippocrates initio προγγελιῶν: χρόνος ἐστὶν, ἐν ᾧ καιρός. καὶ καιρὸς, ἐν ᾧ χρόνος πολύς. Hæc ita Antitius Foësius transtulit: *Tempus dicendum est, in quo occasio consistit. Occasio autem, in qua tempus non multum.*

(1) *Ejusmodi igitur.*) Hæc sunt προοιμιώδη, & frustra toties repetuntur.

(2) *Quia omnino.*) Meretur hic notari oppositio inter τὸ Turpe, & quod omnino turpe non est: unde jam manifestè colligitur, Stoicos non inhæsisse propriæ significationi Honesti, sed latiori, videlicet, quidquid non est inhonestum.

(3) *Ut Geometræ.*) Omnis doctrina à notioribus ad minus nota progredi debet. Quia igitur sæpe fit, ut auditores non sint capaces percipiendi semper τὸ διότι, primùm

*ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quo facilius, quæ velint, explicent: ſic ego à te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, ſi potes, nihil præter id, quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum. Sin hoc non licet propter Cratippum: at illud certe dabis, quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum. Mihi utrumvis ſatis eſt: & cum hoc,*

primùm illis τὸ ὅτι imprimendum eſt. Hoc ut obtineamus, ſæpe utimur Hypotheſibus, quibus ſi forſan auditor adſentiri nolit, Geometrarum exempla poſtulamus & exigimus fidem & adſenſum ejus, donec aliàs liceat illam hypotheſin demonſtrare. Atque hinc illæ ὑποθέσεις dicuntur αἰτήματα, Euclidi *Poſtulata:* Caſſiodoro *Petitiones*: Martiano Capellæ, *Concedenda*. Proponit itaque Cicero duo Poſtulata, Nihil propter ſe eſt expetendum præterquam Honeſtum. Alterum hoc eſt, Quod Honeſtum eſt, illud maximè propter ſe eſt expetendum. Circa prius dubitat, an Filius ſit adſenſurus, quod aliter à Cratippo Peripatetico forſan edoctus fuerit. Sibi verò inquit utrumvis ſatis ad præſens propoſitum eſſe, ſive Peripateticos, ſive Stoicos filius ſequatur, Honeſtum maximè propter ſe expetendum, & Utili præponendum eſſe. Deinde Academicam inconſtantiam ſubindicans inquit, in hac doctrina nullam ſententiam ſibi videri probabilem, niſi Peripateticorum, & Stoicorum, atque adeò utramq; admitti poſſe, ut ſive adſumas Honeſtum Peripateticorum, quod illi ab Utili ſeorſim ponebant: ſive Honeſtum Stoicorum, quod ita cum Vtili complicabat, ut nihil utile eſſet, quod non idem eſſet honeſtum; utrumque probabile admodum ſit ad illud demonſtrandũ, Nihil eſſe utile, quod non idem ſit honeſtũ. De hiſce quid ſentiendũ

*hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile.* (1) *Ac primum Panætius in hoc loco defendendus est, quod non, utilia cum honestis pugnare dixerit aliquando posse, (neque enim ei fas erat) sed ea, quæ viderentur utilia. Nihil verò utile, quod non idem honestum: nec honestum, quod non idem utile sit, sæpe testatur: negatque, ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore dijudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam. Hanc igitur*

sit, circa initium Libri II. pluribus dictum est; & jam nota est illa æquivocatio, unde omnis illa discrepantia oritur Hoc tamen dissimulandum non est, posterius Postulatum esse verissimum, non item prius. Multa enim propter se expetuntur, quę non sunt Honesta, v.g. Sanitas, & quæcunque jucundorum bonorum censu veniunt.

(1) *Ac primum.*) Dicat quis, si vera est hæc Hypothesis, Nihil esse utile, quod non honestum, nec honestum quidquam quod non idem utile, atque hæc nonnisi pestilentissimo hominum errore distrahi; quo jure Panætius sibi proponere potuit, ut doceret, si hinc Honestum, atque hinc Utile ostentaretur, utrum esset eligendum, cum hæc sint eadem, & nunquam sibi adversari queant. Si igitur voluit θέσιν διαφυλάττειν, καὶ ὁμολογούμενα λέγειν ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς, ut Aristoteles loquitur, ejusmodi contentionem non potuit rectè instituere. Ut igitur Cicero hoc à Panætio avertat, & ipse θέσει διαλύει, ita illum excusans, non existimasse Magistrum suum, ac si vera aliquando inter Honestum & Utile

pugna

*igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis: sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quidquam de hac parte post Panætium explicatum est, quod mihi probaretur, de iis, quæ in manus meas pervenerunt.* §. §.

(1) *Cum igitur aliqua species utilitatis objecta est, nos commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit,*

pugna existere queat; sed offerre sese nonnunquam talia, quæ speciem Utilitatis sub larva quadam præse ferant, cum nihil minus sint quàm Utilia, quod Honestati repugnent: præsertim cum ex Stoica hypothesi verè Utilia & Honesta planè sint eadem. Hæc igitur umbratilis pugna, inquit, non eo consilio à Panætio fuit instituta, ut aliquando Utile præferatur Honesto, sed ut verum Utile tantò rectiùs dignoscatur ab eo, quod nonnisi vanam speciem illius mentitur.

(1) *Cum igitur.*) Seriò jam rem aggreditur. Si, inquit, ea se specie aliquid nobis offerat, quod commodum, ornamentum aut incrementum corpori aut fortunis nostris addere possit, necesse est appetitum illa boni specie pellici ac commoveri. Cæterum ne fallax fortè bonum persequaris, subitò mentis aciem intende, &, si illam utilitatem sic existimatam cum turpitudine aliqua revera conjunctam esse intellexeris, apage illam Vtilitatem. Nam ubi turpitudo est, ibi utilitas esse non potest. Quod argumentum rectè intellectum, verissimum est. Nec enim quidquam revera aut constanter est Vtile, quod Honestati repugnat, & cum turpitudine conjunctū

*ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quodſi nihil eſt tam contra naturam, quam turpitudo; (recta enim, & convenientia, & conſtantia natura deſiderat, aſpernaturq; contraria) (1) nihilque tam ſecundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utili turpitudo eſſe non poteſt. (2) Itemque, ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaque aut ſola expetenda eſt, ut Zenoni eſt viſum, aut certe omni pondere gravior*

eſt. Natura verò & recta Ratio conſtantia deliderat & convenientia hoc eſt, illa utilia admittit, quæ honeſtati non adverſantur, nec quæ ad breve momentum ſunt Vtilia futura, mox autem propter turpitudinem admiſtam vel ſubſecuturam peritura, ſed quæ conſiſtere aliquandiu aut perpetuò poterunt, eò, quod Honeſtati non ſint contraria.

(1) *Nihilq; tam.*) Cum plurimis homo indigeat vitæ inſtrumentis, & in illius commodum omnia ſint condita, ſecundum naturam eſt expetere res utiles. Sed hic adverte Stoicam ῥῆσιν & ſententiam, tum demum hoc eſſe Naturæ conſentaneum, ſi appetitus noſter circa utilium expetitionem rectè ſit informatus, id quod fit per virtutes morales. Jam verò res utiles, quæ cum tali delectu, & virtutis habitu προαιρετικῷ expetuntur, nullam turpitudinis maculam ſecum trahunt.

(2) *Itemq; ſi.*) Ita ſanè eſt, ad Honeſtatem nati ſumus, omniaque alia bona debitis officiis huc præcipuè ſunt referenda. Quod verò addit, ex ſententia Zenonis ſolum Honeſtum eſſe expetendum, oritur illa ex multiplici & æquè futili Stoicorum diviſione bonorum; imò quod nullum verum bonum exiſtimarent, quàm Honeſtum. Quod verò ex Ariſtotelis ſententia docet, Honeſtũ

eſſe

*gravior est habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum,* (1) *quod autem bonum, id certe utile. Itaque quidquid honestum, id utile.* (2) *Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc*

*sicæ,*

esse maximè expetendum, verissimum illud est. Nec minus illud, quod inde colligitur, esse idem summum bonum. Nam quod maximè propter se expetitur, nunquam propter aliud, & ad quod omnia alia referuntur, illud est summum bonum humanum, uti pluribus demonstratur ab Aristotele 1. *Nicom.* Sunt interim multa alius generis etiam bona, quæ, licet Honestati, ceu summo bono & fini ultimo sunt subordinata, nihilominus expetibilia sunt.

(1) *Quod autem bonum.*) Porrò ita colligit, Quidquid est bonum, illud est utile, Honestum est bonum, Ergo Honestum est utile. Huc scilicet jam reducere suam disputationem studet, ut demonstret, simpliciter idem esse Honestum & utile, & reciprocè de se invicem hæc prædicari posse; quod tamen isto argumento neq; infertur, neque evincitur. Sed, quod toties monui, latet omnis rei vis in solida explicatione terminorum, quæ toties iteranda non est.

(2) *Quare error.*) Contrarium statuere improbos inquit, idq; errore suo, ex vitiis nato. Vitia enim, uti supra pluribus dictum fuit, corrumpit judicium mentis, ut circa bonum & malum dijudicandum mirificè hallucinetur, & aliud utile fingat, aliud honestum, etiamsi istud huic repugnat. Illustrat idipsum multis singularibus: ex quibus unum solùm desumam, ad cujus exemplum

*ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur; hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptionesq; ſociorum, & civium: (1) hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ: poſtremo etiam in liberis*

reliqua item erunt interpretanda. Sicarius dolosè interimere alium, facit illud ſæpe Vtilitatis cauſa, ut ſpoliet occiſum. Hoc ipſi videtur utile: idque inde fit, quod aliud faciat Vtile bonum, aliud Honeſtum, neque ſolùm illud ab hoc diverſum, ſed & huic adverſum. Quod ſi ille diſcrimen tale non apud animum ſuum conſtituiſſet, nunquam tale quid patraret, quod ſcilicet nihil poſſit eſſe verè utile, quod non ſit honeſtum, hoc eſt, ei ſaltem non adverſetur: & ſummè eſſe inutilia, quæ cum ſcelere & turpitudine ſunt conjuncta.

(1) *Hinc opum.*) Diteſcere per varia injuſtitiæ genera multis errore mentis, per vitium avaritiæ occupatæ videtur utile; cum tamen hæc omnia Honeſtati quàm maximè ſint adverſa. Vtile autem hoc ambitioſis & improbis videtur, quod iis opibus uti poſſint ad opprimendam Reip. libertatem, & imperium ejus invadendum. Quibus verbis denuo notat Cæſarem. Oſtendit verò Cicero, non ſolùm hoc non eſſe utile, ſed quàm maximè inutile, & inhoneſtum; ut etiam tales opes per injuriam aut ſcelus corraſæ, ad tyrannidem invadendam deſtinatæ, non ſint ferendæ, ſed tempeſtivè ac prudenter minuendæ. Ideo remedii loco in præpotentes cives ab Athenienſibus adhibebatur ὀστρακισμὸς: de quo Plutarchus *in Ariſtotele, & Pericle*, Corn. Nepos, Diod. Siculus *lib.* 11. Pollux *lib.* 8. Thucid. *lib.* 8. Ariſtoteles 3. *Polit.* 9. Cœl. Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 21. *c.* 44. A Syracuſanis πεταλισμὸς, quo potentiores, ſcriptis eorum nominibus in foliis olivæ populi judicio ejiciebantur. Sic Romanos Scipio-

*liberis civitatibus exiſtunt regnandi cupiditates: quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt.*

Scipionem, liberæ civitati nimis potentem, in exilium egiſſe, autor eſt Livius *lib.* 38. Quod ſi etiam maturè Cæſaris potentiæ occurriſſent, rectius conſultum fuiſſet Reip. Ro. Qui cum jam omnia occupaſſet, nulla lege poterat conſtringi. *Riſum enim de ſe excitaret, qui experiretur lege tales illigare; dicerent enim fortaſſe eadem illa, quæ Antiſthenes ait leones dixiſſe, cum in concione verba facerent lepores, poſtularentq;, ut omnes æqualia haberent:* Verba ſunt Ariſtotelis 3. *Polit. 9. p. m.* 189. Alios inſuper minuendæ potentiæ luxuriantis modos videre licet apud Piccartum ad *d. c. Polit.* Bono quidem conſilio quondam in Rep. Ro. C. Licinius Stolo Tribunus pl. contra avaritiam ditiorum legem tulit, *Ne quis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris poſſideret*, teſtibus Varrone, Livio, aliis: quam cum vulgò negligi videret, Ti. Sempronius Gracchus Tribunus pl. nova ſibi lege muniendam duxit: de qua videri poterit Car. Sigonius *lib.* 1. *de ant. jur. civ. Rom. c.* 16. Vtiliſſimus quoque in tanta Vrbis & Imperii amplitudine fuit magiſtratus Cenſorum, quorum officium erat, deſcribere facultates civium, obſervare non ſolùm privatorum hominum, ſed & Senatorii & Equeſtris ordinis vitam moresque, illos pro re nata notare, Senatorem movere loco, Equiti adimere equum, & annulum, aliaque omnia tollere, aut emendare, quæ Reip. perniciem adferre videbantur. Dempſterus *antiq. Ro. lib.* 7. *c.* 10. Ab iis verò populus Ro. non ſatis bene ſibi cavit, qui ad periculum, damnum aut exitium Reip. inferendum erant paratiſſimi, imperatoribus ſuis, quibus opulentiſſimas ſæpe provincias, & firmiſſimas legiones, inte-

*poteſt. Emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident:* (1) *pœnam, non dico legum, quas ſæpe perrum-*

integrosque exercitus commiſerant. Nec enim ullius oraculi tanta fuit veritas, quàm horum Ariſtotelis verborum. *Qui in ſua manu habent arma, in eorundem arbitrio eſt, maneat, annon maneat Reſpublica 7. Polit. 9. p. m.* 459. Cæterum quod hic Cicero ait, de nimiarum opum potentia non ferenda, ſimpliciter & ubique verum non eſt. Si enim Princeps vicinæ Reip. potentiam nimis creſcentem ſuſpectam habeat, non ſane ipſi utile videri debet, quovis modo illam infringere, & hanc ad rem occaſione abuti; etiamſi, qui ſecus faciant, ſtolidos eſſe pronuntiet Polybius. Sæpè enim idipſum non fieri poteſt juſtè, adeoque factum illud non poteſt eſſe honeſtum, cui cum propter injuſtitiam repugnet, non quoque poterit eſſe verè utile. Vide quæ de hac quæſtione diſſerit Grotius *lib. 2. de J. B P. c. 1. §. 5. & 17.* Cujus inter alia hæc ſunt: *Ita vita humana eſt, ut plena ſecuritas nunquam nobis conſtet. Adverſus incertos metus à divina providentia, & ab innoxia cautione, non à vi præſidium petendum eſt.* Livia apud Dionem Caſſium ait, infamiam eos non effugere, qui facinus, quod timent, occupant. Quò etiam pertinet illud Vibii Criſpi: *Quis tibi ſic timere permiſit?*

(1) *Pœnam non dico.*) Tam indomitum ac corruptum habent appetitum, ut utilitatem, quam ſibi etiam ex ſcelere pollicentur, cæco eodemque protervo impetu ſectentur, & leges, tanquam aranearum telas veſpæ, (alludit enim ad notum Anacharſidis dictum) perfringant, cum tamen illos maneat pœna turpitudinis, quæ à Conſcientia propter malè actam vitam infligitur, eaque acerbiſſima. Hinc illa Conſcientiæ ſupplicia

pro

*perrumpunt, ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident.* (1) *Quamobrem hoc quidē deliberantium genus pellatur è medio,* (*eſt enim totū ſceleratum, & impium*) *qui deliberant, utrum id ſequan-*

pro *Sex. Roſcio* & *in Piſonem*, per Furiarum tædas ardentes à Poëtis denotata fuiſſe Cicero docet. Juvenalis *Satyr.* 13. hanc pœnam multò graviorem eſſe dictitat, Cæditii & Rhadamanti tormentis. Abſit igitur illa ἀθεότητος vox.

*Eſſe aliquos manes: & ſubterranea regna,*
*Nec pueri credunt, niſi qui nondum æra lavantur.*

Abſit illud Epicurei poëtæ, qui, cum multa de pœnis inferorum diſputaſſet, tandem egregio ſcilicet epiphonemate illa obſignat *lib.* 3. *Hæc neque ſunt usquam, neque poſſunt eſſe profectò.* Optimè Seneca *ep.* 93. *Prima illa & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe: nec ullum ſcelus* (etiamſi fortuna nonnullos ad tempus liberare videatur) *impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Nullum enim detrimentum majus excogitari poteſt, quàm quod animo infertur à vitio.* Atque hinc ex recentioribus inſignis ſanè Philoſophus Franciſcus Piccolomineus inter l'œnarum gradus malam Conſcientiam rectè collocat *Grad.* 9. *c.* 53.

(1) *Quamobrem.*) *Propoſitus eſt deliberanti ſcopus id, quod utile eſt. Et conſultant non de fine, ſed de iis, quæ ſunt ad finem: & hæc ſunt utilia in actionibus.* Verba ſunt Ariſtotelis 1. *Rhet.* 6. *pr.* Etſi igitur omnis deliberatio in quæſtionem vocet, quid utile ſit, aut inutile, ut hoc fugiat, illud eligat; non tamen tale debet eligi Utile, quod Honeſtati adverſetur: ſecus ſi fiat, ipſa illa conſultatio ſuo propoſito vitioſa eſt, etiamſi illud non tenuerint. Hoc enim vult his verbis, *In ipſa dubitatione*

*facinus*

*ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent. In ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiamſi ad id non pervenerint, ergo ea deliberanda omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio.* (1) *Atque etiam in omni deliberatione, celandi, & occultandi ſpes, opinioq; removenda eſt. Satis enim nobis (ſi modo in Philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omneis deos, homines q; celare poſſemus, nihil tamen avare, nihil injuſtè, nihil libidinosè, nihil q. incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone: qui, cum terra diſceſſiſſet magnis quibus-*

*facinus ineſt, etiamſi ad id non pervenerint.* Vbi obiter notetur, Conſultationem dici Dubitationem. Omnis enim Conſultatio eſt quæſtio. 3. *Nicom.* 3. §. 24. Illa verò quæſtio eſt de re dubia, cujus exitus incertus ſit *c. eod.* §. 17. Libro 1. dicebat, ejusmodi dubitationem ſignificare cogitationem injuriæ. Juvenalis *Sat.* 13.

*Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.*
*Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,*
*Facti crimen habet. Cedò, ſi conata peregit?*

Si Glauco Lacedæmonio, conſulto oraculo, liceretne perjurio abnegare depoſitum, Pythia interitum generis fuit comminata. Atque illi veniam petenti, reſpondit: τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, καὶ ποιῆσαι, ἴσον δύναται, *Cum tentaris Apollinem, perinde eſt, ac ſi facinus admiſiſſes.*

(1) *Atque etiam.*) Tanto ſtudio & religione ejusmodi deliberationes nefariæ ſunt evitandæ, ut, licet ſpes ſit poſſe tua conſilia omnia latere, tamen ejus generis conſultationes inſtituere nolis. *Etiamſi*, inquit, *omnes Deos homines q; celare poſſimus.* Hæc quidem Stoica magni-

*quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumq; equum, ut ferunt fabulæ, animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumq; aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit. Ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, cum in lucem annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulitque, quos obstare arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta*

magnificentia jactitantur. Aliàs si Deum quis fallere posset, quæ foret religio, quodnam jus? quandoquidem omnis ejusmodi obligatio à superiori autoritate suum nexum & vim habet, ceu in Prolegomenis pluribus demonstratum fuit. Illustrat hoc fabula Platonica ex 2. *de Repub.* petita. Qualem annulum ejusque fortunam si possideret Sapiens Stoicus, esset tamen in sua vitæ sanctitate τετράγωνος, nec eo ad ullum malum abuteretur. Ipse verò, fabulam illam quod attinet, inspiciendus est Plato, quam etiam Herodotus narrat *lib.* 1. nulla annuli mentione facta. *Val. Max. lib.* 7. *c.* 1. *Cœl. Rhodig. lect. ant. lib.* 6. *c.* 11. Erasmus *in Chiliad. adagio, Gygis annulus.*

*Non*

*neſta enim bonis viris,* (1) *non occulta, quæruntur.* (2) *Atque hoc loco Philoſophi quidam, minime mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, fictam, & commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone. Quaſi verò ille aut factum id eſſe, aut fieri potuiſſe defendat. Hæc eſt vis hujus annuli, & hujus exempli: ſi nemo ſciturus, nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, cum aliquid divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis cauſſa feceris, ſi id diis, hominibusq; futurum ſit ſemper ignotum; ſisne facturus. Negant id fieri poſſe. Quanquam poteſt id quidem: ſed quæro, quod negant poſſe, id ſi poſſet, quid-*

(1) *Non occulta.*) Quæ cum honeſto pugnent, & cum turpitudine ſint conjuncta, propterque illam latebras quærant. Nam conſilia ſua ſecreta habere, cum primis ardua, veræ prudentiæ eſt. Ovidius:

*Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus:*
*At contrà gravis eſt culpa, tacenda loqui.*

(2) *Atque hoc loco.*) Reprehendit hic nonnullos Philoſophos, qui vim & naturam orationis hypotheticæ, & τὸ ὁπμύθιον fabularum non adſequantur. Dicunt itaque hanc eſſe fabulam, nec poſſe fieri, ut quiſquam Deos hominesque fallat, adeoque non poſſe ſine metu Numinis quidquam iniquè moliri. Hiſce ineptiis ita occurrit, ut facilè admittat, eſſe hanc fabulam; ſed diſpiciendum eſſe, quodnam in illa morale lateat. Nec etiam adſeritur, quemquam deos hominesque poſſe omnia clam habere; ſed ſub conditione & hypotheſi tanquam poſſibile hoc proponitur, eo fine, ut iniquas ejusmodi actiones ſe vel ſuſcepturos, vel per ſe vitaturos eſſe profiteantur. Poſterius ſi dicant, ſequetur omnia turpia eſſe

fugien-

*quidnam facerent? Vrgent ruſtice ſane. Negant enim poſſe, & in eo perſtant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus, ſi poſſint celare, quid facturi ſint: non quærimus, poſſintnè celare. Sed tanquam tormenta quædam adhibemus, ut, ſi reſponderint, ſe impunitate propoſita facturos, quod expediat, facinoroſos ſe eſſe fateantur: ſi negent, omnia turpia per ſe ipſa fugienda eſſe concedant. Sed jam ad propoſitũ revertamur.*

fugienda: ſin prius, tanquam facinoroſos ipſi ſe prodent. Hæc quidem Stoicorum grandiloquentiæ ſunt cognata; ſed, quod jam tum monui, hic repetendum eſt. Si enim Deus falli poſſet, nulla ejus eſſet providentia, nulla pœna: id quod ne Stoici quidem concedent. Si nulla ſit providentia, aut pœna, & mei commodi gratia etiam cum incommodo alterius aliquid faciam, numquid vel tu, vel alius quisquam me ceu facinoroſum damnabit? Loquor de ſtatu naturali. Unde igitur tibi aut alii illa autoritas in me, cum naturâ omnes pari conditione nati ſimus? Neceſſe igitur eſt, ut honeſtatis obligationem ad aliquem homine ſuperiorem referas, qui bonis actionibus præmia, malis pœnas deſtinaverit. Hic verò non poterit eſſe alius, quàm Deus, à quo Providentia talis ſeparari nequit. Plura de his in Prolegomenis. Quod attinet illa verba, *Quanquam poteſt id quidem*; teſtis eſt Manutius, in cunctis veteribus ſuis libris non aliter legi: rectè verò monet, ſententiam omnino expoſcere particulam *Non*, & hoc modo legendum eſſe, *Quanquam non poteſt id quidem*. Non equidem tot codicibus facilè refragari licet, alioqui putarem, illa verba eſſe delenda, quod absque his omnia concinnius

*tamur.*(1) *Incidunt ſæpe multæ cauſſæ, quæ conturbant animos utilitatis ſpecie; non, cum hoc deliberetur, relinquendane ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem, (nam id quidem improbum eſt)*

cohæreant, & fortè librarii aut interpretis manu adſcripta irrepſerint.

(1) *Incidunt ſæpe.*) Multæ in vita dubitationes occurrunt, quæ utilitatis ſpecie animum ancipitem reddere poſſunt. Inter illas verò non referendas eſſe monet, an propoſita magna utilitate honeſtum deſerere liceat; hanc ipſam enim dubitationem crimen habere, adeoque neminem ad ejusmodi deliberationem commoveri debere. Ita, inquam, hic docet Cicero. Sed hoc videtur vix indiſtinctè procedere poſſe. Vel igitur illa utilitas honeſto planè repugnat, vel eſt talis, ut ſit non inhoneſtum, illam expetere. Si priori modo ſit comparata, adſentior Ciceroni. Comprobat idem Ariſtoteles 3. *Nicom.* 1. §. 19. Si ergo ad talia non debemus adduci vi nulla aut neceſſitate, ceu d. l. monet Philoſophus, quî utilitate aliqua, aut lucri ſpe? Sin poſteriori modo ſit comparata utilitas, crediderim ſanè, poſſe nonnunquam licitè exiguum honeſtatis officium intermitti, aut differri, & magna illa utilitas prehendi, cum illa animi deſtinatione, ut quidquid emolumenti aut copiarum conſecutus fueris, ad plura deinceps & majora honeſtatis officia exercenda adhibere velis. Indiget enim profectò Honeſtatis exercitium multis ſubſidiis ac inſtrumentis, quæ magnam partem Utilium bonorum cenſu veniunt. Tantum autem abeſt, ut ejusmodi utilitatis conſectatio honeſtati adverſetur, ut potiùs ex illa, quam dixi, animi deſtinatione commendationem illius mereatur ac provocet.

*Poſſitne*

*est) sed illud,* (1) *possitne id quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum Collatino Tarquinio collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injustè: fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni esse tollendam: quod erat utile patriæ consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua nec utilitas quidem esse potuisset.*

*At*

(1) *Possitne illud.*) Si & hic Vtile intelligas, quod vel planè cum Honesto convenit, vel saltem illi non adversetur, nullum est dubium, utrumque fieri posse sine turpitudinis nota. Cicero hic proponit exemplum Bruti, qui publicæ securitatis & utilitatis gratia ipsum collegam Collatinum Tarquinium urbe expulit, & illud ad propriè dicti Honesti genus refert; Vtilitatem enim valuisse ait propter honestatem, sine qua nec utilitas esse potuisset. Mihi verò secus videtur, referendumque hoc factum ad sequius Honesti genus. Et sat negotii fuerit, idipsum tanquam non inhonestum defendere: quod vix obtinebitur, nisi supponas, nullam aliam securitatis in solidum constituendæ rationem superfuisse. Vnde etiam hoc Bruti factum graviter reprehenditur ab Augustino *lib. 2. de C. D. c. 17.* & Alb. Gentile *lib. 1. de Arm. Rom. c. 4.* qui non solùm Brutum, sed & ejus defensorem Ciceronem exagitat. Idem verò factum *lib. 2. de Arm. Rom. c. 4.* defendit. In his enim libris nescio quo consilio εἰς ἑκάτερον disputat Albericus.

(1) *At in eo rege, qui urbem condidit, non ita. Species enim utilitatis animum pepulit ejus: cui cum visum esset utilius, solum se, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset. Et tamen muri caussam opposuit speciem honestatis, neque probabilem, neq; satis idoneam.* (2) *Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.*

*Nec*

(1) *At in eo rege.*) Rectè hic judicat. Nam illa utilitas, quæ ex monarchia sperabatur, per parricidium quærebatur, adeoque Honestati penitus reluctabatur. Ipsæ quoque tanti facinoris caulæ erant frigidæ & quæsitæ. Hic igitur etiam illud Polybii monitum erit observandum, cautè discernendas esse τὰς αἰτίας, καὶ τὰς προφάσεις. *In parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest*, inquit Justinus *lib.* 16. Papinianus, *asylum juris, & legalis doctrinæ thesaurus*, ceu eum commendat Ælius Spartianus, securi fuit percussus jussu Antonini Bassiani Imp. Severi filii, quod parricidium ejus in Getam fratrem commissum defendere noluisset. Hinc quoque judicium fieri potest de barbaro Turcarum instituto, securitatem imperii per parricidia adstruentium.

(2) *Peccavit igitur.*) En tibi Deos gentilium! sed quid mirum est de Romulo hoc dici, adscriptitio illo hominum consecratione Deo? Quid de Jove, omnique deorum familia Poëta? *Jupiter infamat seq; suamq; domum.* Plura de Romuli injustitia legere licet apud Alb. Gentilem *lib.* 1. *de Arm. Rom. c.* 2.

*Nec*

Digitized by Google

(1) *Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliisq; tradendæ, cum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuiq; utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scite Chryſippus, ut multa:* Qui ſtadium, *inquit*, currit, eniti & contendere debet, quàm maxime poſſit, ut vincat: ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri furripere, jus non eſt.

(2) *Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus & non tribuere, quod recte poſſis, & tri-*

(1) *Nec tamen.*) Non eſt inhoneſtum, ut noſtris commodis operam demus, iisque ad neceſſitatem fruamur: nec obligati ſumus noſtra re ſubvenire aliis, qua ipſi indigeamus. Interim tamen ita noſtræ utilitati ſerviemus, ne aliis invideamus, multò minùs quidquam eripiamus. Locum hic habet illud Epicteti, ὅπου τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβὲς τιθέμεθα, *ubi utilitatem, ibi & pietatem collocamus*, teſte Simplicio ad *c.* 13. Enchiridii: Eodem Chryſippi dicto in alia cauſa utitur Grotius 2. *de J. B. P. in annot. ad cap.* 2. §. 2.

(2) *Maximè autem.*) Quia Amor, fundamentum ſeu vinculum amicitiæ, miris modis variat, modò in hoc, modò in aliud objectum inclinans, honeſtum, utile, jucundū, & huc illuc animos impellit, mirificè perturbantur officia in amicitiis, uti Cicero inquit. Modò enim Amori noſtro ita indulgemus, ut quidvis tribuamus amicis, etiamſi hoc ſit contra officiū. Modò deprehendere in nonnullis licet quandam ἀφοργίαν, aut μισανθρωπίαν,

*& tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed hujus generis totius breve, & non difficile præceptum eſt. Quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, & cetera generis ejusdem, hæc*

ut ne quidem illa amicis tribuant, quæ vel maximè debebant. Vt igitur circa amicos rectè nos geramus, ſuppeditat generale præceptum, & monet, honores, divitias, voluptates, omnia denique ejus generis jucunda & utilia bona eſſe amicitiis poſtponenda. Non igitur hujusmodi rerum præmio vel ſpe invitari te illicique patieris, ut amicum adflictum deſeras, aut non defendas. Hoc igitur locum habebit in amicitiis honeſtis. Vix verò idem obtinebit in Amicitiis Vtilibus & Jucundis. Quia enim ipſæ illæ nituntur bono Vtili & Jucundo, & tales amici non amantur, niſi hactenus, quatenus utilitatis aut jucunditatis aliquid alteri communicant; hinc ſanè in iis ipſa utilia & jucunda primum locum habere videntur. Sed ſciendum eſt, Amicitias cum Vtiles tum Jucundas duplicis generis eſſe poſſe. Vel enim tali bono utili aut Jucundo nituntur, eoque modo coluntur, ut honeſtas nullo pacto lædatur. Vel illa ſunt talia, quæ honeſtati minimè ſunt conſentanea. Poteſt enim bonum utile vel jucundum quæri, vel cum injuria alterius, vel ſine injuria aliorum. Vult itaque Cicero, in amicitia honeſta præcipuè ſpectandam eſſe ipſam honeſtatem, eaque nulla re alia lædendam. Quod attinet amicitias utiles & jucundas, honeſto non repugnantes, in iis quidem utile & jucundum bonum nobis conſectari licere, ſed modo honeſto, & ſine alterius injuria. Si enim *συναλλάγματα* bona fide & æqualiter celebrentur, hæ amicitiæ utiles nihil habent vitii, & rectè inſtituuntur: at ſi mala fides aut fraus interveniat, desque operam, ut ſis locupletior

cum

*hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt.* (1) *At neq; contra Rempublicam, neq; contra jusjurandũ, ac fidem, amici ſui cauſſa vir bonus faciet*; (2) *ne ſi judex*

cum alterius damno, tunc hoc ipſum cum honeſtate conſiſtere non poſſet. Cæterum cum Amicitias utiles & jucundas Philoſophus καὶ ἀσυμβεβηκὸς amicitiæ ſpecies eſſe dicat, præceptum Ciceronis ad amicitias propriè dictas, hoc eſt, honeſtas præcipuè referemus. Addantur quæ latè diſputat Ariſtoteles 8. & 9. *Nicom.*

(1) *At neq;.*) Cum amicitiæ nunquam anteferendæ eſſe monuiſſet, honores, divitias, voluptates, & cætera generis ejusdem, ſubjicit quandã exceptionem, ne quis omnia cuivis amicitiæ anteponenda eſſe ſimpliciter exiſtimet. Etſi enim jure naturæ multa debeamus amicis; bonus tamen vir nunquam faciet quidquam amici cauſa, quo Reſpublica, vel juris jurandi religio, & omnino honeſtas violetur. Ratio eſt manifeſta, quia major eſt obligatio erga Remp. & deinde erga Deum, cui præcipuè juratur. Unde nec amici talia à nobis honeſtè petere aut exſpectare poterunt, quibus, inquam, Reſp. aut Deus, aut honeſtas offendatur. Et ſanè ſi quæ inhoneſtè à nobis petuntur, honeſtiſſimè illa denegari poterunt.

(2) *Nec ſi judex.*) Speciale præceptum Judicis officium concernens in cauſa amici, idque eximium. Voto aliquid dare poterit Judex, ut malit cauſam amici eſſe optimam, interim ſecundum acta & probata, uti ajunt, dicenda ſententia eſt. Ut adeò ſecundum veram ſententiam Ciceronis nulli dentur caſus pro amico, qui dici vulgò ſolent. Poterit quoque indulgere tempus legitimum in judicio perorandæ cauſæ præfixum; tramites tamen legitimos excedere non debet, ne judicium fiat eluſorium, ſumptibus juſtè litigans abſterreatur aut

*si judex quidem erit de ipso amico.*

*Ponit*

consumatur, ne sententia effectu tandem & exsecutione destituatur. Ne igitur quid odio aut amori præter justi regulam tribuant, Leges sunt Judicibus præscriptæ, secundum quas causas omnes examinent, & jus dicant. Nimis enim quam periculosum foret, si justitiæ administratio arbitrio judicum unicè esset permissa. Hinc Aristoteles sapienter monet, 1. *Rhet.* 1. & quidem bis, ut quæcunque possunt, legibus definiantur, & quàm pauciſſima judicibus relinquantur arbitranda. δεῖ ὡς ἐλαχίστων ποιεῖν νόμον τὸν κριτήν. Ejusque rei graviſſimam rationem tradit 3. *Polit.* 12. *p.m.* 208. *Qui mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges. Qui verò jubet hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim & Ira eo modo se habent, & imperantes eosq; optimos viros distorquent, Lex verò est sine appetitione mens.* Hinc prudenter cautum fuit in Areopago, ne quis causæ patronus eloquentiæ vi judicem perverteret, ad iram excitando, vel invidiam, vel misericordiam. Perinde enim hoc fuerit, inquit Aristoteles 1. *Rhet.* 1. ac si quis, qua usurus est regula, eam reddat perversam. Cæterum quia rerum humanarum tanta est varietas, ut de omnibus leges ferri nequeant, aut latæ aliquod ἐπανόρθωμα efflagitent, prudenter & religiosè quoq; judex his in casibus versabitur: id quod fiet, si accuratam Æquitatis solidamque rationem habeat. Unde in multis judiciis formula juramenti, ad quam adstringuntur Judices, ita solet esse concepta, se velle secundum leges & æquitatem jus dicere. Adde Aristotelem 1. *Rhet.* 1. & 5. *Nicom.* 10. Hoc igitur fine Judices juramenti fide adstricti apud Romanos constituebantur, adeoque in omnibus causis juratò sententiam dicebant. Judex enim judicium facturus, ex templo ad jurandum accessit, se ex lege judicaturum. Formula juris jurandi erat:

EX-

(1) *Ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſſam eſſe malit, ut perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet.* (2) *Cum verò jurato dicen-*

EX ANIMI SENTENTIA. Locus, in cornitio ad aram, quæ puteal Libonis dicebatur. Cicero *in Lucullo: Majores noſtri ex animi ſui ſententia jurare quemque voluerunt, deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quod inſcitia multa verſaretur in vita.* Et Juſtinianus *l.14.C.de Judic. Cui non cognitum eſt, antiquos judices non aliter judicialem calculum accepiſſe, niſi prius ſacramentum præſtitiſſent, omni modo ſe cum veritate & legum obſervatione judicium eſſe depoſituros?* Solenne quoque erat jurare JOVEM LAPIDEM. Plautus *Aulul. Si te ego ſciens fallo, ita me ejiciat Dieſpiter bonis, ſalva urbe, & arce, ut ego hunc lapidem.* Damnaturi jurabant, ſe nihil gratiæ, nihil precibus dare. *Sen. controv. 2. l. 9.* Cicero *de Invent. Ex lege, in quam juratus es, judica.* Sigonius *de Judic. lib. 1. c. 28.* Et licet etiam Romani judices ſuos diligentem voluerint rationē habere legum & æquitatis, ceu videre eſt ex *l. 8. C. de judic.* ne tamen pluſculum ſibi in talibus cauſis ſumerent, prudenter proſpectum eſt *l. 1. & ult. C. de legib.*

(1) *Ponit enim perſonam.*) Hoc ipſum ad ſuum propoſitum non malè accommodat Alb. Gentilis, qui *lib. 3. de Jur. belli c. 3.* ait, victorem, bello finito, in æſtimandis ſumptibus ac damnis belli debere rationem habere æquitatis; conveniens enim eſſe, ut inimici perſonam deponat, qui induit judicis: quo nomine ita laudatur Minos à Propertio *lib. 3. eleg. 18.*

*Non tamen immerito Minos ſedet arbiter orci;*
*Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.*

(2) *Cum verò.*) Quæ juramenti vis ſit & ſanctitas, eleganter explicat. Primò, qui juravit, meminerit,

*dicenda ſententia ſit, meminerit, Deum ſe adhibere teſtem: id eſt, ut ego arbitror, mentem ſuam,* (1) *qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius.* (2) *Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus,* Quæ ſalva fide facere poſſit. *Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullo ante dixi honeſte amico à judice poſſe concedi. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt.*

Deum fidei promiſſæ eſſe conſcium, quam ſi temeraverit, eundem eſſe vindicem acerrimum. Hoc enim eſt, Deum teſtem adhibere. Deinde quoque internum judicem, teſtem & carnificem expaveſcat Mentem, hoc eſt, Conſcientiam ſuam. Duo ergo cumprimis debet jurans obſervare, primùm, ut verba animo congruant, quod Chryſippus Stoicus ἀληθορρεῖν vocat: alterum ut factum congruat verbis, quod idem appellat εὐορκεῖν. Qui in illo peccat, ψευδορκεῖν, qui in hoc ὑπορκεῖν eidem Chryſippo dicitur. Grotius 2. *de J. B. P. c.* 13.

(1) *Qua nihil divinius.*) Ita omnino eſt. Atque idem Poëta, de divinæ particula curæ profitetur. Epictetus ait, τὸν τοῦ ἀνθρώπου νοῦν, ἀπόσπασμα εἶναι ὅλου τοῦ θείου νοῦ, *Hominis mentem perfectiſſimæ divinæ mentis avulſam partem eſſe.* Suprà verò intelleximus, etiam Legem ab Ariſtotele 3. *Polit.* 12. νοῦν, *Mentem*, dici: putà, quod libera ſit ab adfectibus, & ſit *oratio à prudentia & mente profecta, vim cogendi habens*, uti illa definitur 10. *Nicom. ult.* §. 35.

(2) *Itaque præclarum.*) Hæc formula ad antiquum judiciorum inſtruendorum morem, & allati præcepti illuſtrationem pertinet, Judicem ea omnia amico tribuere poſſe, quæ ſalva fide juramenti & legum autoritate facere

*ſunt.* (1) *Loquor autem de communibus amicitiis. Nam in ſapientibus viris atque perfectis nihil poteſt eſſe tale. Damonem, & Pythiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies* (2) *commendandorum ſuorum cauſſa poſtulaviſſet, vas factus ſit alter ejus ſiſtendi; ut, ſi ille non revertiſſet ad diem, moriendum eſſet ipſi. Qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut ſe in amicitiam tertium adſcri-*

cere poſſit: à quo more & ſanctitate cum pridem deficiſſent, optat Cicero illum inſtaurari apud Romanos, & obſervari.

(1) *Loquor autem.*) Eſt hæc quædam Occupatio. Dicas enim, veros amicos talia non petituros à quoquam, adeoque nihil opus fore his præceptis. Reſpondet Cicero, ſe hactenus de iis amicitiis locutum eſſe, quales vulgò coli ſolent. Nam Amicitiæ, ut dixi, non unum genus eſt. Qui honeſtam amicitiam contraxerunt, boni ſunt, & in virtute conſtitutam illam habent, nihilque agunt, quod reprehendi poſſit, nec diſſimile quidquam ab aliis exſpectant aut poſtulant. Talis genuinæ amicitiæ ſocios laudat Damonem & Pythiam. Qui verò amici gratiæ aut odio aliquid tributum cupiunt, communes amicitias ſeu vulgares colunt. Nam *vulgus amicitias utilitate probat.* Hinc *in Lælio*, Sapientes hanc legem amicitiæ primam obſervare ait, ut turpia & injuſta neque rogent, neque facient rogati.

(2) *Commendandorum.*) Quod nonnulli, iique antiquarii, in hac voce aliquid deſiderent, ac emendare ſtudeant,

*ſcriberent. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur, jaceat utilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Cum autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio, & fides, anteponantur amicitiæ: & ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.*

(1) *Sed utilitatis ſpecie in Republica ſæpiſſime peccatur, ut in* (2) *Corinthi diſturbatione noſtri.*

*Durius*

ſtudeant, vehementer equidem miror. Quis enim illius vim neſcit, qui ſaltem aliquam antiquitatis peritiam habet. Modeſtinus hæc teſtamenti verba recitat *l.5.ff.de alim.vel cib. leg. Prothumum, Polychronium, Hypatium commendo, ut & vobiſcum ſint, & cibaria præſtetis, peto.* Ulpianus *l.*11.§.2.*ff.de legat.*3. Si ita quis ſcripſerit teſtamento, *Illum tibi commendo.* Hic *Commendo* non eſt verbum precarium, uti notat Cujacius ad Pauli *Sentent.* 4.*tit.*1.§.5. Sed vix opus fuiſſet JCtorum pluteos excutere. Videſis quibus verbis Chryſis moriens Pamphylo Glycerium commendet apud Terentium *in Andria: Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem: Bona noſtra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.* Hæc ἐν παροδῷ. Redeamus ad inſtitutum.

(1) *Sed utilitatis.*) Quomodo in publicis deliberationibus etiam prudentiſſimi viri habiti utilitatis ſpecie faſcinati peccaverint, exemplis declarat.

(2) *Corinthi.*) Hoc quoque attigit libro 1. Utile videbatur Corinthum exſcindi, quod illa Urbs bimaris ad Græciæ imperium à Natura videbatur quaſi condita. Ne igitur rebus Romanorum noceret, aut ad vindictam aliquando inſurgeret, utile viſum eſt, illam penitus deſtrui. Sed quia hæc utilitas adverſabatur humanitati &

hone-

(1) *Durius etiam Athenienſes, qui ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur. Hoc viſum eſt utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Ægina Piræeo. Sed nihil, quod crudele, utile. Eſt enim hominum naturæ, quam ſequi debemus, maximè inimica cru-*

honeſtati, peccatum in eo fuit. Abſtinendum enim eſt à vaſtatione, ſi res nobis fructuoſa, aut utilis eſſe poſſit, nec hoſtis poteſtatem formidabilem reddat, cum primis poſt plenam victoriam. Sicuti igitur Cicero hoc factum reprehendit, ita Livius Romanorum lenitatem laudat, quod, victa Capua, non ſævitum ſit incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque. Add. *Grot. 3. de J. B. P. c. 12.*

(1) *Durius etiam.*) Athenienſibus, qui maritima ſua potentia totius penè Græciæ imperium, aut maximam ejus partem complecti ſtudebant, utile viſum fuit, ſi nulla ex Græcis Reſp. claſſe valeret, ut tantò ſecurius in omnes haberent dominium. Utile etiam inprimis fuit viſum, proximos quosque urbi & portui ſuo populos aut inſulas claſſe ſpoliare; ſed crudeli atque inhumana prorſus ratione illam utilitatem, ob honeſtatem remotiſſimam, ſibi compararunt. Quomodo enim quod crudele, honeſtum aut revera utile erit? *Plutarch. in Lyſandro Ælian. lib. 2.* Nam ſi durante bello hæc juſtè fieri nequeunt, multò minus finito illo, partaque victoria, honeſtè & utiliter patrabuntur. Nam pollice perdito, reliquos digitos intercidere, quod abſque ejus ope nil agant, docet Andreas Veſalius in libris ſuis *Anatom.* ubi etiam Æginetarum ita mutilatorum meminit. Ergo etiam qui plus æquo ſibi vult proſpicere, aut prodeſſe, is injuriã facere dicitur, quia excedit modum; imò quia ſuum commo-

*crudelitas.*(1) *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosq; exterminant, ut Pennus apud patres*

commodum cum aliorum gravi injuria quærit: ceu ex Baldo tradit *Alb. Gentil. l. 3. de Jur. bell. c. 2.* Huic Athenienſium ψηφίσματι non diſſimilis fuit barbari illius regis poſtulatio, qui dexteros Iſraëlitis oculos volebat erui, ne arcu poſſent uti.

(1) *Male etiam.*) Variæ poſſunt eſſe cauſæ, cur nonnunquam peregrini urbibus prohibeantur. Ita Lacedæmonii illos excludebant, ne diſciplina illorum & frugalitas corrumperetur. Alii idem faciunt inſidiarum metu. Et hæc ſanè licitè fieri poſſunt, cætera ſi paria ſint. Videtur autem hoc velle Cicero, ſi à commerciis & rerum communione peregrini, à quibus alioqui nullum periculum ſit, quique innoxiè vivant, penitus arceantur, ut inde civibus unicè tantoque major utilitas emergat, illud eſſe inhumanum, cum homo hominis indigentiam ſublevandi naturalem cauſam habere videatur. Ita Tauroſcythæ hoſpites Dianæ mactaſſe leguntur. Idem Buſiris Ægypti tyrannus feciſſe ſcribitur. Interim negandum non eſt, Jure quidem gentium utilitatis ratione multa circa commercia cum peregrinis licitè eſſe conſtituta, quæ jus naturæ non damnat: quo item ſalvo paſſim licitè ſancitum videas, ut potior ſit conditio & jus indigenarum, quàm exterorum: de quo legendi ſunt ii, qui ſcripſerunt de *Jure indigenatus*, quod appellant: quique commentati ſunt in *tit. ff. ad municipal.* De Penno vid. *Sigon. l. 3. de ant. jur. Ital. c. 1.* Alter ille C. Papius Tribunus pl. A. U. C. 689. biennio antequam Cicero conſulatu fungeretur, legem tulit, ne quis peregrinus in urbe eſſet. Hujus etiam meminit Cicero *pro Archia*, & prima *contra Rullum.* Vid. *Car. Sigon. 1. Emendat.*

*Nam*

*patres noſtros, Papius nuper.* (1) *Nam eſſe pro cive, qui civis non ſit, certũ eſt non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules, Craſſus, & Scævola: uſu verò urbis prohibere peregrinos, ſane inhumanum eſt.* (2) *Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis ſpecies præhoneſtate contemnitur. Plena exemplorum eſt noſtra Reſpublica cum ſæpe alias, tum*

(1) *Nam eſſe.*) Ut differentia ſit inter civem & peregrinum, & iſtius potior ſit ratio in civitate non ſolùm licitum, ſed & civiliter juſtum eſt. Nam jus civitatis uſurpare, honores petere, ſuffragium in comitiis conferre velle, nonniſi genuinis civibus competit. Hinc apud Athenienſes certis temporibus τὰ ληξιαρχικὰ γραμματεῖα τῶν δήμων excutiebantur, & ξενολασία inſtituebatur, id eſt, qui falsò in album tribus, aut curiæ, aut municipii irrepſerant, aut planè inſcripti non erant, vendebantur cum ſumma ignominia & calamitate: cujus argumenti exſtat apud Demoſthenem oratio, ἡ ἄφεσις πρὸς εὐβουλίδην. Fuit autem miſera inquilinorum apud Athenienſes conditio. Vide legem de Peregrinitate apud Demoſthenem in *Orat. contra Neæram*, & Sigonium *de Rep. Athen. l. 4. c. 3. p. 536.* Cæterum diſcrimen inter cives Ro. Reip. & peregrinos etiam hinc facilè perſpicitur, quod etiam Deportati horum numero habiti ſint, ad quos jus Quiritium non magis pertinet, quàm qui nunquam jus civitatis adepti fuerunt. Dicuntur illi Peregrini etiam ἀπόλιδες, *extorres. l. 1. § 2. ff. de legat. 3.* & *l. 17. ff. de pœn. Tulerunt legem.* Meminit ejus Sigonius *l. 3. de ant. jur. Ital. c. 1. p. m. 209.*

(2) *Illa præclara.*) Contraria eaque meliora exempla profert ſuæ Reipub. ex quibus appareat, ſpecioſæ

Uti-

*tum maxime bello Punico ſecundo, quæ, Cannenſi calamitate accepta, majores animos habuit, quam unquam rebus ſecundis. Nulla fuit timoris ſignificatio, nulla mentio pacis. Tanta vis eſt honeſti, ut ſpeciem utilitatis obſcuret.* (1) *Athenienſes, cum Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerentque, ut urbe relicta, conjugibus, & liberis Træzene depoſitis, naveis conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent: Cyrſilum quendam ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atqui ille ſequi utili-*

Utilitati in ſenatu honeſtatem fuiſſe prælatam. Poſt Cannenſem cladem pacem nonnulli ſuadebant, ut ſummè utilem & neceſſariam. At vicit aliorum magnanimitas, fortitudo & conſtantia, honeſtum bellum fœdæ paci præferentium, decusque Romanum penè amiſſum armis repetentium. Sed quomodo hujus facti commendatio convenit cum illo Ciceronis ad Atticum *l.* 7. *ep.* 14. *Vel injuſta pax utilior eſt, quàm juſtiſſimum bellum*? ſcilicet hæc ille tum ſcripſit belli civilis deteſtatione, &, quod præſtet habere aliquam Remp. quàm nullam.

(1) *Athenienſes.*) Et hos & Romanos paulò ante reprehenderat. Animum itaque ſuum ita temperat, ut jam utrosque viciſſim commendet. Fuit verò & horum factum, quod hic narratur, admodum generoſum, in quo inſignis virtus & honeſtas reluxit, quæ ipſi Cyrſilo exitio fuit, deditionem ac ſervilem conditionem, ſub utilitatis ſpecie, ſuadentem. Et licet aliàs ſatis fuiſſet, ſimpliciter repudiaſſe hoc conſilium; quia tamen exemplo valdè pernicioſum erat, ignaviam & timorem civibus incuſſurum, & quo omnis libertas periiſſet, tanto ſupplicio

id

*utilitatem videbatur: ſed ea nulla erat repugnante honeſtate.* (1) *Themiſtocles poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium Reipublicæ ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe: poſtulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe: quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod* id compeſcere dignum exiſtimarunt, ut illo ipſo animi civium erecti actius Rempub. & libertatem defenderent.

(1) *Themiſtocles.*) Alterum magnanimitatis Atticæ exemplum. Hoc ut rectè dijudicemus, ſciendum eſt ſocios tum fuiſſe Lacedæmonios & Athenienſes; interim propter continuam æmulationem ſemper ſibi invicem erant ſuſpecti. Itaque nec Lacedæmonii Athenas muniri, nec Athenienſes claſſe valere Lacedæmonios permittebant. Cum itaque claſſis Laconica poſt victoriam à Rege partam in portum eſſet ſubducta, Themiſtocles ſub ratione utilitatis oſtendit, quo jam pacto Athenienſes Græciæ principatum poſſent occupare. Sed ea fuit Juſtitia civium & Ariſtidis hac de re ad populum referentis, ut ſocietatis fidem nonniſi turpiter violari poſſe exiſtimarent. Ea quoque eorundem fuit generoſitas, ut magis aperto Marte, ſi res ita ferret, quam fraudibus pugnare mallent. Sed dicas, ſocietatem illam bellicam poſt partam victoriam bellumque ita ad exitum perductum videri inter illos exſpiraſſe, adeoque conditione illa Athenienſes ad ſuum commodum uti potuiſſe? Sed non eſt ita;

*Quod Aristides cum audivisset, in concionem magna exspectatione venit, dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putarunt, totamq; eam rem, quam ne audiverant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.* (1) *Melius hi, quam nos, qui piratas immuneis, socios vectigaleis habemus. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam esse utile, ne tum quidē, cum id, quod esse utile putes, adipiscare.*

Hoc etiamsi enim societas illa desierit, bellum tamen inter illos non fuit, adeoque honestè nihil hostilitatis alter erga alterum populum exercere potuit. Aliàs ubi justum est bellum, non dubito, quin sicuti ferro, ita & quandoque igne, vires hostium licite frangi & corrumpi queant, putà in iis rebus, quibus ad actus hostiles instrumentis uti possunt. Nam sine discrimine in res hostium igne sævire, non tam barbarum, quàm prorsus inhumanum est. De hoc argumento insigne est Grotii *lib. 3. de J. B. P. cap. 12.*

(1) *Melius hi.*) Athenienses Romanis hic præfert. Ea enim tempora, ii fuerunt mores aliquando Ro. Reip. ut socios & in fidem receptos magnis vectigalibus ac oneribus exhauserint: contrà piratas, humani generis hostes facto ipso se profitentes, impunè grassari permiserint; nisi quod paulum à Cn. Pompejo castigati fuerint. *Plut. in vita Pomp.* cui addatur, Livius, Florus, alii. Quanto autem odio & insectatione digni sint Piratæ, ex jure gentium etiam egregiè colligitur. Nam rerum captivarum dominium ad illos non transit. Jus quippe gentium illis non concessit, ut jus dominii mutare possint. Quo innixi

Athe-

*Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit,* (1) *calamitoſum eſt.* (2) *Sed incidunt, ut ſupra dixi, ſæpe cauſſæ, cum repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnetne plane, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones:* (3) *Si (exempli gratia) vir bonus ab Alexandria profectus Rhodum, magnum fru-*

Athenienſes Haloneſum, quam ipſis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, ut redditas à Philippo, non ut donatas volebant accipere. Hinc etiam JCti Ro. pronuntiant, captos à piratis & prædonibus non amittere libertatem, nec indigere jure poſtliminii. Non enim ſunt hoſtes. *l.* 24. *&* 27. *ff. de capt. & poſtl.* Et ſicuti Hoſtes triumphantur, ita de piratis victis Pompejo datus triumphus non fuit. *Grot.* 3. *de J.B.P.c.*3.*n.*3.

(1) *Calamitoſum eſt.*) Sicuti vera Felicitas & ſummum bonum in animi moribus ad honeſtatem compoſitis conſiſtit, & εὐπραξία: ita vera miſeria ac calamitas extrema hominum in turpitudine. 1. *Nicom.* 10. §. 14.

(2) *Sed incidunt.*) Alia exempla adducturus, quæſtionem repetit, an quis, ſibi quod utile eſt, ſectari poſſit, ita ut cum honeſtate conjungi queat, hoc eſt, ut non ſit inhoneſtum aliquando quod expedit quærere.

(3) *Si exempli gratia.*) De hac Quæſtione quid ſit ſentiendum, peregregiè docemur à Grotio, cujus verbis cum & hæc & ſequentia egregiè illuſtrentur, illa huc tranſcribemus ex *lib.* 2 *de J.B.P.c.*12.*n.*8. *&* 9. quæ alioqui apud ipſum Autorem illum legi poſſent. *In contractibus*, inquit, *natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim conſiſtit in actibus, partim in eo de quo agitur: & in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus.*

*frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, summaque annonæ caritate: si idem sciat, complureis mercatores ab Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas, petenteis Rhodum, viderit, dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem, & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione, & consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet. Sed dubitet, an turpe*

*Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei de qua agitur significare debet: quod non civilibus tantùm legibus constitui solet, sed naturæ quoque congruit. Nam inter contrahentes propior quædam est societas, quam quæ communis est hominum. Atque hoc modo solvitur, quod dicebat Diogenes Babylonius, hoc tractans argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quidquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necesse esse, ut de rebus cœlestibus. Nam contractus natura utilitatis causa reperta propius quiddam exigit.* Hæc cum verbis Ambrosii & Lactantii illustrasset, ita pergit: *At non idem dicendum est de his, quæ rem non contingunt. Ut si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehunt. Nam tale quid indicare, est quidem officiosum ac laudabile, sæpe adeo ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur; non tamen injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium est: ita ut locum hic habere possit illud, quod idem ille Diogenes non incommodè dicebat, referente M. Tullio:* Advexi, exposui: vendo meum, non pluris quàm cæteri: fortasse etiam minoris cum major est copia, cui fit injuria? *Non ergo generaliter sequendum illud ejusdem*

Cice-

*turpe non ſit. In hujusmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & gravi Stoico; aliud Antipatro, diſcipulo ejus, homini acutiſſimo: Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret; Diogeni, venditorem, quatenus* (1) *jure civili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere: cætera ſine inſidiis agere: &, quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, expoſui; vendo meum non pluris, quam*

*Ciceronis, Celare eſſe, cum tu, quod ſcias, id ignorare, emolumenti tui cauſa, velis eos quorum interſit ſcire: ſed tum demum id locum habet, cum de iis agitur, quæ rem ſubjectam per ſe contingunt, ut ſi domus ſit peſtilens, ſi à magiſtratu dejici juſſa, quæ exempla ibidem videas. At vitia ei, quicum agas, nota, aut ſervitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipſo prius emptas, dici nihil attinet. Scientia enim utrinque par pares facit contrahentes.* Horatius:

Ille feret pretium pœnæ (*h. e. ejus quod intereſt*)
ſecurus, opinor:
Prudens emiſti vitioſum.

*Quod notatum & Platoni XI. de Legg.* Hæc Grotius: cujus arbitrium Diogenis & Antipatri diſputationi interpoſitum, an omnino rectè ſe habeat, aut uberiori explicatione indigeat, paulò pòſt apparebit, ubi ſuam quoque ſententiam & deciſionem ſubjunget Cicero.

(1) *Jure civili.*) Quale hoc ſit Jus civile dicendum eſt, quandoquidem & infrà ejusdem fit mentio, ubi de jure prædiorum loquitur. Modò igitur Jus civile dicitur illud omne, quo civitas utitur: ceu illud uſurpatur Ariſtoteli 5. *Nicom.* 7. *pr.* atque ſic ipſum Jus naturæ eodem

*quam cæteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui fit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. Quid ais? tu cum hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati, eaque lege natus sis, ut ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ semper sequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas sit: vicissimque communis utilitas, tua sit: celabis homines, quid iis adsit & commoditatis, & copiæ? Respondebit Diogenes fortasse sic: Aliud est celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura deorum sit, quis sit finis bonorum: quæ tibi plus prodessent cognita, quam tritici vilitas: sed non, quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. Imo verò, inquiet ille, necesse est: siquidem meministi esse inter homines natura conjunctam societatem. Memini,*

continetur Sæpe Jus civile JCtis id dicitur, quod Civitas quæpiam sibi proprium constituit §. 1. & 2. *Instit. de jur. nat. gent. civ.* Vel speciatim apud Romanos illud erat jus, quod solebat opponi juri prætorio. §. 1. *Inst. de oblig. l. 7. pr. & §. 1. ff. de just. & jur. & passim.* Nullo horum sensu illud hic ponitur, sed adhuc strictiori, qui declaratur per Pomponium *l. 2. §. 5. ff. de O. I.* Cum enim Leges XII. Tabb. magna obscuritate laborarent, JCtorum veterum, & præcipuè Scævolarum, industria in illarum interpretatione fuit occupata, qui disputationes fori invexerunt, & consultantibus de jure responderunt: unde Theophilus ait, illos jura fecisse κρίνειν καὶ ἀπόκρισιν. Istas disputationes fori in corpus quoddam collectas putat Bachovius *ad* §. 11. *Inst. de jur. nat. gent. civ.* dictasq; fuisse

stricta

*Memini, inquiet ille, ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujusque ſit? quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.* (1) *Vides in hac tota diſceptatione non illud dici: quamvis hoc turpe ſit, tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum.* (2) *Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres; ignoretur, in omnibus cubi-*

ſtricta ſignificatione Jus civile. Atque hoc ipſum hic & infrà intelligit Cicero. Præter Bachovium legi quoque poterit ea de re Sigonius *lib.* 1. *de ant. jur. civ. Ro. c.* 5.

(1) *Vides in hac.*) Bene monet Cicero, diligenter inſpiciendum eſſe ſtatum quæſtionis, antequam de illa ſententiam feras. Nec enim Diogenes ita diſputat, ne ſi velit, utiliter quidquam fieri poſſe, quod tamen repugnet honeſto, quin potius illud, quod adſerit, ita eſſe utile, ut cum honeſto ſubſiſtere queat. E contrario Antipater putat, idem adverſari omnino honeſto, adeoque nec utile, nec faciendum eſſe.

(2) *Vendat ædes.*) Hujus quoque Quæſtionis deciſionem jam ex Grotio percepimus, non eſſe reticenda vitia rei emptæ inhærentia, ſi latere meritò emptorem poſſint. Non igitur hic locum habet illud Diogenis: *Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem eſt? ille quod non placebat, proſcripſit*, h. e. palàm ac publicè propoſito libello ſignificavit. *l.* 11. §. 3. *ff. de inſtit. act. tu quod placebat emiſti.* Potior itaque hic eſt ſententia Antipatri, quam etiam JCtorum autoritas confirmat *l.* 1. §. 1. *ff. de action. empt. & vend. l.* 13. *pr. l.* 39. *l.* 41. *eod. l.* 15. §. 1. *l.* 43. §. *ult.*

*cubilibus apparere ſerpenteis : male materiatæ, ruinoſæ ; ſed hoc præter dominum nemo ſciat. Quæro, ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ædeisque vendiderit pluris multo, quam ſe venditurum putarit ; num id juſte, an improbe fecerit? Ille verò, inquit Antipater, improbe facit. Quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare, (quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt,) ſi hoc non eſt, emptorem patiruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt, quã viam non monſtrare. Nam eſt, ſcientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem eſt? Ille, quod non placebat, proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti.* (1) *Quodſi, qui proſcribunt villam bonam, ut ipſi aſſerunt, beneque ædificatam, non exiſtimant.* l. 45. ff. de contrah. empt. Ex hac quoque cauſa, actio ædilitia redhibitoria fuit prodita, in hoc data, ut venditor, quod vendidit, propter vitium ejus aut morbum recipiat. *tot. tit. ff. de ædil. edict.* Hinc ita loquitur JCtus l. 1. §. 2. *Cauſa hujus Edicti proponendi eſt, ut occurratur fallaciis vendentium, & emptoribus ſuccurratur, quicunque decepti à venditoribus fuerint.* Imò Antipater tantopere deteſtatur hujusmodi fraudulentiam, ac ſi quis erranti viam non ſolum cõmonſtrare detrectet, ſed etiam illum in errorem inſuper præcipitet : quæ inhumanitas Athenis exſecrationibus publicis devota ac damnata fuit.

(1) *Quod ſi qui.*) Licere in contractibus utilitatis quandam rationem habere, diſſimulatione quadam, ut Diogenes putat, adhibita, hanc inquam ſententiam pro-

*existimantur fefelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione: multo minus, qui domum non laudarunt.* (1) *Vbi enim judicium emptoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe?* (2) *Sin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum*

probabiliorem etiam facit, argumento à majori ad minus ex Ro. conſuetudine petito.

(1) *Vbi enim.*) Vitia rei vel ſunt manifeſta, ut pateant nemini non paulùm diligentiori, vel tam ſunt occulta, ut fallant etiam prudentiſſimos, vel mediæ ſunt conditionis, ut à prudentioribus facilè, ab inertibus ac imperitis difficile agnoſcantur. Prius quod attinet, non decipitur emptor, ubi judicium à venditore ipſi in re omnino manifeſta eſt relictum. *Non videtur eſſe celatus, qui ſcit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit*; inquit JCtus *l. 1. inf. ff. de act. empt.* Alterum, ſi vitia occulta reticeantur, omnino à venditore emptor turpiter circumvenitur. Poſtremum ita eſt comparatum, ut illa imperitia forſan non potuerit facilè evitari, ſi ruſticus v. g. rem artificialem emat: vel potuit evitari & debuit, adeoque ſua ſocordia tibi obſtitit: huic fortè Jus civile non ſubveniet, nec facilè & iſti. At jure Naturæ uterque videtur turpiter, vel ſaltem non honeſtè deceptus eſſe; ſiquidem vitia rei non fuerint manifeſta prorſus. Ubi enim judicium emptoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? rectè hic inquit Diogenes.

(2) *Sin autem dictum.*) Adfert idem Diogenes alias quoq; rationes, quæ nundinatoribus & impoſtoribus videntur velificari. Etſi autem quandoq; verum ſit nō omne dictum præſtandum eſſe, putà ſi σωάλλαγμα, aut rem, de qua illud initur, non adfecerit; ſimpliciter tamen id verum non eſſe, vel hinc apparet. Deinde non bona eſt hæc collectio, quandoque non præſtari, quod dictum ſit, multò

*dictum non est, id præstandum putas?* (1) *Quid verò est stultius, quam venditorem ejus rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam absurdum, quam, si domini jussu ita præco prædicet, Domum pestilentem vendo? Sic ergo in quibusdam caussis dubiis, ex altera parte defenditur honestas: ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo honestum, facere sit, sed etiam non facere, turpe. Hæc est illa, quæ videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio.*

(2) *Quæ dijudicanda sunt: non enim, ut quæreremus, exposuimus, sed ut explicaremus.* (3) *Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodius, nec hic* minùs id præstandum esse, quod dictum non sit. Hoc enim si sit tale, quod nec per naturam συναλλάγματος & ratione bonæ fidei dici debuit, rectè procedit: secus si reticentia illa sit comparata, tam omissione ejus, quod dici debuit, peccatur, quàm commissione ejus, quod quandoque dici non debuit.

(1) *Quid verò est.*) Etsi necessum non est, ut ipsa proscriptio vel proclamatio rei venalis ejusdem vitia contineat; emptori tamen illa reticeri non debent, si lateant. Prius enim licet, quod non sit nefas etiam vitiosam rem vendere, velle modò emptor per simplicem proscriptionem vel proclamationem excitatus de rei vitio fuerit monitus. Vid. *l.* 43. *pr. ff. de contrah. empt.*

(2) *Quæ dijudicanda.*) Jam se Cicero accingit ad solidam harum quæstionum decisionem.

(3) *Non igitur.*) Quid de Rhodio frumentario, quid item de ædium venditore sentiat perspicua est Ciceronis sententia. Ut autem illius rationes tantò accuratiùs

*hic ædium venditor, celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas: sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causſa*

tiùs expendantur, ex superioribus repetendum est, constituisse illum talem frumentarium, qui fingatur vir Sapiens & Bonus. Ex Stoica igitur sententia & aliis eorundem principiis forsan non aliter liceat concludere, quam talem Sapientem subventurum aliis solius honesti causa, & tantum abest, ut illud lucri spe sit facturus, ut etiam malit cum jactura sua aliis prodesse. Quid enim ille lucro tribuat, qui honores, divitias, ejus generis alia pro bonis ne quidem reputat? Quî ille rationem habeat alicujus jacturæ, qui paupertatem, mortem ipsam in malis non ponit? sed cùm hisce libris Cicero ipse fassus sit, talem Sapientem vix ac ne vix quidem inveniri, adeoque Media se officia & communia consideraturum; itaque & nos hoc perpendamus, an aliquando frumentarius, non quidem ad excellentiam Sapientis Bonus, sed nec tamen improbus, licitè possit celare emptorem, etiamsi ejus scire intersit. Atque huc videtur suam disputationem accommodare Diogenes Babylonius, Antipater autem ad sapientem perfectissimæ bonitatis. Hic ergo attendendum est, posse interesse emptoris non uno modo. Ita interest emptoris, ut ne vitia rei venditor dissimulet, præcipuè si occulta fuerint; alioqui dolus contractui implicabitur, qui nunquam licitus est, & semper à bono viro omnique contractu, cumprimis bonæ fidei, abesse debet. Si manifesta fuerint vitia, sibi quoque sapiet & vigilabit emptor, qui ut in venditore dolum, ita in se socordiam ac negligentiam criminabitur, aut fugiet. Potest verò illud Interesse longè etiam majus esse, ut frumentarius non debeat celare emptores, alias naves onerarias in

cursu

*cauſſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non*

curſu eſſe. Quid enim ſi Rhodii obſidione premantur, ſi cum fame ægerrimè colluctentur, ſi deſperata ſalute ſe præcipitare velint, aut miſerrima conditione dedere, hic ſanè quid officium & humanitas aut lex charitatis exigat, facilè apparet. Verum his jam omiſſis, non intelligamus aliud Intereſſe quàm pecuniarium, & quæſtio ſit, an frumentarius ille maximi poſſit vendere fruges, etiamſi ſciat majorem mox copiam ſubvectum iri, ut minor indigentia, ac per conſequens minus illarum pretium ſit futurum. Circa hanc quæſtionem ſi Jus civile aliquid determinaverit, illud ſuo loco ſuam vim habebit. De Jure Naturæ jam quæritur quid liceat. Monendum itaque ex Ariſtotele eſt l. 5. *Nicom. c.* 5. §. 27. *ſequentib.* res quæ in commercium aut in emptionem venditionem veniunt, eſſe admodum diverſas & inæquales; neceſſe igitur eſſe communi quadam menſura, quæ rerum inæqualitatem ad pretii æqualitatem reducat. Illa Menſura vel eſt Naturalis, vel ex pacto & inſtituto hominum: iſta eſt χρεία, Indigentia, hæc Nummus, ὑπάλλαγμα τῆς χρείας καὶ σωθήκην. Quanta igitur cujusque eſt indigentia, tantum rebus vendendis pretium ſtatuet. Jam verò maxima ſæpe eſt hominum indigentia, præcipuè earum rerum, quæ ad neceſſariam illorum conſervationem requiruntur. Huic indigentiæ nulli homines majori labore, periculo, ſtudio, ſæpe etiam ſumptu ſuccurrunt quàm Mercatores. Si igitur hi pro natura Amicitiæ Utilis, qualis eſt inter emptorem & venditorem, lucri rationem habeant & pretii, uti illud indigentia definiverit,

nihil

*non videt? certe non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, non juſti, non viri boni: verſuti potius, obſcuri,* nihil hactenus videntur illicitè facere. Hinc Pomponius dicebat, *In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire l. 16. §. ult. ff. de minoribus.* Hæc enim circumſcriptio non eſt dolus, ſed prudentia & induſtria quædam Oeconomica, ſtudiumque aliquod rei familiaris augendæ, uti bene hic notat Gothofredus. Add. Grotius 2. *de J. B. P. cap. 12. num. 26.* cujus tamen, ut fatear, interpretatio mihi non per omnia probatur, & quidem quod τὸ *Naturaliter* explicet pro eo, quod recepti paſſim moris eſt. Harmenopolus hoc vertit κατὰ φύσιν, videturque ita intellexiſſe, *Licitè* hoc poſſe fieri, liquidem dolus abſit, ut nihil Juri Naturæ detrahatur, etiamſi determinatione Juris civilis hæc licentia poſſit aliquo modo reſtringi; quemadmodum in Repub. Ro. fecit Diocletianus cum ſuo Collega per *l. 2. C. de reſcind. vend.* Atque hoc eſt quod Ariſtoteles dicit 5. *Nicom. 4. §. 35.* emptionem venditionem ejusque generis contractus alios ejus eſſe conditionis, in quibus ἄδειαν ἔδωκεν ὁ νόμος, *in quibus per legem licet impune rebus ſuis conſulere lucrumque facere.* Hinc de Locatione Conductione ita pronuntiat JCtus: *Quemadmodum in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere: quod minoris ſit, pluris vendere, & invicem ſe circumſcribere; ita in locationibus quoque & conductionibus juris eſt. l. 22. §. 3. ff. loc. cond.* Et verò niſi hoc quadantenus licitum eſſet Jure naturæ & civili, quomodo plurimorum hominum ſaluti ac neceſſitatibus ſubveniretur, qui vel in diſſitis locis, aut infrugiferis inſulis, aut aſperis mon-

*obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura, nonne inutile eſt, vitio-*

montibus habitant, qui bello aut fame premuntur, aut alia calamitate adflicti opem aliorum hominum anhelant? Nonne etiam æſtimari debet periculum naufragii, & ſi urbs obſidione clauſa ſit, nonne periculum confiſcationis, quandoquidem jure belli commeatus & ejus generis alia advehere hoſtibus non licet? Qui, incendio in Urbe quadam coorto, primus approperaverit cum aqua, magnum ſæpe lucrum accipit, nec indignum creditur, etiamſi reliqui poſt illum accurrentes nihil conſequantur. Qui ergo aliorum neceſſitatibus præ aliis ſuccurrit, eritne turpe, ſi & ipſe pluſculum lucretur, quàm alii. De periculo naufragii quod dixi, eandem rationem videtur ſecutum eſſe Jus Civile Romanum, quando fœnus nauticum pro pecunia trajectitia multùm permiſit excedere alius ſortis uſuras. Unde illud fœnus Scævolæ imitatione haut incommodè appellari queat *Periculi pretium l. 5. ff. de naut. fœn.* quod olim infinitum fuit, poſtea lege definitum per *l. 26. C. de uſur.* qua ultra centeſimas uſuras, hoc eſt, ſingulis annis duodecim, ſtipulari non licet; etſi à mercatoribus ille modus non ſemper obſervetur, uti ad Weſenbecium notat Viennius. Quid quod ſæpe Mercator dum alios juvare ſtudet, lucri ſpe, maximam ſæpe & hinc jacturam faciat, quod exigua indigentia, & quod inde aptum eſt pretium exiguum rerum advectarum percipiatur: Nonne igitur licitè alia vice ſuæ rei conſulere damnumque reſarcire poterit, ut qui impiger ad extremos Indos currat, *Per mare pauperiem fugiens per ſaxa, per ignes*? Hoc profectò niſi conceſſeris, nemo ſalva conſcientia & ſimul re ſua ſalva poterit commercia exercere: quibus ſublatis, diſſolves

ipſam

*vitiorum ſubire nomina?* (1) *Quod ſi vituperandi ſunt, qui reticuerunt: quid de iis exiſtimandum eſt, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques R. homo nec infacetus, & ſatis literatus, cum ſe Syracuſas otiandi cauſſa, non negotiandi, (ut ipſe dicere ſolebat,) contuliſſet, dictitabat, ſe hortulos aliquot velle emere, quo invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. Quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argen-*

ipſam hominum ſocietatem, & homo hominis ope & induſtria, qua vel maximè indigeret, deſtitueretur. Si igitur dolus, ſi inhumana & avara prorſus lucrifaciendi cupiditas abſit, non erunt fallaces, malitioſi, veteratores, & quibus aliis Cicero hos ornat elogiis; ſed uti magna induſtria, labore, periculo & ſumptu aliis ſubveniunt, ita horum omnium juſtum pretium in lucro licitè ponitur & accipitur. Plura de hac quæſtione ſcripſi ad Grotii *lib. 2. c. 12. §. ult.*

(1) *Quod ſi vituperandi.*) A minori ad majus procedit, ſi illi vituperandi ſunt, qui reticendo peccarunt, quanto magis damnandi ſunt hi, qui orationis vanitate, hoc eſt, mendacio merces plus æquo commendarunt, ac emptorem deceperunt. De reticentia jam dictum eſt. Poſterioris generis venditorem quod attinet, laudantem venales, quæ vult extrudere merces; ſiquidem verba rei non conſentiant, dolosè (mendacium enim cum dolo conjunctum eſt) alterum circumvenire ſtudet: eoque nomine ut fraudulentus & improbus eſt damnandus; niſi fortè imprudentia lapſus ſit, aut alia ratione à dolo liberari queat. Ejusmodi veteratoriæ artis admodum feſtivum recitat exemplum.

*Argen-*

(1) *argentariam faceret Syracusis, dixit, venaleis quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: & simul ad cœnam invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omneis ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, & ab iis petivit, ut ante suos hortulos postera die piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare apparatum erat convivium: cymbarum ante oculos multitudo. Pro se quisque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius, Quæso, inquit, quid est, ô Pythi? tantumne piscium? tantumne cymbarum? & ille, Quid mirum? inquit: hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hic aquatio: hæc villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. (2) Emit homo cupidus, & locuples, tanti, quanti Pythius voluit, & emit instructos: nomina facit: negotiũ conficit. Invitat Canius postera die familiareis suos:*

(1) *Argentariam facere.*) Est argentarii munus exercere & obire. Dicebantur etiam illi argentarii, Nummularii, Mensarii, trapezitæ. Videantur textus juris huc pertinentes *tit. ff. de edendo.*

(2) *Emit instructos.*) Instructus fundus aut hortus dicitur, non modo si adsint, quæ fundo necessaria sunt, verum ea appellatione comprehenduntur omnia illa, quibus dominus suum fundum aut hortum instruxit, piscinis,

*ſuos: venit ipſe mature:* (1) *ſcalmum nullum videt: quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quod eos nullos videret. Nullæ, quod ſciam, inquit ille: ſed hic piſcari nulli ſolent: itaque heri mirabar, quid accidiſſet. Stomachari Canius: ſed quid faceret? nondum enim* (2) *Aquilius collega, & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis, cum ex*

piſcinis, balneis, ſphæriſterio, prætorio. Vide *l. 12. ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.*

(1) *Scalmum nullum videt.*) h.e. nullam non modo videt ſcapham, ſed ne ſcaphæ quidem ſcalmum. Scalmus enim, σκαλμὸς, eſt lignum teres, cui nautæ remos loro quodam alligant, ſive lignum feneſtratum in apſidem, cui remus immittitur, ut facilius & ſolidiùs impellatur. Si quis tamen σωεκδοχικῶς hoc accipere malit, nihil vetare videtur. Hinc decemſcalmus, actuariolum, quod decem ſcalmis agi poterat.

(2) *Aquilius collega.*) Hinc apparet, ſi olim alter in contrahendo alterum fraudulenter circumſcripſiſſet, id impunè ei licuiſſe: quod cum eſſet periniquum, & tamen uſu contra Naturæ jus invaluiſſet, vindicando dolo proprium Edictum princeps propoſuit prætor Aquillius. De quo hæc exſtant Ciceronis verba 3. *de Nat. Deor. p. m. 345. Everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo: quod C. Aquillius, familiaris noſter protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud ſit ſimulatum, aliud actum.* Eadem hîc eſt Doli deſcriptio, quæ eſt in officiis: in qua ne quis temerè quidquam deſideret, ex prioribus repetendum eſt, illam ſimulationem à malitia debere eſſe

*ex eo quæreretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine* (1) *perito definien-*

profectam. Hinc 3. *de Nat. Deor.* mox ita inquit: *Est enim Malitia versuta & fallax nocendi ratio.* Hæc ita conjungit Servius *l.* 1. §. 2. *ff. de dol. mal. Dolum malum Servius quidem ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, & aliud agitur.* Ubi igitur nocendi consilium abest, & fortasse aliud simulatur, aliud agitur, Dolus minimè censeri debet. Notat etiam Brissonius 6. *de Form. pag.* 507. in venditionibus (cujus hic exemplum proposuit Cicero) ferè solitum fuisse adjici, *Dolus malus à venditore aberit.* Ambrosius 3. *Offic.* 10. *Quid loquar de contractibus cæteris, ac maximè de coëmptione prædiorum, vel transactionibus atque pactis. Nonne honestatis formulæ sunt,* Dolum malum abesse, *eumque cujus dolus fuerit deprehensus, duplipœnæ obnoxium fore.* Ut autem nobis rectiùs etiam de hoc Aquilio constet, fuit is C. Aquilius Gallus, JCtus, discipulus Q. Mutii, unde eum familiarem, & ratione Præturæ collegam suum appellat Cicero, qui valde illum laudat Oratione pro *A. Cæcinna*, pro L. *Flacco* & in *claris Oratorib.* Vid. etiam Valerius *l.* 8. *c.* 2. Præterea nec hoc est negligendum, per *formulas de dolo malo* Ciceronem nihil aliud intelligere, quàm actiones. Nam ubi ordinaria juris dicundi via utebatur Prætor, vadimonio concepto, & causa summatim cognita, ad judicem pedaneum litigantes amandabat, certa formula iis præscripta, juxta quam coram illo judice agendum erat: unde ipsa actio sæpe dicitur *formula.* Hinc etiam Plinius *l.* 9. *hist. c.* 59. meminit formulæ damni dati, h. e. actionis ex l. Aquilia.

(1) *Perito definiendi.*) Non equidem in illa definitione

*finiendi. Ergo & Pythius, & omnes, aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe, cum ſit tot vitiis inquinatum. Quodſi Aquiliana definitio vera eſt; (2) ex omni vita ſimulatio, diſſimulatioque, tollenda eſt. Ita nec, ut emat melius, nec ut vendat, quisquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir*

tione cerni magna ars aut peritia poteſt, ſiquidem præcepta Dialectices ſpectes. Fortè ſic rectius Dolum malum definiveris, quod ſit mala προλήψεως alterum iniquè lædendi in aliquo bono, unde exiſtere poſſit inæqualitas.

(1) *Ex omni vita.*) Doli mali, contractus & commercia hominum vitiantis odio nimis latè provehitur Cicero. *Nam cum nec quæ ſcias, nec quæ velis, omnia aperire tenearis, ſequitur ut diſſimulare quædam apud quosdam, id eſt tegere & occultare fas ſit.* Verba ſunt Grotii 3. *de J.B.P.c.* 1. *n.* 7. Ubi etiam videre licet explicata de Jeremia & Abrahamo exempla diſſimulationis. Unde de hoc ita Auguſtinus: *Veritatem voluit celari, non mendacium dici. c. quæritur. Cauſa* 22. *q.* 2. cui addi poſſunt plures ibi hanc in rem extantes egregii textus. Idem Pater ubi de Mendacio ſcribit, inquit: *Licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Talem ſine dolo aut nocendi animo diſſimulationem uſurpatam etiam commendare videtur Ariſtoteles, quando Socratem dicit fuiſſe εἴρωνα. 4. *Nicom.* 7. §. 29. Talem quoque interdum eſſe Virum Magnanimum ait, πρὸς τὰς πολλὰς, etſi candidi pectoris ſit & liberi oris, παρρησιαστικός. 4. *Nicom.* 3. §. 65. Hæc de Diſſimulatione. Sed quæritur an etiam ſimulare liceat. Sanè ſi aliqua Simulatio ſine dolo ſit, & prudenter adhibeatur, ut videlicet inter vaferrimos ho-

*vir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus: ut tutela XII. tabul. & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria; & ſine lege, judiciis,*

mines conſtitutus vel te ſecurum præſtes, vel ſi id officii tui ſit, ut illorum malitiam deprehendas & punias, hanc ſæpe ſaltem licitam eſſe nemo credo inficiabitur. At cum dolo conjuncta Simulatio eſt quoddam mendacium. Grotius inter hæc duo tale diſcrimen conſtituit: *Dolus qui in actu poſitivo conſiſtit, ſi in rebus, Simulatio; ſi in ſermone, Mendacium vocatur. lib. 3. de J. B. P. c. 1. n. 8.* ubi plura de his commentati ſumus.

*Etiam legibus.* Quantopere dolus, & dolosè quæſita utilitas repugnet honeſto, non ſolùm ex uno Prætorum remedio colligi poteſt, quorum Edicto reſcindebatur contractus dolo laborans, & reſtitutio in integrum dabatur. Hic oſtendit etiam Legem civilem in nonnullis cauſis illum deteſtatam fuiſſe, ſi infidus tutor pupillum forſan circumſcripſiſſet; hanc enim fraudem Tutoris & l. XII. Tabb. &, ſi curator minorem circumveniſſet, Lege Lætoria coërcitam fuiſſe dicit. Verba l. XII. Tabb. hæc ſunt: *Ut ſi quis doli mali culpæve in tutela gerenda ſuſpectus videretur, cum cuivis apud Prætorem ſuſpecti arguere jus eſſet: utique doli damnatus infamis fieret.* Lectoria lex (ita enim legendum eſt) longo intervallo poſt legem XII. Tabb. lata eſt à Q. Lectorio, qua cautum fuit, ne à minoribus XXV. annis ſtipulari liceret, hoc eſt, ne ſtipulatione obligari poſſent. Eadem circumventoribus minoris ætatis in contractibus pœnam ſtatuit. Quia verò furioſis & prodigis, qui furioſum ſuorum bonorum faciunt exitum, uti eleganter loquitur JCtus, etiam Curatores dabantur, hos quoque Lex hæc circumveniri prohibuit; cujus capitis meminit Capitolinus *in M. Anton. Philoſ.*

*Judiciis.*

(1) *judiciis, in quibus additur*, Ex fide bona agitur. *reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt*: (2) *in arbitrio rei uxoriæ*, Melius, æquius: *in fiducia*, Ut inter bonos bene agier. *Quid*

(1) *Judiciis.*) Præter Prætorum edicta, & Leges, etiam Judiciis repressa fuit dolo quæsita utilitas; non tamen omnibus, sed in quibus, *Ex fide bona.* Unde bonæfidei contractus, bonæ fidei Judicia, bonæ fidei actiones JCtis dicuntur. Cui formulæ quantum tribuendum sit, ipse Cicero in sequentibus declarat. Convenientissimè etiã illã formulam interpretatur Paulus, quando dicit Bonam fidem esse contrariam fraudi & dolo. *l. 3. in fin. ff. pro Soc.* Horum contractuum & judiciorum ea est natura, ut etiamsi formula *Ex fide bona* non fuerit adjecta, nihilominus omnis dolus abesse debeat, & præstari quod bona fides à bono viro exigit. Vid. *l. 68. §. 1. ff. de contrah. empt.* Sed de bonæ fidei actionibus & Judiciis, & quæ his opponuntur, prolixè atque eruditè differens legi meretur Bachovius *Tract. de Action. Disp.* 6. & Sutholto citati plures alii *disp.* 18. §. 58. Notandum hic, actionum bonæ fidei tres fuisse formulas: unam, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis, *Ex bona fide*: alteram quæ in fiduciis usurpabatur, cum his: *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*: tertiam, rei uxoriæ propriam, cum his: *Quantum æquius, melius.* De quibus etiam videri meretur Sigonius *libr.* 1. *de Judic. cap.* 21. *sub fin.* (2) *In arbitrio rei uxoriæ.*) Adfertur alia formula, in rei uxoriæ arbitrio usurpata, qua omnis inhonestè lucrum captandi ratio ac techna excluditur, Idem Cicero in *Topic.* *Inprimisq; arbitrio rei uxoriæ, in quo est æquius melius,*

*Quid ergo? aut in eo, quod melius, æquius est, potest ulla pars inesse fraudis: aut, cum dicitur,* (1) *inter bonos bene agier, quidquam agi dolose, aut malitiose parati esse debent.* Huc respexit JCtus *l.* 66. §. *ult. ff. sol. matrim. quia nec melius æquius esset, quod exigere vir ab uxore non potuisset, ob id ex detrimento viri mulierem locupletari.* Proculus quoque, in *l.* 82. *ff. de solut.* in qua de viri & uxoris controversia quadam in rei uxoriæ actionem cadente tractans, ita loquitur: *nec melius nec æquius esse existimarem eum fundum Sejæ reddi.* Videtur autem non solum huic actioni adhibita aut inserta fuisse hæc formula, sed ad plures pertinuisse. Ita enim legimus apud Ciceronem pro *Rosc. Com.* *Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quantum æquius melius sit dari.* Et postea: *arbitrum sumpseris, quantum æquius melius sit dare, repromittive, si pareret.* Et paulò pòst: *Quis unquam, ab arbitris quantum petiit, tantum abstulit? Nemo. Quantum enim æquius esset sibi dari, petit.* Videtur itaque hæc formula omnibus judiciis arbitrariis fuisse præscripta: id quod disertis verbis confirmat Sigonius *l. cit.* Est verò Uxoriæ rei actio, quoties post divortium de dote contentio est: inquit Boëthius in *Top. Cic.* Dos enim licet matrimonio constante in bonis viri sit, est tamen in uxoris jure, & post divortium velut res uxoria peti potest. Add. *l. pen. C. de jur. dot.*

(1) *In fiducia, ut inter bonos bene agier.*) Fiducia erat contractus juris civilis, & species quædam mancipationis, qua fidem alicujus secuti, rem ei aliquam dicis causa mancipabant, ea lege, ut eam mancipanti vicissim manciparet. Sigonius *lib.* 1. *de Judic. c.* 5. Sed & speciatim Fiducia veteri Juris significatione accipitur pro pignore, quod creditori mancipatur, aut in jure ceditur, ea lege, ut soluta ad diem pecunia remancipetur; non

Digitized

*tioſe poteſt? dolus autem malus ſimulatione, & diſſimulatione, ut ait Aquilius, continetur.* (1) *Tollendum eſt igitur in rebus contrahendis omne mendacium.* (2) *Non licitatorem venditor, nec, qui* non ſoluta, creditori pleno jure committatur, id eſt, lege commiſſoria cedat. Nam aliàs pignoris dominium in creditorem non transfertur, ſed penes debitorem manet, qui nudam poſſeſſionem transfert. Atque hanc differentiam inter Fiduciam & Pignus annotavit etiam Iſidorus 5. *Etymol. c.* 21. Adde *l.* 35. §. *ult. ff. de pignor. act.* Huic igitur Fiduciæ arbitrio ſolennis fuit hæc formula, *Ut inter bonos bene agier.* Quam plenius in Topicis profert. *Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione.* Atque totidem verbis illam in hoc libro infrà repetit. Cum Cicero intellexiſſet Trebatium JCtum Epicureum eſſe factum, atque hæc ſecta omnia ſua voluptate ac commoditate metiatur, hæc illi objicit *l.* 7. *Epiſt.* 12. *Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tua cauſa facias, non civium? Ubi porro illa erit formula Fiduciæ, Ut inter bonos bene agier oportet? Quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſua cauſa.* Quæ ſanè ſcopum Ciceronis hoc loco egregiè illuſtrant.

(1) *Tollendum eſt.*) Rectè ſe habet hoc præceptum, ſiquidem propriè dictum Mendacium intelligas, quod ſine dolo ac nocendi animo tale non eſt. Diſſimulatio autem, & nonnunquam Simulatio dolo vacat, adeoque pro Mendaciis ſimpliciter & ubique habendæ non ſunt: quod vel ex illo Principum axiomate notum eſſe poteſt, *Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare.* Plura de Mendacio, Simulatione & diſſimulatione diximus ad Grotii *lib.* 3. *c.* 1. *de J. B. P.*

(2) *Non licitatorem.*) Exemplum calliditatis adfert

*qui contra ſe liceatur, emptor opponet:* (1) *uterque ſi ad eloquendum venerit, non plus, quam ſemel, eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel indicaretur, idq; venditor ita feciſſet: dixit, ſe pluris æſtimare: addidit centum millia. Nemo eſt,*

in contractu emptionis venditionis, qua alter alterum utilitatis gratia nequiter ſæpe circumvenire ſtudet.

(1) *Uterque.*) Suggerit jam præceptum, quo pacto liciſtatio, aut emptio venditio fieri debeat. Venditor quam minimum rei pretium ſtatuat, quod ille partim ex ipſa re, partim ex labore, ſumptu aut periculo, quæ acceſſerunt, candidè, ſine fuco & fraude æſtimabit. Emptor quoque, ſi illa indiguerit, in dictum pretium, cæteris paribus, conſentiat, nec ambagibus aut tergiverſationibus aut illuſionibus venditorem circumſcribere ſtudeat. Ab hoc præcepto abit ille modus in *l.* 8. *C. de reſcind. vend.* deſcriptus, qui uſui quidem vulgari, non item Officio conſentaneus eſt, ut ſanè καλλαχτικῶς ejusmodi cunctatio ad ſubſtantiam illius contractus ibi facere dicatur. Verba legis illius inter alia hæc ſunt: *Hoc ſolum, quod paulò minore pretio fundum venditum ſignificas, ad reſcindendam venditionem invalidum eſt. Quod ſi videlicet contractus emptionis atque venditionis cogitaſſes ſubſtantiam, & quod emptor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant, vixq; poſt multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emptore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum conſentiant pretium; profecto perſpicares &c.* Hanc ſimplicem æquitatem in hoc contractu, eique ſimilibus aliis obſervandam inſigni exemplo comproba-: quod uti non-

nunquam

*est, qui hoc boni viri fuisse neget : sapientis, negant : ut si minoris , quam potuisset , vendidisset.* (1) *Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius :* (2) Ne quidquã sapere sapientẽ, qui sibi ipsi prodesse nequiret.

nunquam sequi necessum est , si bonam fidem & conscientiam tueri velis; non tamen ubique id fieri opus est, cum in arbitrio sit venditoris, quanti velit rem suam æstimare, & sæpe sat gravis causa subesse queat, cur minoris ille rem suam æstimet, quam majori pretio emere non utique sis obligatus.

(1) *Hæc igitur.*) Meritò atque iterum meritò illum seculi usum increpat, quo simplices mores, candor & sinceritas, à sapientia seu prudentia secernuntur , & aperti pectoris homines sæpe stultorum , duplices ac fallaces sapientum nomine traducuntur: planè ac si cum morum simplicitate ac candore malè conveniat prudentia. Scilicet eadem semper est Prudentia, etsi non semper eodem appareat vultu. *Qua etiam de causa*, inquit hic Wolfius, *simulatio & dissimulatio, nec aliis nocens , & tibi utilis & necessaria, fortasse non usque adeo vituperanda est.* Quæ verba in gratiam eorum , quæ suprà de Simulatione & Dissimulatione disputata sunt, adjicere placuit. Ipse Servator his nos verbis monet, quib. *Prudẽs simplicitas*, inter beatitatis partes à Martiale laudata, optimè comprehenditur: γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί, *estote prudentes, velut serpentes: & simplices, veluti columbæ. Matth.* 10. *v.* 16.

(2) *Nequidquam sapere.*) Ex Euripide hoc translatum est. μισῶ σοφίσμην ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Meminit etiam illius Enniani versus in *lib.* 7. *ep.* 6. Cicero.

quiret. *Vere id quidem, si, quid esset prodesse,* (1) *mihi cum Ennio conveniret.* (2) *Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panætii, video in iis libris, quos de officiis scripsit, Q. Tuberoni dicere, Sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris: neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque Reipublicæ.* (3) *Singulorum enim facultates, & copiæ, divitiæ sunt*

(1) *Mihi cum Ennio.*) De Ciceronis sententia nobis abunde constat, quod nil prosit, seu utile sit, nisi quod idem justum & honestum est. Ennius autem forsan hæc discrevit, ut sanè sæpe discerni possunt & debent, ceu suprà ostensum fuit.

(2) *Hecatonem.*) Ut lucri compendia quærentes tantò fortiùs urgeat, & hujus Scriptoris doctrinam ac præceptum elevat, sapientiam seu prudentiam cum cura rei familiaris conjungendam esse monens. Et sanè rationem illius assertionis egregiam ac solidam adfert, comprobatam etiam ab Aristotele, qui ad illos omnes, qui hic ab Hecatone enumerati leguntur, Felicitatis civilis *αὐτάρκειαν* extendit. 1. *Nicom.* 7. §. 20.

(3) *Singulorum.*) Optimè. Qui enim verè sunt cives alicujus Reip. membra sunt sui totius, sic ut non solùm quodab bona, sed etiam summa ingruente necessitate (qualis belli est) ad vitam Reip. sint obligati. Isocrates: *ἅπαντα τὰ τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν, οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστί.* Quod tamen dictum commodè interpretandum summum jus in summam degeneret injuriam. Grotius 3. *de J. B. P. c.* 20. §. 7. & Cl. Bœclerus *diss. de Dominio Eminenti.*

Huic

*ſunt ciuitatis.* (1) *Huic Scævolæ factum, de quo paullo ante dixi, placere nullo modo poteſt. Etenim omnino ſe negat facturum compendii ſui cauſſa, quod non liceat.* (2) *Huic nec laus magna tribuenda eſt, nec gratia.* (3) *Sed ſive & ſimulatio, & diſſimulatio dolus malus eſt, perpaucæres ſunt, in quibus.*

(1) *Huic Scævolæ.*) Vel Juſtitiæ amore Scævola ita fecit, vel gloriolæ captandæ ſtudio. Poſterius non admittet Cicero: eſto igitur, factum ſit priori conſilio. Atque ſic non poteſt factum Scævolæ Hecatoni diſplicere; nec enim rationem rei familiaris habendam eſſe ait qualemcunque, ut quovis etiam titulo & modo diteſcas, ſed ſolùm honeſtam ſeu licitam, quæ cum prudentia & juſtitiâ conſiſtere queat.

(2) *Huic nec laus.*) Sententia Ciceronis videtur hæc eſſe, Scævolam eo facto oſtendiſſe, revera ſe virum bonum & juſtum & ſapientem fuiſſe. Hecato verò dum Sapientem illum eſſe cenſet, qui jura quidem obſervet, ſed etiam curam habeat rei familiaris, adeoque utile videatur ſecernere à Juſto, non videtur magnam laudem aut gratiam mereri, quod hactenus ſolum juſtitiam obſervet, quatenus non damnum ſentit in re familiari. Ut hæc verba, *Etenim omnino negat*, ad Scævolam: *Huic &c.* ad Q. Tuberonem ſint referenda. Alii aliter hæc interpretantur.

(3) *Sed ſive.*) Supponit hic falſum prius, unde non poteſt non ſequi falſum poſterius. Omnem enim ſimulationem & diſſimulationem cum dolo conjunctam eſſe ſupponit: &, cum nemo ferè non ſimulet aut diſſimulet in vita, neminem etiam fortè à dolo malo abſolvi poſſe. Antecedentis verò falſitatem ego jam ſuprà coargui, ubi oſtendi, poſſe dolum à ſimulante ac diſſimulante

ſæpe

*quibus dolus iſte malus non verſetur*: (1) *ſive vir bonus eſt is qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini, rectè juſtum virum bonum non facile reperiemus. Nunquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe: & quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt utile.* (2) *Ac de jure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam, cum ex duodecim tabulis ſatis eſſet cautum, ea præſtari, quæ eſſent lingua*

ſæpe abeſſe, ut ſine ullo honeſti detrimento ſimulet vel diſſimulet.

(1) *Sive vir bonus.*) Supponit item perfectam ideam Viri boni, quiſque idem non καθήκοντα ſolùm, ſed κατορθώματα Juſtitiæ exhibeat; hunc enim videtur appellare rectè juſtum. Qua idea poſita, utique ſequitur, vix reperiri talem Virum bonum. Quis enim ita prodeſt quamplurimis, ut Juſtitiam pro norma exactiſſimè obſervet, atque ita boni & juſti viri nomen pro dignitate tueatur, ejusque officia impleat, ut nullam ſuæ utilitatis rationem ſit habiturus?

(2) *Ac de jure.*) Pergit demonſtrare, quomodo in aliis etiam capitibus Honeſto repugnans πλεονεξία, & huic ſubſervientes variæ fraudes, Juris civilis prudentia repreſſæ fuerint. De quibus hic prædiis agatur, ex ſubſequenti exemplo patet. More enim JCtorum hac voce uritur, qui prædia alia faciunt urbana, alia ruſtica, non tam loco aut ſitu, quàm qualitate & uſu ita deſtinata. De reticentiæ pœna à JCtis conſtituta jam ſuprà egi, eoque fine complures textus congeſſi. Horum ſententiam cum jure veteri XII. Tabb. confert, ut argumentũ tantò rectius

urgeat.

*lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subierit: à jurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quidquid enim inest prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Vt, cum* (1) *in arce auguriumaugures acturi essent, jussissent q. F. Claudium Centimalum, qui ædeis in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis: Claudius proscripsit,* (2) *insulam vendidit: emit Publius Calpurnius Lanarius. Huic*

*ab*

urgeat. Si quis lingua quid nuncupasset, id est, voluntatem suam lingua & voce disertè expressisset, ac post fortè inficiatus illam esset, dupli pœnam subibat. At JCti deinceps etiam reticentiæ pœnam statuerunt, ubi nuncupatum non fuisset, quod tamen disertè præ se ferre debuisset, data actione redhibitoria. Cæterum an ex omni inficiatione, in quacunque etiam causa, dupli pœna Lege XII. Tabb. fuerit orta, dubito; etiamsi generaliter hic Cicero loquatur. De actione ex l. Aquilia nota aliàs res est, quod contra confitentem in simplum, contra inficiantem pœnæ nomine in duplum competat. *l. 2. §. 1. l. 23. §. pen. ff. ad l. Aquil. l. 7. ff. de solut. add. §. 23. Instit. de action.* De Jure civili, cujus hic mentio fit, suprà dixi. (1) *In arce.*) Hæc vox οἰωνοσκοπεῖον denotat, Auguraculum veteribus, quod deinde Arcem dixerunt, ubi augures publicè auspicarentur. Videatur Varro 4. de LL. & Festus. (2) *Insulam.*) Rectissimè hanc quoq; vocem explicat Festus: *Insulæ*, inquit, *dictæ proprie, quæ non junguntur communib. parietibus cum vicinis, circuituq; publico aut privato cinguntur: à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, suntq; in salo positæ.* Ejusmodi Insulæ

etsi

*ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius, cum demolitus esset, cognovissetque, Claudiũ ædeis postea proscripsisse, quàm esset ab auguribus demoliri jussus,* (1) *arbitrũ illum adegit, QUIDQUID SIBI DARE, FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater. Vt enim cæteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit,* (2) *ex filio nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit:* Cum in venundando rem eam sciisset, & non pronuntiavisset, emptori damnum pręstari oportere. *Igitur* etsi olim quidem in Urbe fuerint satis multæ, post Neronis tamen ætatem fuerunt frequentissimæ. Hic enim, uti Tacitus memorat XV. *Annal.* jussit, ne domus *communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur:* ut tanto faciliùs incendia reprimerentur. Unde non est quod mireris, cur P. Victor (de quo vide, si lubet, Vossium de *Hist. Lat. lib.* 2. *p.* 198.) in quaque regione Vrbis multò ampliore numero insulas enumeret, quàm domus. Hanc quoque causam crediderim, cur toties Insularum mentio fiat in Digestis.

(1) *Arbitrum illum.*) Hinc apparet, quomodo dolosè captata utilitas bonæ fidei formula ad naturalem æquitatem, ejusmodi contractui convenientem, per judices aut arbitros redacta fuerit.

(2) *Ex filio est nominandus.*) Est verò illud Lumen, omnium ore celebratissimus Cato Vticensis, qui haut ita pridem, cum hæc scriberet Cicero, Vticæ sua manu ceciderat, ne servientem patriam, aut superbum victorem, (qui nemini unquam aut blandiri aut cedere dicerat,) adspiceret. De Catonibus, seu familia Porcia

vid.

*Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori vitiũ, quod noſſet venditor.* (1) *Quodſi rectè judicavit: non rectè frumentarius ille, non rectè ædium peſtilentium venditor tacuit. Sed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non poſſunt: quæ autem poſſunt, diligenter tenentur.* (2) *M. Marius Gratidianus, propinquus noſter, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. Hæ Sergio ſerviebant. ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Craſſus urgebat: quod vitium venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari: æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec*

vid. *Gell. l.* 13. *Noct. c.* 18. *Igitur ad fidem bonam. Quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem.* Et *redhibitionem quoque contineri empti judicio,* JCti rectè ſenſerunt. *l.* 1. §. 1. *l.* 11. §. 3. *ff. de act. empt.* Vide Caroli Magni cap. 216.

(1) *Quod ſi rectè.*) Hoc Catonis arbitrium ad ſuperiora quoq; exempla pertinere oſtendit; ſed cum ubique non eadem ſit reticentiæ ratio, idem de omnibus pronuntiari nequit. Circumſtantiæ enim, uti vulgò dici ſolet, variant jus: quæ cum penè infinitæ ſint, hinc rectè ſubdit, omnes reticentiæ modos jure civili comprehendi nequiviſſe.

(2) *M. Marius.*) De hac quæſtione quid ſentiendum ſit, ex Grotio jam ſuprà intelleximus, & omnino diſtinguendum

*nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret.* (1) *Quorsum hæc? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos* 917 (2) *Sed aliter leges, aliter Philosophi, tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere res possunt: Philosophi, quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiosè, ne quid simu-*

guendum est inter vitia latentia, & nota. *l. 1. in f. ff. de act. empt.*

(1) *Quorsum hæc?*) Cicero id unicè operam dat, nullam utilitatis rationem esse habendam, quæ ab honestate dissideat, videturque propendere in causam Sergii, cui servitus à Gratidiano non fuisset in mancipio seu dominii translatione solenni disertè expressa. Cæterum cum non adferat, quid à Judicibus pronuntiatum sit in hac causa, crediderim secundum Gratidianum dictam fuisse sententiam. Nec enim illa fuit quædam astutia aut dolus Gratidiani, cum servitutis, quæ Sergio minimè ignota esse poterat, mentionem non injecisset.

(2) *Sed aliter leges.*) Hoc videtur significare, Leges civiles subsidium quidem solere præstare adversus ejusmodi technas, sed nonnisi quatenus manu teneri res possunt, hoc est, quatenus actio aliqua ex dictis factisque externis informatur. At Philosophia ipsum animum perscrutatur, & quam προαίρεσιν attulerit, investigat. Rectè enim Seneca: *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse?* Rectius etiam illud Senecæ in Agamemnone: *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.* Ubi Pudor non tam hominum & famæ, quàm æqui & boni, aut certè quod æquius meliusque est, respectum significat: uti hæc interpretatur Grotius *3. de J. B. P. 10. n. 1.* Etiamsi igitur

*ſimulate, ne quid fallaciter.* (1) *Sunt ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiamſi excitaturus non ſis, nec agitaturus. ipſæ enim feræ, nullo inſequente, ſæpe incidunt. Sic, tu cum ædeis proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quamquam video, propter depravationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri,*

igitur τὰ καθ' ἕκαστα in actionibus non ſemper liquidum jus in legibus civilibus definitum inveniant, Philoſophia tamen practica ejus eſt amplitudinis, ut nihil tam argutè aut tectè fiat, quin illius cenſuram admittere cogatur. Add. Grotius 2. *de J. B. P. c.* 12. §. 12.

(1) *Suntne igitur.*) Pereleganti ſimili callidorum hominum aucupia explicat: in quo ἔμφασις verborum probè obſervanda eſt. Vid. Grotius *Flor. ſpars. ad Jus Juſtin. p.* 27. De ipſa re ita ſentiendum eſſe videtur. Si quis domum vendat, cujus vitium ſit occultum, omnino illud à venditore prodi debet. Si manifeſtum, & à venditore illud non nuncupetur, tum illud vel fit eo conſilio & voto, ut, ſi fieri poſſit, ſua negligentia in inſidias incidat emptor: vel quod credat, non poſſe hoc facilè quenquam latere, nullo ſtudio aut deſiderio adhibito, ut decipiatur. Priori caſu lex quidem civilis ſuppetias haut facilè feret: &, ſi Ro. Remp. ſpectes, non, niſi inde tanta inæqualitas emerſerit, ut quæ dimidium juſti pretii exceſſerit, atque illud demum ex eo tempore, quo Diocletianus eam legem tulit. Interim licet minor ſit inæqualitas, eſt tamen contra rationem honeſtatis, quæ omnem nocendi & defraudandi cupiditatem excludit. Poſteriori caſu ejusmodi inæqualitas imputanda erit negli-

*ſanciri, aut jure civili; naturæ tamen lege ſancitum eſt.* (1) *Societas enim eſt (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſime quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis ſunt, proprior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus*

gentiæ emptoris. Quis enim aliàs foret litium finis, quàm inconſtans commerciorum ratio, quæ tandem infrequens & nulla eſſet futura. Interim quandocunque opus eſt, ut ſignificetur rei vendendæ vitium, non utique naturæ lege ſancitum eſt, ut hic ait Cicero, ut illa indicentur ipſa proſcriptionis tabula. Aliud eſt enim, ſignificare voluntatem aut conſilium vendendi, & vendere: poſterius hoc ubi fit, vitia indicaſſe ſufficit.

(1) *Societas.*) Ita eſt, uti ipſe ait, non ſemel jam hæc ab ipſo fuiſſe dicta. Omnis ſocietas regitur aliquo jure, idque pro ipſius Societatis natura comparatum eſt. Societatum verò natura eò differt, quod in alia atque alia major aut minor ſit rerum communio. Jam verò eſt univerſi generis humani quædam ſocietas: & Jus quo illa regitur gentium hic appellatur, hoc eſt, Naturæ: uti jam ſuprà item explicavi. Civilis autem Societas regitur jure civili. De hiſce juribus jam ita pronuntiat: *Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile eſſe debet.* Hæc ex ſuperioribus quidem rectè explicari poſſent, breviter tamen illa repetenda ſunt. Ex illa communiſſima hominum ſocietate multi ſe in civilem ſocietatem arctiorem contulerunt, non unum ob finem: de qua re videatur Ariſtoteles *3. Polit. c. 6.* ſibique peculiares quasdam leges civiles condiderunt, non à natura præſcri-

*jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. quod enim civile, non idem continuo gentium; quod autem*

præscriptas, sed arbitrio ipsorum inventas, quibus crediderunt suam utilitatem & αὐτάρκειαν civium promoveri posse. Hoc tamen Jus civile non eam habet autoritatem, ut abrogare aut derogare quidquam possit, quod sanctione Juris Naturalis comprehensum est, sed admisso & observato præcipuè in civitate Jure naturæ, aliquid solùm præter illud statuit, in iis rebus & actionibus, quæ à Natura certam Juris determinationem non acceperunt. Ergo quod gentium jus est, idem civile esse debet, hoc est, non existiment cives, se obligationi legum naturalium exemptos esse, quod civilibus utantur, iisque pròpriis. Hoc enim Jus, quod Naturæ dicimus, παντα χοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν. 5. *Nicom.* 7. §. 5. & omnes omnino homines sive in civili, sive in alia societate viventes obligat, planè uti urendi vim habet ignis & hic, & apud Persas, & ubique. At Civile jus non continuo est gentium: hoc est, non licet inferre, ac si Jus alicujus civitatis proprium, & ad ejus utilitatem accommodatum, obliget omnes gentes seu homines, sicut Jus naturæ. Eadem explicata legere licet apud Alb. Gentilem *lib.* 1. *de J. B. c.* 3. *& lib.* 3. *C. U.* Videtur autem Cicero his verbis voluisse confirmare, cur tam religiosè in contractibus bona fides & æqualitas observanda sit. Proinde cum dixisset, esse propiorem societatem eorum, qui ejusdem civitatis, potuisset etiam addere, propiorem adhuc esse contrahentium societatem, adeoque contractuum naturam utilitatis causa repertam propius quoddam jus exigere. Grotius 2. *de J. B. P. c.* 12. §. 9.

*autem gentium, idem civile esse debet.* (1) *Sed nos veri juris germanæque justitiæ solidam, & expressam effigiem nullam tenemus: umbra, & imaginibus utimur: easque ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ principiis & veritatis exemplis.* (2) *Nam quanti verba illa, VTI NE PROPTER TE, FIDEMVE TVAM, CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM? quam illa aurea! VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE. Sed qui*

(1) *Sed nos.*) Nota hic summi Philosophi & JCti contentionem inter Jus Naturæ & Civile Romanum. Quamvis autem hoc repræsentet istius nonnisi umbram & imaginem; optat tamen Cicero, ut cives Ro. leges suas civiles sequantur, ne de iis dicendum sit, quod apud Arist. 7. *Nicom.* 10. §. 12. Anaxandrides ait. Cur verò legibus civilibus Romanos parere velit, hac utitur ratione; feruntur enim ex optimis naturæ principiis. Jus enim civile Rom. magnam partem iis comprehenditur legibus, quæ tanquam conclusiones ex Juris naturæ Principiis sunt derivatæ. Sed nec illæ spernendæ sunt, quæ licet ex principiis juris naturæ non prono fluant alveo, modò nihil iis contineant adversum. Deinde etiam notetur, quod illas conclusiones legum civilium appellet veritatis exempla, hoc est, ipsius voluntatis divinæ, & naturalis Iustitiæ ideam referentes, & instar veritatis ac justitiæ divinæ repræsentantes.

(2) *Nam quanti.*) Ex conceptis Formularum verbis, juxta quos judicia institui solebant, manifestum esse vult, quomodo leges civiles ejusmodi formulas inculcantes ex principiis juris Naturæ, tanquam rivuli ex suis fonti-

*qui ſint boni, & quid ſit bene agier, magna quæſtio eſt. Quinctus quidem Scævola, Pont. Max. ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, EX FIDE BONA:* (1) *fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus,* (2) *fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis: quibus vitæ ſocietas continetur: In his magni eſſe*

fontibus profluant. Ius enim Naturæ omnem fraudem ac dolum deteſtatur: qua in re Leges civiles quidquid ſpeciatim vetant, ex illis principiis derivatum omne eſt. Quod attinet priorem formulam, *Uti ne propter te &c.* videtur illa veteri cuidam ſtipulationi acceſſiſſe, quamvis & hanc & ſequentem Briſſonius ad arbitrium Fiduciæ, de quo ſupra, referat: quem vide *lib. 5. de formul. pag. 373.*

(1) *Fideique bonæ nomen.*) Ex Scævolæ ſententia enumerat contractus, in quibus bona fides religiosè cumprimis obſervanda omnem dolum excludebat. Nam non eo ſenſu hi contractus bonę fidei dici conſueverunt, ac ſi reliqui poſſint eſſe ſine bona fide, ſed quod in his eximiè conſpicua debeat eſſe bona fides, vimque ſuam latiùs explicare. Addatur autem omnino §. 28. *Inſtit. de Actionib.* & ibi Dd. Bachovius de Actionib. *diſp. 6. num. 2. ſeqq. add. l. 23. ff. de R. I.*

(2) *Fiduciis.*) Hæc vox cum ſit ambigua, vel intelligi poſſit pro pignore, quod creditori mancipatur, ea lege, ut ſoluta pecunia remancipatur: non ſoluta, creditori pleno jure cedat. Vel Fiducia accipi poſſit, pro redhibendi aut revendendi lege, venditiquè appoſita: vel denique pro tutela fiduciaria. *Inſt. de Fiduc. tut.* cui ſententiæ accedit Fr. Maturantius.



Digitized by Google

*esse judicis, statuere,* (1) *præsertim cum in plerisq; essent judicia contraria, quid quemque cuique* (2) *præstare oporteret.* (3) *Quocirca astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque pluri-*

(1) *Præsertim.*) In enumeratis contractibus utrinque præstationes sæpe debentur. Ita in tutelis pupillus adversus tutorem habet actionem directam, tutor adversus pupillum contrariam. Ita quoque se res habet in commodato, mandato, depositio, negotiis gestis, & pignoratitia seu fiducia. Has sex nobis contrarias actiones memorant JCti. Actio pro socio ex l. XII. Tabb. utrinque directa est, quia utriusque socii causa instituta est. Ad eum modum se quoque res habere videtur in emptione venditione, & in locatione conductione. Magni igitur judicis est, definire in his, quid utrinque debeat præstari, & quidem juxta illam formulam, *Ex bona fide.* Quia autem non in omnibus enumeratis contractibus locum habet actio contraria, ideo bene addit Cicero, *in plerisque.*

(2) *Præstari.*) More JCtorum hic loquitur Cicero, non minor JCtus quàm Orator, judicio Jac. Gothofredi ad *l. 23. ff. de R. I.* Præstare verò sensu JCtorum est, quid cuipiam alius teneatur facere, luere, sarcire, si qua inæqualitas aut læsio iniquè contigerit. Unde etiam hac vocebis utitur Ulpianus *d. l. 23. ff. de R. I.* qua de Præstationibus ex variis contractibus debitis agitur. Hahnius *disput. select.* 1.

(3) *Quocirca astutiæ.*) Astutiam & malitiam Prudentiæ opponit. Sicuti enim Prudentia ubi est, ibi quoque perfecta Virtus & Bonitas reperitur: ita quoque Astutia

*plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum, & malorum: malitia (si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt) mala bonis anteponit.* (1) *Nec verò in prædiis solum jus civile, ductum à natura, malitiam, fraudemq; vindicat: sed & in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de*

Astutia cum Malitia perpetuo nexu cohæret. *6. Nicom. 5. §. 9. & cap. 13.*

(1) *Nec verò in.*) Pergit docere in mancipiorum venditione legibus civilibus eliminatam fuisse omnem fraudem, quam cum ipsa Natura damnet, rectè hoc Jus civile à Natura ductum pronuntiat. Quod verò attinet, morbos, fugam, & vitium mancipiorum videatur *tot. tit. ff. de ædil. edict.* Ipsum Edictum recitatur à Jurisconsulto *l. 1. §. 1. eod.* cui §. 2. hanc rationem cum Ciceroniana planè convenientem subjungit: *Causa hujus Edicti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium, & emptoribus succurratur, quicunque decepti à venditoribus fuerint: dummodo sciamq; venditorem, etiam si ignoraverit ea, quæ Ædiles præstari jubent, tamen teneri debere. Nec est hoc iniquum; potuit enim ea nota habere venditor: neque enim interest emptoris, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate.* De servo morboso agitur *l. 1. & seqq.* De fugitivo *l. 17.* aliisque passim. De animi vitio *l. 1. §. ult. l. 4. §. 4. l. 17. §. ult.* & aliis. De fure speciatim etiam agitur *l. 23. §. 8.* Idem Edictum ab Ædilibus porrectum fuit ad jumenta, ut venditor enuntiaret, quid in quôque vitii aut morbi esset. Vid. *l. 38.* Sed & latiorem ejus extensionem *l. 40. cum sequentib.* continet. Ex hoc Edicto contra venditorem

*de fugæ, de furtis*, (1) *præstat edicto ædilium.* (2) *Hæredum alia causſa est. Ex quo intelligitur, quoniam* (3) *juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere,* (4) *ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam* (5) *in malitia simulatio intelligentiæ. Ex quo illa innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur.*

*Quo-*dabatur actio redhibitoria, de qua jam suprà aliquid dictum est. Quomodo autem hæc dolo excluſo bonæ fidei sit & dicatur, legatur Bachov. *Tract. de Action. Disp.* 7. §. 18. Denique quis fuerit effectus Redhibitionis vid. *l.* 60. *eod.* His addantur, quæ incomparabilis noster Grotius congeſſit *Flor. sparſ. ad Jus Juſtin. de ædil. edict. p.* 129.

(1) *Præstat.*) Ita quoque Ulpianus, *Quæ ædiles præstari jubent. l.* 1. §. 2. *ff. de ædil. edict.*

(2) *Hæredum alia.*) Pertinent huc verba Imp. §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. action. Aliquando etiam ex contractu actio contra heredem non competit: veluti cum testator dolosè verſatus sit, & ad heredem ejus nihil ex dolo pervenit.* Sed quantopere hic JCti laborent, obstantibus multis aliis juris textibus, vel ex solo Bachovio cognoſci poterit. Add. *l.* 23. §. 5. *l.* 48. §. 5. *ff. de ædil. edict.*

(3) *Juris Natura.*) Hoc est, ipſe Deus, qui Naturæ, id est, Rectæ Rationis autor est, hoc jus naturale condidit, & omnino omni juri autoritatem præcipuè ſubdidit.

(4) *Ut ex alterius.*) Ex his exemplis generale præceptum colligit, neminem debere lucrum captare ex alterius inſcitia; hoc enim esse furum & prædonum: cumprimis non licebit id operam dare, ut tua dolo & fraude inſcius sit.

(5) *In malitia.*) Si quis ingenii ſui acumen in rebus malis

*Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate, & ignoratione omnium proposita,* (1) *abstinere possit injuria? Periclitemur, si placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat. Neque enim de sicariis, veneficis,* (2) *testamentariis, furibus, pecalatoribus hoc loco disserendum est; qui non verbis sunt, & disputatione Philosophorum, sed vinculis, & carcere castigandi: sed hæc consideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni.* (3) *L. Minutii Basilii, locupletis*

malis exerceat & ostentet: quæ non vera quædam intelligentia seu prudentia, sed astùtia meretricio fuco adsperſa est.

(1) *Abstinere possit.*) Tanta scilicet in multis, tamque effrenis est cupiditatum libido. Quocirca tantò majori studio in Virtutem nobis incumbendum est, quæ est Appetitus ὀρθότης & μετριοπάθεια. Hanc cupiditatum enormitatem dicit se in iis consideraturum exemplis, quæ in dubium à multis vocari queant, & de quibus disputari operæ pretium sit. Illa enim vitia, quæ ab ipso enumerantur, nimis manifestè arguunt appetitus improbitatem, &, quam cum honestate collata habent, contrarietatem: ut adeò tales non disputationibus aut verbis, sed suppliciis & verberibus coërcendi sint.

(2) *Testamentarius.*) Hoc nomine Ulpianus testamenti scriptorem appellat *l. 9. §. 3. ff. de hered. instit.* Quia verò hi homines suo munere ad fraudes abutebantur, testamentarii etiam dicti fuerunt, qui vel falsa testamenta subjecerunt, vel aliquid ultimæ voluntati detraxerunt, aut aliàs falsi crimen in testamentis commiserunt.

(3) *L. Minutii.*) Hanc quæstionem quod attinet,

*pletis hominis, falsum testamentum quiddam è Græcia Romam attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, scripserunt hæredes secum M. Crassum, & Q. Hortensium, homines ejusdem civitatis potentissimos. Qui, cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpæ, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur. Quanquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed cum Basilius M. Satrium, sororis filium,* (1) *nomen suum ferre voluisset, eumq; fecisset hæredem: hunc dico patronum agri Piceni, & Sabini: (ô turpem notam temporum illorum!) non erat æquum, principes civitatis rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire.* (2) *Etenim si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat à suis, cum potest,*

rectè reprehenduntur Crassus & Hortensius. Etsi enim ipsi falsi testamenti autores non fecerint; voluntate tamen ipsoque facto approbarunt aliorum crimen & eidem se obnoxios reddiderunt. Grotius 2. *de J.B.P. cap.* 10. §. 1. *& c.* 21. §. 1.

(1) *Nomen suum ferre.*) Solebat enim heres unà cum hereditate gentilitium nomen ferre.

(2) *Etenim si is.*) Hic jam recedit à Stoicorum placito, *Peccata esse paria.* Ipse enim à minori ad majus hic procedit. Injuriam non arcere, ubi debebas & poteras, minus est peccatum, quàm inferre injuriam, aut illatam ab aliis sua ope fulcire, seu adjuvare injuriam. Majus verò delictum esse facere, quàm pati injuriam.

*potest, injustè facit, ut in primo libro disserui: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam?* (1) *Mihi quidem etiam veræ hæreditates non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ.* (2) *Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quæ honestatis, est regula.* (3) *Qui hoc non prævideri, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: EST ILLUD QUIDEM HONESTUM: VERUM HOC EXPEDIT. res à natura*

injuriam, bonis rationibus ab Aristotele 5. *Nic.* 1. disputatur.

(1) *Mihi quidem.*) Veras hereditates appellat, quæ iis testamentis deferuntur, quæ falsi crimine non laborant. Si tamen heredipetæ non candidis & sinceris officiis successionem impetraverint, sed eam subdolis blanditiis emendicaverint, testatorem utique fraudibus suis inducunt: quorum improbitas licet Jure civili non semper castigetur, magnam tamen vim Juri Naturæ eâ inferunt.

(2) *Atqui in talibus.*) Vidimus quæstiones illas, in quibus Utile ab Honesto multis modis dissidere videtur. Interim repetit suum principium, Utilitatem & Honestatem ad eandem amussim & regulam esse examinandam. Hoc quo sensu locum habere queat vel nequeat, toties jam diximus.

(3) *Qui hoc non.*) Viden quo progrediatur, quàm graviter illos accuset Cicero, qui honestatem ab utilitate, aut hanc ab illa segregant. Nec tamen hæc

aliter

*natura copulatas audebit errore divellere: qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium.* (1) *Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, nec si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At si dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione hæres posset scriptus esse, qui re vera non esset hæres, in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem justus, & is, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quis sit vir bonus, nescire fatetur. At verò, si quis volue-*

aliter subsistere possunt, quam si quis ejusmodi utile sectetur, quod penitus honesto repugnet.

(1) *Itaque si vir bonus.*) Perfectum sapientem Stoicum videtur in arenam producere. Cæterum digitis concrepare, in foro saltare, non natura, sed hominum opinione turpia sunt: atque hæc sanè cum propriè dictis turpibus minimè sunt confundenda, multò minùs, hæc istis æquiparanda. Si itaque conditionem Naturâ prohibitam expressisset, qua posita, impetraret hereditatem avarus Crassus, aut repudiaret Sapiens, rectissimè dixisset. Hæc verò est quædam μετάβασις εἰς ἄλλα γένος, ex homonymia adscita. Interim Sapiens Stoicus quidem ei, quod opinione sit turpe, prætulerit aliquod utile. Sed cum his conferenda sunt, quæ aliquot paginis interjectis leguntur. *v. Quid si quis Sapiens &c.* Obiter notetur, paulò antè dixisse Ciceronem se mortuum Crassum non odisse (vivum enim certè oderat) mox tamen his verbis acerbissimè eundem perstringere.

*Animi*

*voluerit* (1) *animi ſui complicatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit; noceat nemini,* (2) *niſi laceſſitus*

(1) *Animi ſui.*) Hujus argutiſſimæ φράσεως vim haut mihi adſecuti videntur, quos vidi, Interpretes. Meam itaque ſententiam proferam, nemini tamen invito obtrudendam. Non ſemel Cicero profitetur, hominis menti ineſſe κοινὰς ἐννοίας, communes illas notiones & principia rectè vivendi. Plurima verò oboriuntur impedimenta, quæ inter notiones illæ & facta ſingularia intercedunt, & obſtant, quò minùs illæ notiones ad uſum transferantur, ipſiſque actionibus ſingularibus applicentur. Atque ita notio animi complicatur: ubi autem illa rebus agendis adhibetur, evolvitur. Optimè igitur Socrates ſenſit, qui omnis eruditionis & ſcientiæ Philoſophicæ fructum in eo ponebat, τὸ καταλλήλως τῇ φύσει ἐφαρμόζειν τὰς προλήψεις ταῖς ἐπὶ μέρους ὑσίαις: ſi principia naturâ nota rectè adaptentur ad ſingula res. Qua de re ita loquitur Arrianus *Epictet. lib. 3. c. 26.* τοῦτό ἐστι τὸ αἴτιον τοῖς ἀνθρώποις πάντων τῶν κακῶν, τὰς προλήψεις τὰς κοινὰς μὴ δύνασθαι ἐφαρμόζειν ταῖς ἐπὶ μέρους. *Hæc eſt cauſa hominibus omnium malorum, quod non poſſint anticipationes, ſeu communes notiones ſingularibus adaptare.*

(2) *Niſi laceſſitus injuria.*) Impropriè hoc dicitur Nocere; ad defenſionem enim hoc pertinet. Defendere autem non eſt propriè & formaliter, ſeu ex mala προαιρέσει nocere. Etiamſi enim à me defendente lædatur alter, ſibi imputet: adeoque hic illud ſuo modo locum habet, Nemo læditur niſi à ſeipſo. Reprehendit quidem Ciceronem Lactantius, quod ſi hæc exceptio attendi debeat, nobis perierint duæ virtutes ſanctiſſimè com-

men-

*laceſſitus injuria. Quid ergo?* (1) *hic non noceat, qui quodam quaſi veneno perficiat, ut veros hæredes moveat, in eorum locũ ipſe ſuccedat?* (2) *Non ergo faciat, dixerit quis, quod utile ſit, quodque expediat. Imo intelligat, nihil nec expedire, nec utile eſſe quod ſit injuſtum. Hoc qui non didicerit, bonus eſſe non poterit.* (3) *Fimbriam conſularem audiebam de patre noſtro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe, equiti Romano ſane honeſto, cum is* (4) *ſponſionem feciſſet, NI BONVS VIR ESSET: Itaq;*

mendatæ, Patientia & Innocentia. Sed non hoc vult Cicero, quaslibet injurias nos debere ulciſci, ſed ſi fortè noceamus alteri, excitari debere juſta defenſione, ſatis gravem injuriam depellente.

(1) *Hic non noceat.*) Supra de iis dixerat, qui ſuis blandimentis alios inducunt, ut ſe ſcribant heredes, legitimis excluſis: quorum compoſita ad fallendum verba veneno comparat, non ſine tacita deteſtatione illius malitiæ.

(2) *Non ergo.*) Occupatio. Licetne igitur nunquam ſectari cuiquam quod Utile eſt? Licet, inquit; modò quid Utile ſit rectè intelligat, quod non ſit injuſtum, nec inhoneſtum.

(3) *Fimbriam.*) Egregium fuit Fimbriæ judicium & planè ad ideam Stoicam comparatum, ut qui cum Socrate unus rectè dijudicare ſciverit, quis eſſet perfectè Vir bonus, quantisque officiis hunc titulum acquirere & tueri neceſſe habeant, qui illum adfectent.

(4) *Sponſionem feciſſet.*) Fiebat olim Sponſio interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam, qui litem intendebat, daturum ſe, ni veram cauſam haberet, (hoc loco,

*Itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam judicaturum: ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra judicaſſet; aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri poteſt, quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaque talis vir non modo facere, ſed* (1) *ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat præ-*

loco, niſi viri boni officio functus eſſet) promittebat. Actor enim primùm ſpondebat: id eſt, ſponte atque ultro ſponſionem deferebat adverſario, quem ideò ſponſione laceſſere & provocare dicebatur: ab eo namque poſtea ſummam eandem ſtipulabatur. Hic autem aut fateri cogebatur, aut ſi inficiaretur, reſtipulari: tum actor iterum ſtipulanti adverſario ſpondebat. Apud Græcos erat decima pars rei controverſæ, ſi cauſa eſſet privata: in publicis, quinta. His προκαταβάλλειν, & προκαταβολὴ dicebatur. Vide, quæ de Sponſionibus etiam annotavit Grotius *Flor. Sparſ. ad Jus Juſt. de præſcript. verb. p.* 127.

(1) *Ne cogitare quidem.*) Hoc eſt, nullum pravi facinoris conſilium capere. Interim ſi ſimpliciter nudam cogitationem intelligas, veriſſimum quidem hoc eſt præceptum, ſed per noſtram imbecillitatem minimè impleri poteſt. De Jure quidem civili Cogitationis pœnam nemo patitur *l.* 18. *ff. de pœn.* cui addi poteſt Gellius *lib.* 7. *c.* 3. Interim non omne id quod impunè fit in foro civili etiam rectum eſt.

*Prædicare.*

*(1) prædicare. (2) Hæc, nonne est turpe, dubitare Philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? A quibus natum est id, quod jam tritum est vetustate proverbium. Cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc quam habet vim, nisi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiamsi id possis nullo refellente obtinere? Vides ne igitur, hoc proverbio, neque Gygi illi posse veniam dari, neg. huic, quem paullo ante fingebam digitorum percussione hæreditates omnium posse ad sese (3) convertere? Vt enim, quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile, ut sit, effici non potest, (4) adversante etiã, & repugnante naturâ.*

At

(1) *Prædicare.*) Hic est palàm coram quibusvis enuntiare.

(2) *Hæc nonne.*) Non opus esse subtiliter hæc disputari, proverbio vulgato comprobat, à bono viro omnem dolum & voluntatem detrahendi alteri abesse debere. Dignus enim quicum in tenebris mices, is est, qui adeo bonæ certæque fidei sit, ut nec si tutò & impunè possit, velit quempiam mendacio fallere. Cicero 2. *de divin. Quid est sors? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.* Micare, inquit Erasmus *in Chiliad.* est lusus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat: ut repentè porrectis digitis, certantium uterque numerum divinet.

(3) *Convertere.*) à legitimis heredibus falsi crimine aliove dolo ad se transferre.

(4) *Adversante.*) Omni Rationi, omnibusq; viven-

di

(1) *At enim, cum permagna præmia sunt, est caussa peccandi. C. Marius, dum à spe consulatus longe abesset, & septimum annum post præturam* (2) *jaceret, neq; petiturus unquam consulatū videretur, Q. Metellum, cujus legatus erat, summum virū, & civem cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illud producere: si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum, aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaq; factus est ille quidem consul, sed à fide, justitiaq; discessit, qui optimum, & gravissimum civem, cujus legatus, & à quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. Nec* (3) *noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, cum prætor esset, collegiumque prætorium tribuni pleb. adhi-*

di principiis adversatur, ut aliquid sit Utile revera, quod ab Honesto dissideat.

(1) *At enim.*) Etsi hæc omnia ita se habeant, contrarium tamen fieri inquit. Si enim proposueris bonum Vtile, spem lucri & præmii, causa & auctoramentum peccandi est: ut si homines roges, cur malum hoc facinus aggressi fuerint, tanquam legitimam excusandi causam præse ferant, invitatos se esse Vtilitate, imò illius spe aliqua. Exemplis idipsum illustrat perspicuis.

(2) *Jacere.*) Vis verbi notetur, ut & sequentis, *Producere.*

(3) *Noster Gratidianus.*) Hic est idem, quem mox appellat Marium. Supra ita fuit locutus: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster.*

*adhibuiſſent, ut* (1) *res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. Iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic ut nemo poſſet ſcire* (2) *quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictũ* (3) *cum pœna, atque judicio, conſtituerunt que, ut omnes ſimul in Roſtra poſt meridiem deſcenderent, & cæteri quidem alius alio: Marius à ſubſelliis in Roſtra recta: idque, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. Et ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit: omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt, ad eas* (4) *thus, & cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior. Hæc ſunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo violatur æquitas, non habetur ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis, & tribunis pleb. popularem gratiam, non ita turpe: conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, valde utile*

(1) *Res nummaria.*) Quidquid ad monetam ſpectat, his vocibus denotatur.

(2) *Quid haberet.*) Tam varium fuit nummorum pretium, ut nemini certò conſtaret, quantum pecuniæ vel in ære haberet.

(3) *Cum pœna atque judicio*;) Ut qui adulterinos nummos pro probis ſuppoſuiſſet, in judicium deductus mulctaretur, aut pro re nata ſupplicio ultimo adficeretur.

(4) *Thus & cerei.*) Notetur veterum conſuetudo & ſumma aſſentatio, quod tanquam Divos coluerint eos, quibus

*utile videbatur.* (1) *Sed omnium una regula est, quam cupio tibi esse notissimam: AVT ILLVD, quod utile videtur, turpe ne sit: aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne* (2) *aut illum Marium virum bonum judicare, aut hunc? explica, atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea specie, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causſa, criminari, præripere, fallere? nihil profecto minus.* (3) *Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & splendorem, & nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem, justitiamq; detraxerit?* (4) *Quid enim interest*

quibus Statuæ ex insigni beneficio fuissent positæ, & incensis cereis tus adoleverint.

(1) *Sed omnium.*) Omnium actionum summum hic constituit principium, non semel à nobis suprà explicatum, ad quod tanquam exactissimam normam omnes omnino illæ sint examinandæ.

(2) *Aut illum aut hunc.*) Duorum enim Mariorum meminit, C. Marii & M. Marii Gratidiani.

(3) *Est ergo.*) Bene monet, non debere ullum ex utilibus bonis nobis tam charum esse, quàm Viri boni nomen, easque virtutes, per quas tales evadimus: adeoque nullius boni utilis posse tantum esse emolumentum, quàm sit jactura boni honesti.

(4) *Quid enim.*) Si quis suæ libidini & adfectibus nihil non tribuat, cum quo loco habeat, jam suprà intel-

*terest utrum ex homine se convertat quis in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluæ?* (1) *Quid, qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur; nonne id faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? utile enim videbatur plurimum posse alterius invidia: id quam injustum in patriam, quam inutile, & quam turpe esset, non videbat.* (2) *Ipse autem socer in ore semper Græcos versus Euripidis de Phœnissis habeat: quos dicam, ut potero; incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi:*

Nam

leximus, ubi dicebat vim esse leonis, fraudem vulpeculæ, & multos nonnisi sola specie homines esse. Et verò si homines, excusso omni rectæ rationis imperio suis adfectibus pareant, non solùm bruto more feruntur, sed ipsis brutis sunt deteriores: ceu idipsum graviter docetur ab Aristotele 1. *Polit.* 2. *f.*

(1) *Quid qui.*) Graviter illos accusat, qui potentiæ & amplioris imperii cupiditate ducti sceptrum corripiunt, nulla habita ratione juris & honesti. Speciatim verò & Pompejum & Cæsarem notat. Iste enim hujus filiam uxorem ducebat, ut Cæsaris audacia subnixus tantò majori vi ad principatum grassaretur, & rei admodum exosæ invidiam in Socerum declinaret. Libro primo vehementer etiam accusantem audivimus Ciceronem J. Cæsarem, quod omnia divina & humana jura proculcaverit, propter illum, quem opinionis errore sibi finxerat, principatum.

(2) *Ipse autem.*) Vtitur hoc Ciceronis testimonio

Suc-

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

(1) *Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum ſolum, quod* (2) *omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit.* (3) *Quid igitur minuta colligimus, hæreditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani, dominusque omnium gentium eſſe concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem, ſi quis honeſtam eſſe dicit, amens eſt: probat enim legum, & libertatis interitum; earumque oppreſſionem tetram, & deteſtabilem, glorioſam putat.* (4) *Qui autem fatea-*

Suetonius *in J. Cæſare c.* 30. Vnde grandis illa ambitio plus ſatis apparet. Euripidis verſus hi ſunt:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Cæterum cauſam tantæ in Cæſare ambitionis nemo rectiùs Mœcenate expreſſerit, cujus hæc ſunt apud Dionem Caſſium: ἀρχαὶ αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἐπαίρουσί πως πολλὰς, καὶ ἐς νεωτεροποιίαν ἐξάγουσι.

(1) *Capitalis Eteocles.*) ἐπίκρισις, qua ſententiam hanc Euripidis ceu atro carbone notat.

(2) *Omnium ſceleratiſſimum.*) Tyrannidem, qua patria omnesque boni cives opprimuntur, &, ubi qui liberi debebant eſſe, ſervire coguntur.

(3) *Quid igitur.*) Cum ſuprà multis deteſtatus eſſet fraudulentas circumſcriptiones, quibus ſe invicem privati in commerciis fallere ſolent; contentione facta, exaggerat dolos, qui patriæ, civibus eorumque libertati ſtruuntur.

(4) *Qui autem.*) Si quis tyrannidem inhoneſtam

*fateatur, honestum non esse, in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile; qua hunc objurgatione, aut quo potius convitio à tanto errore coner avertere? Potest enim, dii immortales, cuiquam esse utile fœdissimum, & teterrimum* (1) *parricidium patriæ, quamvis is, qui eo se obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, & quidem sic, ut hæc duo verba inter se discrepare, sed tamen* (2) *unum sonare videantur.* (3) *Nunc abeo ad vulgi opinionẽ. Quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit? Nihil contra inutilius ei, qui id injustè consecutus sit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem.*

per se esse pronuntiet, utilem tamen ei, qui eam adipisci possit, hunc cum ratione insanire existimat, quod nihil revera possit esse Utile, ab honesto & justo secretum.

(1) *Parricidium patriæ.*) Valde ἐμφατικῶς. Estque hæc metaphorica quædam descriptio tyrannidis. Nec dulce Parentis nomen turpitudinem facinoris, à Cæsare patrati, demere potest, quod à metu vel assentatione profectum fuerit.

(2) *Unum sonare.*) Hoc est, ejusdem rei significationem facere.

(3) *Nunc abeo.*) Cum vulgus ineptissimè de rebus judicet, & eo non rectiùs sapiant, qui suas cupiditates tam addictè sequuntur; hinc ostendit tyrannidem esse maximè inutilem iis, à quibus utilitatis gratia unicè occupata est. Comprobavit hoc ipse J. Cæsaris exitus, aliorumque tyrannorum. Huc faciunt, quæ hac de re Libro secundo

*tionem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, solicitudines, diurni & nocturni metus, vita insidiarum periculorumq; pleniſſima?* (1) Multi iniqui, atque infideles regno, pauci ſunt boni, *inquit Accius. At cui regno? Quod à Tantalo, & Pelope proditum jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui cum exercitu populi Romani, populum ipſum Romanum oppreſſit, civitatemq; non modo liberam, ſed etiam gentibus imperantem ſervire ſibi coëgiſſet?* (2) *Hunc tu quas conſcientiæ labes*

ſecundo attulimus. Notum quoque eſt illud Lyrici *lib. 3. od. 1.*

*Diſtrictus enſis cui ſuper impia*
*Cervice pendet, non Siculæ dapes*
*Dulcem elaborabunt ſaporem,*
*Non avium citharæq; cantus Somnum reducent.*

(1) *Multi iniqui.*) Si ex Attii ſententia tot habent hoſtes Reges, juſto titulo monarchiam conſecuti, quanto magis erit omnibus exoſus is, qui proprio ſuo gladio Remp. quaſi jugulavit. Nam veteranas Populi Ro. legiones, quæ pro Rep. in Galliis militaverant, civium cervicibus immiſit, & ſervitutis tyrannicæ jugo illas Cæſar innexuit. Attius videtur is eſſe, qui Pacuvio aliquanto fuit junior: de quo Voſſius *de Poët. Lat.*

(2) *Hunc tu quas.*) Hinc perpetuo exitii metu vexatus exclamaſſe aliquando Cæſar ſcribitur: Præſtare ſemel oppetere mortem, quam in perpetuo mortis metu & ſolicitudine tanta vivere. Pejor enim eſt morte timor ipſe mortis. De malæ conſcientiæ ſtimulis plura dixi *Diſp. 3. de Princ. act. moral. th. 6. ſeqq.* Cumprimis expendi meretur memorabilis admodum textus Ariſt. *9. Nic. c. 4. ſub fin.*

*labes in animo censes habuisse? quæ vulnera.* (1) *Cujus autem vita ipsi potest utilis esse, cum ejus vitæ ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima gratia futurus sit, & gloria?* (2) *Quodsi hæc utilia non sunt, quæ maxime videntur, quia plena sunt dedecoris, ac turpitudinis; satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit.* § 22 *Quamquam id quidem cum sæpe alias, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio consule iterum & à senatu nostro judicatum est. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset; cumque de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potente; perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium ei proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idq; ejus factum à senatu laudatum est.* (3) *Atqui, si speciem utilitatis, opinionemque quærimus, magnum illud*

(1) *Cujus autem.*) Ecce quid de tyrannis ille sentiat, posse illos à quovis occidi, & promptissimum cædis exsecutorem in maxima fore gratia & gloria: unde concludit, non posse utilem vel ipsi tyranno suam esse vitam. Ita à Græcis edoctus hic scribit Cicero. Sed hac de re jam aliàs pluribus dictum est ad Grotii *lib.* 1. *de J. B. P. c.* 4. *n.* 17. *seqq.*

(2) *Quod si hæc.*) Repetit suum principium, idque insigni illustrat exemplo.

(3) *Atqui, si speciem.*) Hac de re ita sentit Grotius, quod quidquid alicui facere non licet, ad id eum impel-

lere

*illud bellum perfuga unus, & gravem adverſariũ imperii ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus, & flagitium, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. Vtrum igitur utilius, vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Ariſtides Athenis fuit: vel ſenatui noſtro, (1) qui nunquam utilitatẽ à dignitate ſejunxit, armis, cum hoſte*

lere aut ſollicitare non liceat; ſemper enim, qui alteri peccandi cauſam det, peccare & ipſum: proinde nefas eſſe, ſubdito autorem fieri, ut regem ſuum occidat, proditionem inſtituat. Aliud eſſe putat, ſi quis opera peccantis ſpontanea nec impulſa ad rem ſibi licitam utatur, quod tamen ſine cautione vix eſt ut admitti poſſit: ceu oſtendi ad Grotii *lib. 3. de J. B. P. cap. 1. §. 21. & 22.* Addi etiam merentur, quæ ſcribit Alb. Gentilis *de Jure bell. lib. 2. cap. 6.* Ipſius Pyrrhi de Fabricio hæc vox fertur: *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quàm ſol à ſuo curſu, averti poſſit.* A. Vict.

(1) *Qui nunquam.)* Dignitatem hic pro ipſa honeſtate ponit, quod hanc ſemper iſta conſequatur, nec, ex Stoicorum ſententia, ullius alterius boni, præterquam Honeſti, ulla ſit ἀξία: unde corporis fortunæque dotes ceu ſuprà pluribus dictum fuit, ne quidem Boni nomine dignantur. Cæterum ipſam hanc ſententiam quod attinet, à Senatu Ro. utilitatem ab honeſtate nunquam fuiſſe ſeparatam, eſt illa longè falſiſſima: & in his ipſis libris non ſemel oſtendit, quomodo majorem utilitatis quam honeſtatis rationem habuerint. Imò mox hoc loco ſtomachatur, Piratarum eſſe meliorem fidem quam Senatus. Vnicum ſolum ex Floro exemplum adferam *lib. 2. c. 2.* ubi Punici primi

*hoſte certare, an* (1) *venenis?* (2) *Si gloriæ cauſſa imperium expetendum eſt: ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria. Sin ipſæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt eſſe utiles cum infamia.* (3) *Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. filii, ſententia: quas civi-*

belli prætextum diſertè ait fuiſſe, ut ſocios Romani juvarent, revera Siciliam fuiſſe quæſitam. Unde illa Carneadi exciderunt: *Omnibus populis qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate ac miſeriis jacendum.* Lactantius *l. 5. c. 16.*

(1) *Venenis.*) Quem interficere licet, eum gladio an veneno interimas nihil intereſt, jus naturæ quod attinet. At jure gentium jampridem nefas fuit, hoſtem veneno interficere; ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperunt, nimium intenderentur: Plura hanc in rem legi poterunt apud Grotium *lib. 3. de J. B. P. c. 4. n. 15. ſeqq.* Et Alb. Gentilem *l. 2. de J. B. c. 6.*

(2) *Si gloriæ cauſa.*) Ut bellum ſit licitum, neceſſe eſt cauſa nitatur bona: quæ ſi adfuerit, & rectè illud geratur, gloria comitabitur bonam cauſam, & illam virtutem, cujus beneficio bellum præcipuè adminiſtratur. Non igitur ipſa gloria deſiderata, aut imperii ſperata amplificatio juſtum reddit aut ſaltem licitum per ſe bellum, ſed maximè illicitum, ſi hæ cupiditates tibi cauſa & fines ſint. Aliàs etiam imperium quandoque adquirere jure licet. Grotius 3. *de J. B. P. c. 15.*

(3) *Non igitur.*) Exemplum adfert Utilitatis exiſtimatæ, ſepoſita honeſtate. Sed profectò valdè ambigua hæc eſt quæſtio, an illud Sullæ factum ita ratum Senatus debuerit habere, ut ſicuti Sulla obligatus erat civitatibus,

quas

*civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex S.C. liberaviſſet, ut ea rurſus vectigales eſſent, neque iis pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Eſt ei ſenatus aſſenſus. Turpe imperio. Piratarum enim melior fides, quam ſenatus. At aucta vectigalia: utile igitur. Quousque audebunt dicere, quidquam utile, quod non honeſtum?* (1) *Poteſt autem ulli imperio, quod gloria debet fultum eſſe, & benevolentia ſociorum, utile eſſe odium, & infamia?* (2) *Ego etiam cum Catone meo ſæpe diſſenſi: Mihi*

quas accepta pecunia immunes fecerat, ita quoque Senatus P. Q. R. obligati iisdem eſſent. Hic primo illud videndum, an eadem fuerit civitas ſub Sulla, & ſub Senatu poſt Sullæ dominatum. Eadem verò aut diverſa civitas cenſetur, ſi eâdem regnandi forma aut diverſa adminiſtrata fuerit. Jam ſi illa tempora videamus, Sullæ dominatus tyrannicus fuiſſe videtur, ſub Senatu autem rediiſſe Rempublicam ad ſtatum liberum. Deinde vel Sulla pecuniam acceptam in ærarium Reip. intulit, vel in Reip. aut ſuam rem vertit. Si prius factum fuit, non dubito vel ad immunitatem relinquendam, vel ad pecuniam ſaltem reddendam, Senatum obſtrictum fuiſſe; ſin poſterius, non apparet, quo jure obligatus fuerit. Verum hac de re conſulendus eſt Ariſtoteles 3. *Polit.* 2. ubi Piccartus & Gifanius videantur. Bœclerus *diſſ. de eo, quod Civitas egit.* JCti ad *l.* 27. *ff. de reb. credit.* Hahnius *diſp. de Mutuo Univerſitatis.*

(1) *Poteſt autem ulli imperio.*) Poſſunt hæc & ad Sullæ & ad Cæſaris tempora commodè referri.

(2) *Ego etiam.*) Sanè ſi Cato ita in vectigalibus cogendis nimius fuit, ut conjunctionem ordinum diſturbaverit,

*Mihi præfracte videbatur ærarium, vectigaliaque defendere: omnia publicanis negare, multa ſociis: cum in hos* [9] *benefici eſſe deberemus: cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus: eoque magis, quod illa ordinum conjunctio ad ſalutem Reipublicæ pertinebat.* (1) *Male etiam Curio cum cauſſam Tranſpadanorum æquam eſſe dicebat. Semper*

baverit, ipſiusque Reip. ſaluti ille utilitatis reſpectus offecerit, rectè ab eo Cicero diſſenſit: nec tam utile Catonis conſilium quam inutile fuit. Crediderim tamen Catonem modum voluiſſe rigidiorem pro ſuo ingenio ſociis & potiſſimum publicanis ſtatuere: quod uti non injuſtum, ita nec inutile potuit eſſe. Quia enim, uti ex nonnullis Ciceronis noſtri Epiſtolis conſtat, publicanorum maxima & potentiſſima Romæ fuit ſocietas, isque ordo in provinciis plurimùm autoritate & potentia valebat; accidebat, ut hiſce rebus frequentiſſimè ad ſuam avaritiam abuterentur. *Quanta audacia, quanta temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat*, inquit Vlpianus *l.* 12. *pr.* Sed videatur integer titulus *Dig. de publican. & vectigal.* Plinius cum de pretioſo ſucco Laſere in Cyrenaica provincia reperiri ſolito dixiſſet, ita pergit: *Multis jam annis in ea terra non invenitur; quoniam publicani, qui paſcua conducunt, majus ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo. lib.* 19. *cap.* 3.

(1) *Malè etiam Curio.*) In deliberationibus certè hic præcipuè ſpectatur finis, τὸ συμφέρον, & meritò illorum conſilia ac ſuffragia obtinent, quæ utilitati rectiſſimè conſulunt: id quod fieri nequit, ſi vel Vtilitatem vel conſilia ea comminiſcaris, quæ honeſtati & æquitati repugnent.

*per autem addebat, VINCAT VTILITAS: Potius diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis Reipublicæ, quam, cum utilem eſſe diceret, non eſſe æquam fateretur.*

(1) *Plenus eſt ſextus liber de officiis Hecatonis talium quæſtionum,* (2) *ſitne boni viri in maxima caritate annonæ familiam non alere.*

*In*

repugnent. Locum ex Ariſtotelis Rhetoricis huc etiam pertinentem jam citavi. Rectene verò Curio judicaverit, an ſecus, ex facti ſingularibus, quæ hic reticentur, intelligi poſſet. Fr. Maturantius hæc refert ad cauſam civitatum, qui data Sullæ pecunia, immunitatem redemerunt, & rurſus vectigales eſſe jubebantur: de quibus paulò antè.

(1) *Plenus eſt ſextus.*) Poſt quæſtiones morales dubias à ſe allatas, teſtatur Hecatonis librum ſextum refertum fuiſſe ejus generis dubitationibus, quę à recentioribus Caſus conſcientiæ appellantur, & Doctores, deciſiones illarum tradentes, Caſuiſtæ. Plurima enim in vita occurrunt, ubi anceps hæreas, poſſisne licitè agere aliquid aut omittere, an aliquando honeſtatem non inhoneſtè vincere queat utilitas, aut hæc iſta illæſa expeti.

(2) *Sitne boni viri.*) Prima hæc eſt quæſtio, de qua quid ſenſerit Hecato poſt accuratam diſquiſitionem inſtitutam, manifeſtè indicat Cicero, videlicet non eſſe alendam familiam: cui Cicero refragari videtur, quando ait: Hecatonem tandem ita ſtatuiſſe, utilitate magis quam humanitate officium eſſe dirigendum Ego certè cauſam non video, cur ab Hecatonis ſententia recedam. Supponitur enim eſſe annonæ caritatem maximam: deinde quæritur, an

alenda

*In utramque partem disputat: sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate.* (1) *Quærit, si in mari jactura facienda sit, equi ne pretiosi potius jacturam faciat, an servuli*

alenda tum sit familia, h.e. magnus servorum & ancillarum numerus, uti hæc vox sæpe etiam JCtis significat, qui idcirco Familiam in Urbanam & Rusticam dividunt. Etsi igitur obligatus sim, ut neminem patiar fame interire, si mea ope ac stipe sublevari possit; non tamen æquè omnibus obligatus sum. Primò enim mihi debeo alimenta, deinde iis, qui pars mea sunt, conjugi, liberis & necessariis. Servi item mea quidem pars sunt, sed non ita ut isti. Si igitur mea alimenta his omnibus non sufficiunt, iis porrigenda sunt potissimùm, quibus præ aliis Natura nos adstrinxit. Servi itaque, si fieri possit, maturè cum viatico dimittantur, ut illa loca adire possent, ubi non est tanta annonæ flagellatio. Expendantur hic rationes SCti Planciani in Dig. *de agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis:* &, cur eo Servi comprehensi non fuerint, facilè simul intelligetur.

(1) *Quærit, si in mari.*) Hecato temporum suorum inhumanissimum morem inspicit. Nullum tamen dubium est, quin hic obtinere debeat humanitas, etiamsi vilissimi pretii sit mancipium. Etsi enim illi servi ita erant in dominio, ut vendi & quovis alio modo alienari possent, sintque pars sui domini, sic ut qua Servus est, nulla illi cum hero intercedat singularis amicitia, quatenus tamen homo & ipse est, herus illi communionem rerum & officia humanitatis omnino debet. Locum ex 8. *Nic.* aliàs jam produxi. Inhumanissimi igitur ingenii fuit Asinius Pollio, qui servum murænis objecerit, quod vas

crystal-

*ſervuli vilis. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas.* (1) *Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebit ne eam ſapiens, ſi potuerit? negat, quia ſit injurium.* (2) *Quid dominus navis? eripiet ne ſuum? minime, non plus, quam ſi navigantem in altum ejicere de navi velit, quia ſua non ſit. Quoad enim perventum ſit eo, quo ſumpta navis eſt, non domini eſt navis, ſed navigantium.*

*Quid,* cryſtallinum confregiſſet imprudens: quam barbariem ita caſtigavit Auguſtus, ut omnem vaſorum iſtorum ſuppellectilem pretioſiſſimam obtriverit.

(1) *Si tabulam.*) Intereſt quidem Reip. magis, vivere Sapientem, quàm ſtultum; nolit tamen propter perfectionem ſummam vitam ſuam alienæ vitæ jactura conſervare. Etſi enim ille ſit Sapiens, hic ſtultus, in hujus tamen vitam nullum jus iſte conſecutus videtur.

(2) *Quid dominus.*) Quarta hæc eſt quæſtio, An dominus navis, nave per naufragium diſſoluta, tabulam, cui innitatur aliquis ex iis, qui transfretandi fuerant, ita licitè vindicare poſſit, ut eripiat illam huic ſuæ ſalutis cauſa. Negat hoc Cicero, ex natura locati conducti rationem petens. Etſi enim jus dominii in navem ſalvum ſit nauclero, hactenus tamen uſus illius ad omnes, quos vehit, pertinet, ut ad locum deſtinatum deveniant, multò magis, ſi naufragio ſoluta ſit, ut quisque rectè occupet tabulam, qua ſalvus forſan enatare poſſit, ſicut nauclerus ſine injuria ei hanc eripere nequeat. Præterea neque tantum eſt dominii jus, ejuſque ratione ita licet rem noſtram vindicare, ut in extremum periculum adducatur is, qui rei noſtræ non iniquè incumbit, etiamſi ipſi de vita periclitemur.

*Quid*

(1) *Quid, ſi in una tabula ſint duo naufragi æquè ſapientes, ſibi ne uterque rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero: ſed ei, cujus magis interſit, vel ſua, vel Reipublicæ cauſſa vivere. Quid ſi hæc paria in utroque? nullum erit certamen; ſed, quaſi in ſorte, aut in micando victus, alteri cedet alter.* (2) *Quid ſi pater ſana expilet, cuniculos agat ad ærarium, indicet ne id magiſtratibus filius? nefas id quidem eſt. Quin etiam defendat patrem, ſi arguatur. Non igitur patria præſtat omnibus officiis? imo*

(1) *Quid ſi in una.*) Quinta quæſtio ſuccedit, quam ut decidat Hecato, Sapientes duos primò conſtituit, quorum alter alterum ſuperet virtute, tunc huic alterum cedere debere tabulam, ac hilari animo ad Neptuni regna deſcendere: deinde conſtituit duos æquè Sapientes, hos debere ſorte quaſi aut micando ſibi cedere. Cæterum nimis ſunt in his arguti Stoici, nec ejusmodi deliberationem aut diſputationem ille temporis articulus periculiſque momentum admittit. Et cum nunquam ejusmodi Sapiens Stoicus inventus ſit, quî eveniet, ut duo Sapientes naufragi eandem arripiant tabulam? ſi tamen tale quid accidat, quod aliquam ſimilitudinem cum propoſita quæſtione habeat, mihi nullum dubium eſt, quin quisq; ſui potiſſimùm rationem licitè habere poſſit. Quod ſi argutias argutiis addere velimus, alter Sapientum etiam alterius molem haberet conſiderandam. Quid enim ſi tabula unum quidem ferre poſſit, non autem item alterum, propter gravius corporis pondus? Quid ſi unus natare ſciat, alter neſciat?

(2) *Quid ſi pater.*) Hic proponuntur quæſtiones de pietate patri & patriæ debita. Videtur autem Hecato diſtin-

*imo verò: ſed ipſi patriæ conducit, pios habere civeis in parenteis. Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius? imo verò obſecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam: ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalu-*

diſtinguere ipſa patris in patriam delicta; vel enim illa ſolùm ſunt damnoſa ei, vel ſunt exitioſa. Utrius generis ſunt, obſecrabit patrem filius, monebit, accuſabit, hoc eſt, objurgabit, minabitur ſe illnm delaturum. Si nihil his omnibus profecerit, putat in poſterioribus delictis Reip. exitioſis licitè poſſe filium denunciare patris animum: non item in prioribus, quin defenſurum etiam patrem. Cæterum hoc primùm videtnr eſſe manifeſti juris, in tantis criminibus, qualia ſunt ſacrilegia & peculatus, filium ipſa Naturæ lege minimè eſſe obligatum, ut patrem in manifeſto delicto defendat. Deinde crediderim, ne licitè quidem fieri id poſſe, quod, qui vitia defendat, participem ſe quodammodo facinoris reddat. Jam verò eò u'que pietas liberorum in parentes non porrigitur, ut deſtruantur jura Naturæ, ſed ut conſerventur per officia debita licitaque. Sicuti verò filius, cum obſtinatum patrem revocare ab incepto non poſſit, rectè poteſt eum accuſare, ut avertatur periculum imminens; nam omnes omnium charitates patria una complexa eſt, inquiebat ſuprà *lib.* 1. non tamen pari jure id faciet, vitato jam periculo, in facti pœnam. Facit huc egregia lex 35. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* ubi ex Zaſio memorat Dion. Gothofredus, tale quid olim duos nobiles de Falckenſtein in ſuum parentem deſignaſſe.

*ſalutem anteponet ſaluti patris.* (1) *Quærit etiam, ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cum id reſcierit, ſoluturus ne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat: cui potius aſſentior.* (2) *Qui vinum fugiens vendat ſciens, debeat ne dicere. Non neceſſe putat Diogenes: Antipater viri boni exiſtimat. Hæ ſunt quaſi controverſiæ in jure Stoicorum.*

*In*

(1) *Quærit etiam.*) Vera eſt hic Antipatri contra Diogenem Babylonium ſententia, cui & meum cum Ciceronе calculum adjiciam. Dolus enim alterius, quo egò deceptus ſum, nullum mihi jus dat viciſſim decipiendi alterum, & quidem in illa re, quæ ex inſtituto hominum uti originem, ita certum modum, & ex quantitate ac qualitate metalli certum pretium definitum accepit, quod certè ſi dolus alterius corruperit, eoque ipſo ego circumventus ſim, non tamen idem mihi eo nomine in alterum licet. Vel igitur id age, ut pro adulterinis genuinos nummos recuperes, aut, ſi id non licet, tuæ vel imperitiæ vel qualicunque infelicitati, aut ſceleri alterius imputa, nullo capto conſilio, alios item fallendi. Quomodo alioqui ſolutio ſit facienda, mutata monetæ bonitate aut pretio, pluribus expoſui ad Grot. 2. *de J. B. P. c.* 12. *n.* 17.

(2) *Qui vinum fugiens.*) Hanc quæſtionem ut rectè definias, quid ſit vinum fugiens ſciendum eſt: videlicet quod ætatem non fert, cujus vis & acrimonia paulatim flacceſcit, & exſpirat. Hoc verò vitium eſt rem vendendam penitus contingens, adeoque honeſtè reticeri à venditore non poteſt. Sed & emptores tam eruditum ſolent habere palatum, ut hac quidem in re haut facilè

falli,

(1) *In mancipio vendendo dicenda ne vitia; non ea, quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili; ſed hæc, mendacem eſſe, aleatorem, furacem, ebrioſum. Alteri dicenda videntur, alteri non* falli, ſemperque delibare antè ſoleant illud vinum, quod empturi ſunt. Pertinet huc eximia *l.* 1. *pr. ff. de peric. & comm. rei vend.*

(1) *In mancipio.*) Hanc quæſtionem ſuprà jam vidimus; Ædilitium enim edictum vitium mancipii à venditore vult indicari: ni fecerit, & emptor circumventus fuerit, redhibitoria huic actio contra iſtum datur. Quod verò hic Cicero inculcat, animi vitia ædilitio edicto comprehenſa non fuiſſe, aliter ſanè judicarunt illum ſubſecuti JCti. Vide *l.* 1. §. 11. *l.* 2. 3. 4. aliasque. *ff. de ædil. edict.* Sed dicendum erit, Ciceronem non loqui de quovis animi vitio, ſed de ſervo aleatore, vinoſo, mendace, furace. Atque tria quidem priora vitia etiam excepta videas *l.* 4. §. 2. *ff. eod.* Verba ejus hæc ſunt: *Aleatores & vinarios non contineri Edicto quosdam reſpondiſſe, Pomponius ait: quemadmodum nec guloſos, nec impoſtores, aut mendaces, aut litigioſos.* Quod furti vitium attinet, videntur quidem contradicere Ciceroni *l.* 31. §. 1. *& l.* 52. *ff. eod.* Sed ſi attentè ſenſum videas, venditor non ex Edicto, ſed ſuo promiſſo demum tenebitur. *Sed ſi dixerit, hunc furem non eſſe, ex illa parte tenebitur, quod dixit promiſſive.* Verba ſunt JCti *d. l.* 52. Aliud de hac quæſtione viſum fuiſſe Antipatro ait, aliud Diogeni: iſti vitia dicenda eſſe viſa fuerunt, huic non dicenda. Utri adſentiatur Cicero, ex ſuperioribus conſtat. Cur verò illud Edictum hæc vitia exceperit, præter modum verò timidos, cupidos, avaros & iracundos etiam complectatur, cauſam non ſatis me adſequi fateor.

*non dicenda.* (1) *Si quis aurum vendens, orichalcum se putat vendere, indicet ne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit millenarium? Perspicuum jam est, & quid mihi videatur, & quæ sit inter eos Philosophos, quos nominavi, controversia.* (2) *Pacta & promissa semper ne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo, ut prætores*

(1) *Si quis aurum.*) Perspicuum ex superioribus esse ait, quid sibi videatur, videlicet, indicandum hoc venditori ab emptore bono viro esse, quod minoris suum vendiderit. Rectè. Nam licet hic contractus sit συναλλαγμα tale, in quod ultro citroque seu utrinque spontè consentiant; simplicitas tamen ejusmodi nemini debet esse fraudi: absque hac enim si fuisset, venditor in tam vile pretium non consensisset. Boni itaque viri est, ut nolit cum gravi alterius jactura locupletari. Atque idcirco hanc Juris naturalis regulam JCtus pro fundamento substernit Condictioni indebiti. *l.14.ff. de condict. indeb. Et omnia, quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem*; inquit alius *l.1.§.1.ff.de act.empt.* Quod universale pronuntiatum non solùm venditorem, sed & emptorem concernit. Imò ejusmodi error circa materiam seu substantiam si interveniat, contractum illum penitus nullum reddit, ex sententia Ulpiani *l.9.§.2. & l.14.ff.de contrah.empt.*

(2) *Pacta & promissa.*) Uno verbo responsio ad hanc Quæstionem expediri nequit, quod multis modis pacta & promissa variare possint. Videatur hac de re non minus eruditè, quàm prolixè disputans summus vir Grotius *2.de J.B.P.c.11.* De formula illa Prætoria vid.

*tit.*

*tores ſolent dicere, facta ſint?* (1) *Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem; pepigeritque, ne illo medicamento unquam poſtea uteretur : ſi eo medicamento ſanusfactus fuerit, & annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut item eo liceat uti, quid faciendum ſit; cum ſit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ? Vitæ, & ſaluti conſulendum.* (2) *Quid, ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum hæredem faciat, cum ei teſtamento ſeſtertium millies relinquatur, ut antequam hæreditatem adeat,*

*tit. ff. Quod met. cauſa: & de dol. mal. Add. Briſſon. de formulis.*

(1) *Si quis medicamentum.*) Rectè ſentit Cicero, non ſolùm quod magna ſit ſtipulantis inhumanitas; ſed quod tali caſu promiſſor nexu ſuo liberari videatur, utpote contra bonos mores exacta promiſſione. His enim utique adverſatur, nolle alterius ſalutem conſervare, cum poſſis & debeas. Præterea promiſſio, ut ait Grotius *d. c.* §. 8. vim accipit ex jure promittentis, nec ultra eam extendi poſſe. Jam verò non eſt in poteſtate promiſſoris, ſe nolle rationem & curam habere ſalutis, eamque ſibi exploratam uſu.

(2) *Quid ſi quis.*) Succedit nova quædam Stoicorum ἀνεῖβεια. Nec enim ſub tali conditione ullum teſtatorem hæredem inſtituturum quempiam eſſe mihi perſuaſerim. Redit verò hic ſuprà etiam allata diſtinctio inter illa, quæ Natura & quæ Opinione hominum Turpia aut Honeſta ſunt. Saltare in foro opinione

*adeat, luce palam in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quod aliter eum hæredem ſcripturus ille non eſſet: faciat, quod promiſerat ille, nec ne? Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſet gravitatis: ſed quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet,* (1) *honeſtius mentietur, ſi ex hæreditate nil ceperit: niſi fortè eam pecuniam in Reipub. magnum aliquod tempus contulerit, ut vel ſaltare eum, cum patriæ conſulturus ſit, turpe non ſit.*

Ac turpe eſt: à quibus actionibus ſanè vir gravis & ſapiens etiam abſtinebit. Etſi enim vel maximè operam dabit, ut fugiat natura turpia, non tamen opinione turpia putabit ſe decere; ſic enim in extremum contemptū omnis illius σοφίας incidet, quem ſanè pluris æſtimare debet, ut talia fugiat, quam facere, ut hereditatem adire & aliquid lucrifacere poſſit. Cæterum hoc tali reſtrictione etiam emendat, poſſe Sapientem ea conditione hereditatem cernere, ſi eo id fiat conſilio, ut pecuniam in neceſſarium Reip. uſum conferat. Hujus enim rei honeſtas, quæ propriè talis eſt, ſaltationem illam in foro à turpitudine illa opinabili purgat. Hoc igitur loco idem Cicero aſſerit, quod nos ſupra, poſſe certis circumſtantiis magnam aliquam utilitatem præferri alicui honeſto; quamvis ille de Honeſto hic impr. dicto loquatur, inter quod & pr. dictum vix videtur diſcrimen ille agnoviſſe.

(1) *Honeſtius mentietur.*) Non hinc illud colligendum eſt, poſſe aliquod mendacium eſſe honeſtum; ſed Sapientem honeſtius facturum, ſi fidem promiſſis non præſtet, quàm ſi id faciens in turpitudinem incidat talem, qualis eſt in foro ſaltare. Quod ipſum tantò faciliùs à promiſſore fieri poterit, quod talium promiſſorum, quibus

(1) *Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset. Optavit, ut in currum patris tolleretur. Sublatus est: atque insanus qua constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse servatum? Quid, quod Theseus exegit promissum à Neptuno? cui cum tres optiones Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti filii sui, cum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus. Quid Agamemnon? cum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum*

quibus vel verum Honestum vel moribus & consuetudine tale læditur, nulla sit obligatio. *l. 6. C. de pact.*

(1) *Ac ne illa quidem.*) Hæ quæstiones ex parte jam *Lib.* 1. tractatæ sunt. Non valent promissa facti per se illiciti. Nocere alteri, est per se illicitum: itaque talia promissa tantum abest ut sint servanda, ut nullam prorsus necessitatem ex obligatione tale quid præstandi consequantur. Quomodo verò Cicero Apollinem, Neptunum & Dianam, Deos suos, ab injuria absolvet? Fabulas esse pronuntiat. Illud verò Agamemnonis promissum non fuit simplex, sed voto ac juramento aliquo sancitum. Etsi verò hujus maxima sit religio, ut verissimum sit illud Isocratis, ἐμμένειν τοῖς ὅρκοις δεῖ, ὥσπερ ἀνάγκαις, nullas tamen vires habebit jurata promissio de re aut naturaliter, aut divina interdictione, aut etiam humana, illicita.

*natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. (1) Ergo & promissa non facienda nonnunquam. Neque semper depositа reddenda sunt. Si gladium quis apud te sanæ mentis deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit, non reddere, officium. Quid, si is, qui apud te pecuniam depo-*

Addit enim culpam culpæ, qui talibus juramentis insistit, juramento non rectè facto, & quo abstinere satius fuerat, actum in justum. Non magis igitur Agamemnon obligatus erat ad Iphigeniam immolandam, quam David, qui Nabali pepercit, quem se occisurum juraverat. Vid. Grotius 2. *de J.B.P. cap.* 13 *n.* 6.

(1) *Ergo & promissa.*) Agnoscit hic Cicero inconstantiam ac varietatem materiæ Philosophiæ practicæ, de qua toties protestatur Aristoteles. Hanc enim causam esse ait, cur in hac scientia non possint adferri demonstrationes perpetuò, omni tempore, loco & casu veræ, veluti mathematicæ: Ipsa enim principia hujus scientiæ, seu summa Juris naturæ præcepta, ex quibus demonstratio deducenda sit, maximam partem ejus esse conditionis, ut sint plerumque veræ, non ubique aut semper: esseque illa principia seu Leges naturæ propositiones contingentes ut plurimum, hoc est, quarum prædicatum naturâ magis propendeat ad inesse subjecto, quàm non inesse; etiamsi nonnunquam aliter eveniat, idque ferè propter aliud quoddam Naturæ præceptum, ob singulares quasdam circumstantias intercedens suamque autoritatem interponens. Atque hujus generis propositiones sunt: Promissa sunt servanda, Depositum est reddendum. A priori verò Aga-

memnonem

*depoſuerit, bellum inferat patriæ? reddeſne depoſitum? non, credo: facies enim contra Rempublicam, quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, (1) commutata utilitate fiunt non honeſta. Ac de iis quidem quæ videntur eſſe utilitatis contra juſtitiam ſimulatione prudentiæ, ſatis, arbitror, dictum. (2) Sed quoniam à quatuor fontibus hone-*

memnonem revocare debuiſſet lex Naturæ, quæ homicidia & ἀνθρωποθυσίαν vetat. A poſteriori eadem lex nos abſtrahit, ne homicidium inſtrumento lædendi ſubminiſtrato, ullove alio pacto adjuvemus. Ita quoque proditori depoſita pecunia non eſt reddenda, ſi illa in patriæ perniciem ſit abuſurus, ne item tantum ſcelus adjuves, cujus impietatem Lex naturæ damnat. Benè igitur concludit, *ſic multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus* (ἐν τῷ καιρῷ, quem plurima circumſtant, τὰ καθ' ἕκαστα Ariſtoteli dicta) *fiunt non honeſta.* Atque hæc ſunt Stoicorum illa κατήκοντα περιεκτικά: de quibus ſuprà ad *lib.* 1. dictum quoque fuit. Cæterum quomodo ſit æſtimatio facienda, & à quo, ſint ne promiſſa utilia, an inutilia ei, cui illa facta ſint, egregiè docet Grotius 2. *de J.B.P.c.*16.*n.*22.

(1) *Commutata utilitate.*) Utilitas hic omnino ea intelligenda eſt, quam eo tempore, loco, aliave circumſtantia ipſa commendat, vel ſaltem non improbet, Honeſtas.

(2) *Sed quoniam.*) Monet me hic locus, ut aliquid de Ciceronis in his libris Methodo dicam.

*honeſtatis primo libro officia duximus, in eisdem verſabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur eſſe utilia, neque ſunt, quam ſint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia, item-*

Præcepta enim quod attinet, pauciſſimis exceptis, ſunt illa aurea. Deprehendere verò eſt, Ciceronem ſæpe eadem bis terve repetere, non ſolùm verba, ſed & quæſtiones, & ſententias, in his tamen poſterioribus quaſi ſui oblitum variare. Nam quæ ſuperſunt hoc Libro tertio, maximam partem excuſſa jam ſunt *Libro* 1. niſi quod pluribus forſan exemplis hic eadem Officiorum præcepta illuſtret. De Regulo item in multis Codicibus *Lib.* 1. prolixè legitur hiſtoria, Cicerone autore, an librariorum culpâ, haut facilè dixerim. Hic quidem protinus hujus repetitionis aliquam cauſam vult proferre, inquiens, *Libro* 1. ſe dixiſſe de honeſtatis fontibus, hic ſe declaraturum, quo pacto quæ ſpeciem utilitatis mentiuntur, virtutibus illis, ex quibus fontes veræ honeſtatis iſto libro deduxerat, adverſentur. Atque hac cauſa inductum crediderim eruditiſſimum atque eloquentiſſimum virum, Cœlium Calcagninum, ut in hunc modum in ſuis ad Officiorum libros Diſquiſitionibus ſcriberet cap. 22. *Soleo ego apud familiares meos, qui mecum incredibili amore atque admiratione Ciceronis tenentur, perſæpe teſtari, non aliud mihi volumen videri negligentius à Cicerone conſcriptum, quam hoc de Officiis, ut propemodum aliud agens hoc egiſſe videatur. Quod ego inde profectum arbitror, quod eo tempore Ciceronis animus, ſublato C. Cæſare è rebus humanis, variis curarum fluctibus agitaretur: atq; hinc Octavio, qui deinde Auguſtus appellatus eſt, ſtuderet, inde Antonium acerrimè oppugnaret, neutri ſatisfideret. Quare mihi videor animadvertere, hæc à Cicerone in*

*ſummis*

*iteinque de juſtitia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis quarum altera in animi excellentis magnitudine, & præſtantia cernitur: altera in conformatione, & moderatione ſummis animi avocationibus literis mandata. Niſi enim hoc foret, qui fieri poteſt, ut tam divinum ingenium, tanta eloquentia illuſtre, tot diſciplinarum præſidiis munitum, tam oſcitanter multa effuderit?* Hæc uti omnino non probo; iniquior enim ſæpe in Ciceronem hic cenſor eſt, ac non rarò nodum in ſcirpo, aut quod pueri in faba, quærit: ita magnam partem comprobo, cumprimis methodum ſi videam, ac præcepta vel toties iterata, vel disjecta; ſed, uti dixi, hoc forſan non omne autori, ſed librariis ſaltem aliquam partem tribuendum eſt, à quibus vel millies aurei hi libelli deſcripti, ipſaque illa frequentia deſcribendi facilè corrupti fuerint. Ipſe alioqui Calcagninus quam magnificè de Cicerone ſentiat, teſtis eſt illa ad Eraſm. Roterod. epiſtola *lib.* 12. ex qua pauca hæc tranſcribere liceat: *Tuum ego judicium eo in libello* (de Eraſmi Ciceroniano loquitur) *valde probo: nullum ſcilicet poſt Ciceronem omnes eloquentiæ numeros impleviſſe. Aliis verborum delectum, aliis gravitatem, aliis ſuavitatem, alia aliis defuiſſe: certè in omnibus ordinem ac numerum deſiderari. Sunt enim hæc duo inter ea, quæ apud Ciceronem* μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Sed de Calcagnino, & quomodo ejus cenſura acriori alia excepta fuerit, initio Operis diximus. Redeamus jam in viam. Cicero hoc libro ſibi propoſuerat dicere de contentione ac pugna, quæ ſæpe videtur oriri inter Utile & Honeſtum. Cum verò *Libro* 1. quatuor Honeſtatis fontes aperuiſſet, Prudentiam, Juſtitiam, Fortitudinem ac Temperantiam; hic jam dicit, ſe oſtendiſſe, inter illud Honeſtum,

*deratione continentiæ, & temperantiæ.* (1) *Vtile videbatur Vlyſſi, (ut quidam Poëtæ tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt) ſed inſimulant eum tragœdiæ, ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe. Non honeſtum conſilium. At utile (ut aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otioſe cum parentibus, cum uxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis periculis, & laboribus cum tranquillitate hac conferendum patas?*

ſtum, quod à Prudentia & Juſtitia proficiſcitur, & inter revera Utile, nullam eſſe pugnam: ſupereſſe duos reliquos fontes honeſtatis, in quibus idem patefaciat. Quia enim Juſtitia dirigit contractus, hinc tam prolixè de iis egit: & quia omnis dolus ab his abeſſe debet, omnisque malitia, Prudentia quoque adhibenda eſt, quæ malitiam ac technas deprehendere, ac verum utile à falſo dijudicare, & ubique Honeſtum ſectari & conſervare ſciat.

(1) *Utile videbatur Ulyſſi.*) Sequuntur jam quæſtiones ad Fortitudinem pertinentes, quomodo in iis Utile cum Honeſto conveniat, nec ne. Quæritur hic an Utile fuerit Ulyſſi ſubterfugere militiam, & otiosè domi deſidere, paceque cum ſuis frui? Negat Cicero, quod honeſtum non ſit, Regem detrectare bellum, idque juſtum, neceſſarium, & cui ſacramentum cum aliis Græciæ principibus jam dederat, & quod inſigni prudentia & ope adjuvare poſſet. Hæc enim & alia ſimilia ſupponenda ſunt, ut nihil principem aut privatum abſterrere videantur, quàm labores & pericula belli, quæ expaveſcant. Timiditas verò & ignavia turpe vitium eſt.

Si

*putas? ego vero istam contemnendam, & abjiciendam: quoniam, quæ honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitror. Quid enim auditurum putas fuisse Vlyssem, si in illa simulatione perseverasset? qui cum maximas res gesserit in bello, tamen hæc audivit ab Ajace:*

Cujù ipse princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem:
Furere assimulavit: ne coiret, institit.
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam;
(1) Fide sacratum jus perpetuo falleret.

*Illi verò non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctí-*

Si verò talia non supponas, inhonestum profectò & inutile fuerit, delectari bellis, & movere illud iniquè, nulla necessitate impellente, & magis latrociniari ac rapere, quàm verum bellum gerere. Utinam non nimis essent hodie faciles ad ejusmodi bella planè illicita & non necessaria homines! Ergone, inquies, qui duci alicui militare cupiunt aut subditi sunt, debent antè de justitia belli ejusque causa deliberare, ut sciant, an honestè pericula adituri hostemque aggressuri sint? Eo quidem animo & conscientia tam tenera arma neminem ferè hodie capere sat scio, de eo tamen quid fieri debeat, consule quæso Grotium *l. 2. de J. B. P. c. 26.* Homerus cur hujus rei non meminerit, causas inquisivit P. Victorius *var. lect. lib. 7. c. 19.*

(1) *Fide sacratæ jus.*) Fide pro fidei, ἀρχαϊκῶς. Significat autem per Fidei sacratæ jus, religionem jurisjurandi.

*Dimitta-*

*fluctibus, id quod fecit, dimicare melius, fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum.* (1) *Sed dimittamus & fabulas, & externa: ad rem, factaq; veniamus.* (2) *M. Attilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Annibalis Amilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is, cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat: sed eam, ut res declarat, falsam judicavit: quæ erat talis, manere in patria, esse domi suæ cum uxore,*

(1) *Sed dimittamus fabulas.*) Affinxisse Poëtas hoc Ulyssi vult. Nam aliàs non existimavero, Ciceronem quoque omnem de bello Trojano narrationem Homericam, uti à recentioribus quibusdam fit scriptoribus, pro fabula habuisse. Notus quoque est ille Dionis Chrysostomi Commentarius, Ἴλιον μὴ ἁλῶναι, *Ilium non esse captum.*

(2) *M. Attilius Regulus.*) Insigne jam fortitudinis ac magnanimitatis exemplum ex sua depromit Rep. fecitque omnino Regulus, quod bonum civem, & bonum virum decuit: quod quid utile esset Reip. non dissimulaverit, & juramento sanctè inhæserit. Crediderim autem, admodum esse dubium, an rectè etiam fecerit Senatus Ro. Etiamsi enim Regulus senex fuerit, nonne ipsius merita, ipsius sanctitas, fides ac virtus tanti debuit fieri, quanti paucorum nobilium captivorum liberatio? Deinde, numquid hoc utile est Reip. Duces egregiè meritos nolle plurium etiam, quorum tamen virtus istius virtutem vix exæquare possit, imò si hoc possit, aut etiam superet,

*uxore, cum liberis: quam calamitatem accepiſſet in bello; communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere conſularis dignitatis gradum. Quis hæc* §27
*neget eſſe utilia? quid cenſes? magnitudo animi, & fortitudo negat. An locupletiores quæris auctores? Harum enim eſt virtutum proprium, nil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. Itaq; quid fecit? in ſenatum venit: mandata expoſuit: ſententiam ne diceret, recuſavit:* (1) *quamdiu jurejuſ-*

ſuperet, relaxatione redimere? Non puto. Quis enim libenter ejusmodi Reip. militabit? Sed, inquis, mortem præoptabit dux captivus, exemplo Reguli, quàm ut aliquid incommodi patiatur Reſpublica? Reſpondeo, aliud eſſe in captivitate & vinculis, aliud in acie mortem oppetere. Audi quid dicat Ariſtoteles 3. *Nicom.* 9. §. 8. 9. 10. Fortem virum, quò virtute ſit præſtantior, eò moleſtius ſubire mortem, imò vita illum digniſſimum eſſe. Deinde ſi reddidiſſent captivos nobiles Romani, & magnanimum illum ſuum civem, quem poſtea Principem Reip. appellat recepiſſent, quæſo, quid damni paſſi fuiſſent? aut, ſi quid hinc incommodi tuliſſent, numquid eo nomine redemptio Reguli fuiſſet actio inhoneſta & illicita? Ego verò arbitror Regulum de Senatu & Rep. optimè, Rempub. & Senatum de Regulo peſſimè fuiſſe meritum. *Romani ſtulti & inhumani, qui tantum virum ad eum modum pernicioſiſſimè inſanire, ad hoſtes redire crudeliſſimos permiſiſſent*; Verba ſunt Alb. Gentilis, qui hic legi meretur *lib.* 2. *de J. B. cap.* 11.

(1) *Quamdiu jurejurando.*) En viri ſanctitatem! Jus enim poſtliminii non habebat, quod juramento ſe Cartha-

*rejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam, (ô stultum hominem, dixerit quispiam, & repugnantem utilitati suæ!) reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescenteis, & bonos duces; se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque verò tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad* (1) *exquisita supplicia proficisci. Sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore caussa, quam si domi senex, captivus, perjurus, & consularis remansisset.* (2) *At stulte, qui*

Carthaginiensibus obstrinxerat; Eo verò destitutus captivus, licet ad suos reversus esset, non tamen erat civis, multò minus Senator. Atque ita olim scripsit JCtus Pomponius ad Q. Mucium *l.3.§.3.ff.de captiv. & postlim. revers.* *Et ideo*, inquit, *in Attilio Regulo, quem Carthaginenses Romam miserant, responsum est, non esse eum postliminio reversum; quia juraverat Carthaginem reversurum, & non habuerat animum Romæ remanendi.* Sic & de decem captivis, ut quidam ex antiquis Scriptoribus rem narrat Gellius *l.7.c.18.* *Octo postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio vincti forent*: h.e. capitis minores, ut Horatius de Regulo loquitur.

(1) *Exquisita supplicia.*) Eadem verò etiam passi sunt captivi Pœni nobiles. Vide quæ ex Tuberonis & Tuditani historiis refert Gellius 6. *Noct. Att. c.4.* De Temperamento, quo aliàs uti debeat victor in captos, agit Grotius *l.3.de J.B.P.c.14.*

(2) *At stulte.*) Objectionem, ejusque resolutionem adfert.

*qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quo modo stulte? etiam ne, si Reipublicæ conducebat?. (1) potest autem, quod inutile Reipublicæ sit, id cuiquam civi utile esse? (2) Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem;* §28

adfert. Mores plerorumque hominum si videas, stoliditatis Regulum insimularent. Sed ille heroica animi magnitudine prætulit suæ calamitati patriæ gloriam, existimationem & utilitatem. Fecit igitur, quod boni viri & boni civis fuit: interim Senatus tantæ æquitatis ac integritatis majorem rationem habere debuisset. Etsi enim utile hactenus videbatur esse Reip. ne nobiles Pœni captivi dimitterentur, ea tamen conditione, ut optimum virum ac Imperatorem tantis cruciatibus exponerent, Reip. non fuit utile; interest enim Reip. ut benè de salute publica meritis civibus referatur gratia. Si tamen illa vera sunt, quæ Gellius memorat d.c. Regulo venenum esse datum à Pœnis, & ab eo liberari nequiverit, aliquo modo Senatus excusari poterit.

(1) *Potestne.*) Si civis, qua talis, consideretur, membrum scilicet Reip. non potest ipsi quidquam revera utile esse, nisi idem sit utile Reip. Est enim Civis pars sui totius. Quomodo igitur parti, qua tali, utile aliquid sit, si idē inutile & dedecori sit toti suo? Hinc, si Aristoteli credimus, nemo sibi rectè consulere suisq; rebus prospicere potest, nisi etiam prudentia Oeconomica & Civili sit præditus, omnemq; suarum rerum curam cum fine familiæ, & potissimum civilis societatis conjungat, & eò omnia præcipuè referat. 6. *Nic.* 8. §. 15. (2) *Pervertunt.*) Ex superioribus abundè patet, quomodo hæc vera sint nec ne.

*tatem, ad eamque rapimur; nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate, utilia reperire; propterea illa prima, & summa habemus, utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus.* (1) *Quid est igitur, dixerit quis, in jure jurando? num iratum timemus Iovem? at hoc quidem commune est omnium Philosophorum, non eorum modo, qui Deum nihil habere ipsum negotii dicunt, & nihil exhibere alteri, sed eorum etiam, qui Deum semper agere aliquid, & moliri volunt, nunquam nec irasci Deum, nec nocere. Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus?*

(1) *Quid est igitur.*) Exaggeraturus vim & religionem juramenti, objectionem denuo adfert. Primò quidem Epicurei cum Lucretio ex ejus *lib.* 1. ita dicent:

*Omnis enim per se divûm natura necesse est*
*Immortali ævo summa cum pace fruatur,*
*Semota à nostris rebus, sejunctaq; longè.*
*Nam privata dolore omni, privata periclis,*
*Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,*
*Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira. &c.*

Deinde si Stoicus sit, & quidem Providentiam divinam statuat, quia tamen ex illorum hypothesi omnes affectus mali sunt & eradicandi, Jupiter sine dubio sine felle & ira erit, & tam excellenter bonus, ut nemini sit nociturus. Jam igitur etiamsi se obnoxium reddiderit Dei ultioni, præstito juramento, Regulus, frustra tamen illam expavit,

*gulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem præverteret.* (1) *An, ne turpiter faceret? Primum, MINIMA DE MALIS. Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus?* (2) *Deinde illud etiam apud Attium*:

Fregisti ne fidem? neque dedi, neque do infideli cuiquam.

*Quam-*

vit, quandoquidem sine bile sit Jupiter. Et quamvis Jupiter hanc injuriam perfidiæ ulturus fuisset, potuissetne gravius supplicium infligere Regulo, quàm ipse elegit?

(1) *An ne turpiter.*) Urget objectiones. Notum est illud principium, ut si electio nobis non semper sit libera relicta, ex malis minimum capiamus. Si itaque aliquis ex numero τῶν πολλῶν hinc perjurii turpitudinem, atq; isthinc cruciatus illos poneret, ea judicii lance absque dubio libraret, ut hoc malum majus, istud minus pronuntiet: adeoque ex horum judicio vehementer Regulus errasset. De illo adagio, *Minima de malis*, suprà pluribus dictum fuit.

(2) *Deinde illud etiam.*) Instat porrò, hominibus infidis non esse servandam fidem, imò cum effectu vix dari posse. Jam verò Carthaginienses quàm sublestæ fidei fuerint, affatim comprobat in adagium translata, Punica fides. Hoc principium obtinet etiam in Vicedeata seu regno Pontificio, Infidelibus & hæreticis non esse servandam fidem. Quæ præterea circa hoc Accianum monuerit Grotius legi merentur 2. *de J.B.P.c.*13.*n.*16. & 3. *de J.B.P.c.*19.*n.*13. *Luculentè tamen dicitur*, h.e. admodũ speciosè. Plausibilis oratio alibi nostro Autori ea dicitur.

*Quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur.* (1) *Addunt etiam: quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non sint; sic se dicere, videri quædam honesta, quæ non sint: ut hoc ipsum videtur honestum, conservandi juris-jurandi caussa ad cruciatum revertisse: sed fit non honestum, quia, quod per vim hostium esset actum, ratum esse non debuit.* (2) *Addunt etiam, quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiamsi antea non videretur.* (3) *Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus. Non fuit Iupiter metuendus, ne iratus noceret, quia neque irasci solet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam*

(1) *Addunt etiam.*) Nova instantia, non esse honestum conservare juramentum ab hoste extortum, sed videri solum nonnullis honestum, nec minus inani honestatis specie Regulum fuisse deceptum, quàm falsa utilitatis specie alios circumveniri solent. Sed de Reguli facto consulenda est historia, quæ non uno illam narrat modo; & quæ Alb. Gentilis loco suprà citato de eo scripsit adjungenda sunt.

(2) *Addunt etiam quidquid.*) Ultimum hoc est telum, quod in Regulum torquetur, admodum utile fieri honestum, etiamsi tale aliis non appareat.

(3) *Hæc ferè.*) Hasce objectiones jam refutabit. Concedit autem primo argumento aliquid, videlicet Deum non iratci, uti hominem, nec ira impulsum nocere, sed lædi fidem & justitiam perjurio. Iræ enim nomine perturbationem eum intelligere, Stoicorum more, existimo: atque sic tolerari hæc possunt: sin verò qualemcunque

*quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jurejurando, non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi.* (1) *Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deorum, quæ nulla est, sed ad justitiam, & ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius.*

O fides alma, apta pinnis, & jusjurandum Jovis?

*Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat: quam in Capitolio vicinam Iovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt.* (2) *At enim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certè, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non*

cunque nocendi affectum aut voluntatem intellexisset, minimè hæc recipienda essent: ut rectè probat Lactantius de Ira Dei. & Grotius 2. *de I.B.P.c.* 13. *n.* 1.

(1) *Est enim jusjurandum.*) De hoc omni argumento legendus est Grotius 2. *de I.B.P.c.* 13. ad quod etiam nos multa commentati, hanc Juramenti descriptionem ibi condidimus: Juramentum est appellatio Numinis divini religiosa, in supplementum forte fidei dubiæ, aut securitatis gratia præstita, quæ sanctè & religiosè facta illud habeat propitium, impiè aut temerè facta, iratum.

(2) *At enim ne iratus.*) Respondsurus alteri argumento, non malè quidem hoc primum, præter τὸ Dolere aliud esse etiam malum, inquit; Tam fœdam enim esse turpitudinis ipsius maculam, ut quovis supplicio

*non modo non ſummum malum, ſed nec malum quidem eſſe, maxima auctoritate Philoſophi affirmant. Quorum quidem teſtem non mediocrem, ſed haud ſcio an graviſſimum, Regulum nolite, quæſo, vituperare. Quem enim locupletiorem quærimus, quam principem Reipublicæ, qui retinendi officii cauſſa cruciatum ſubierit voluntarium?* (1) *Nam, quod ajunt, MINIMA DE MALIS: id eſt, ut turpiter potius quam calamitoſe: an eſt ullum majus malum turpitudine? Quæ ſi in deformitate corporis habeat aliquid offenſionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri?*

gravior haberi debeat. Deinde & hoc ſatis commodè dictum eſt, Dolorem non eſſe ſummum malum, licet ſummum malum non ſit ſine dolore: quemadmodum ſummum Bonum non eſt quidem voluptas, ſine hac tamen non eſt. 10. *Nicom. capp. priorib.* Quod denique addit Dolorem penitus malum non eſſe, frigidum eſt, etſi ex intimis Stoæ penetralibus petitum ſit. Nam quod Regulum ipſum hujus rei teſtem proponit, nihil eſt, ſuisq; idipſum ferè deſtruit verbis. Regulus enim deliberatò rediit ad cruciatus ſuſtinendos, non quod nullum in iis malum eſſe crederet, ſed retinendi officii cauſa, ſeu ipſius honeſtatis amore, ut fidem juratam ſervaret.

(1) *Nam quod ajunt.*) Rectè tertium argumentum hic refellit; nec enim iſti rectam dijudicationem aut collationem malorum facere norunt. Sicuti enim bona animi præſtant omnibus aliis bonis humanis: ita mala animi ſunt omnium maxima. Quod enim optimo contrarium eſt, peſſimum eſt, inquit Ariſtot. 8. *Nic.* 10. §. 9. Minima igitur de malis, putà detrimentoſis: at ex pluribus

mora-

*deri?* (1) *Itaq; nervosius qui ista dissérunt, solum audent malum dicere id quod turpe sit: qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere.* (2) *Nam illud quidem:*

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:

*Idcirco recte à Poëta dicitur, quia cum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hinc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit: videant,*

moraliter malis ac turpibus nullum est deligendum, aut perpetrandum: ceu suprà pluribus explicatum fuit.

(1) *Itaque nervosius.*) Epicureorum, voluptatibus omnia aut maxima quæq; tribuentium, hanc sententiam dicit etiam convinci Stoicorum & Peripateticorum rationibus. Isti enim solum Turpe dicunt esse malum; quamvis hoc falsum sit. Hi dicunt Turpe esse summum malum, quemadmodum in Honesto summum bonum: quibus sanè alia mala bonáque accedere queant. Et hæc sententia verissima est.

(2) *Nam illud quidem.*) Aggreditur jam quartum, ad quod bene quidem, sed non plenè respondet; distinctione enim opus est. Habebit enim locum illud Accii, si jurata promissio apertè respectum habuerit alterius promissionis, quæ ei quasi conditio fuerit implicata. Exemplum ejus rei videre licet in *l. 5. ff. de l. commissor.* Atque in eandem sententiam Regi Francorum rescripsit Gregorius III. *c. pervenit. X. de jurejur.* Si verò diversi generis sint promissa, & citra respectum mutuum, omnino servandum cuique erit, quod ipse juravit. Imò Regulus simplex planè juramentum hostibus præstitit, qui ipsi nullo modo vicissim erant ea fide obligati. Et quod

*videant, ne quæratur latebra perjurio.* (1) *Est autem etiam jus bellicum, fidesque juris jurandi, sæpe hosti servanda.* (2) *Quod enim ita juratum est, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id obser-*

caput rei est, juramentum ita concipitur, ut hominum quidem gratia, sed ad Deum præcipuè verba concepta referantur. Grotius 2. *de J. B. P. c. 13. n. 16.*

(1) *Est autem.*) Etiamsi bellum geramus cum aliis, non tamen omne idcirco jus nobis cum illis est sublatum, omnisque fides, sic ut maxima illa, quæ juramento illigata est, quoque exspiraverit. Sed hac de re videatur Grotius 3. *de J. B. P. cap.* 19. ubi de fide inter hostes agit.

(2) *Quod enim ita.*) Juramentum debet ad mentem & sensum illius præstari, qui illud defert, & quicum juranti negotium est. Nam dictis ipsis testem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quomodo putat à deferente illa intelligi. Apud Hincmarum in opusculo de divortio Lotharii & Tethbergæ ad interrogationem VI. in hanc sententiam de Deo rectè dicitur:

*Qui non, ut juras, sed ut is juravisse putavit,*
*Cui juras, audit: sic es utrique reus.*

Hoc igitur Officii præcepto evertitur Diabolicum illud Jesuitarum commentum de Methodo dirigendæ intentionis, quod optimo consilio detexerunt Epistolæ provinciales Lud. Montaltii. Atque isti Methodo geminum est de Restrictione mentali delirium. Si tamen illis Cicero haut satisfecerit, adeant Concilium Trosbianum *Tom. 3. Concilior. edit. Sirmondianæ.* Nimis enim, scio, superbi sunt, ut à Grotio, ad quem eos etiam remittere possem, meliora doceantur: quem tamen, qui volet, adeat 2. *de J. B. P. c. 13. n. 3. & ibi annot.*

Quod

*obſervandum eſt: (1) quod aliter, id ſi non feceris, nullum perjurium eſt: (2) ut, ſi prædonibus pactũ pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi juratus quidem id non feceris. Nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Cum hoc non fides eſſe debet, nec jusjurandum commune. Non enim falſum jurare pejerare eſt: ſed quod ex animi tui ſen-*

(1) *Quod aliter.*) Si juraveris alicui, ſed non ad mentem ejus, tum ſi id non feceris, quod tu quidem tuo ſenſu juraſti, perjurium non eſt. Omnis enim præſtatio ex juramento debita debet eſſe conſentanea menti deferentis: quam ſi hic obſcurius indicaverit, ſibi hoc imputet. Quod ſi verò malitiosè nolueris illius mentem admittere, & deferentem ſeu exigentem, juramentum præter ejus intentionem callidè circumvenire, aut deludere, verbis aliena notione prolatis, utique perjurium eſt. Grotius *ibid.*

(2) *Ut ſi prædonibus.*) Quæ hic de prædonibus & piratis tradit, ac ſi iis jurata promiſſa non ſint ſervanda, à veritate ſunt aliena. Non enim ſolùm his juratur, ſed & Deo, qui ad pariendam obligationem ſufficit. Neque hic illud diſcrimen locum invenit inter perduellem & communem omnium hoſtem. Etſi enim perſonæ ſeu hominis jus deficiat, fortè ex jure gentium, quo ab hoſte diſtinguitur prædo & pirata; inſuper tibi cum Deo negotium eſt. Atque in his quoque locum habet illud Plutarchi in Lyſandro: *Qui juramento hoſtem circumvenit, is oſtendit à ſe hoſtem metui, Deum contemni.* Addatur Grotius 2. *de J. B. P. c.* 13. *n.* 15. & Alb. Gentilis *lib.* 2. *de J. B. c.* 3. *ſub fin.*

*ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur, more noſtro, id non facere, perjurium eſt.* (1) *Scite enim Euripides*:

Juravi lingua, mentem injuratam gero.

(2) *Regulus verò non debuit conditiones, pactiones que bellicas, & hoſtileis perturbare perjurio.* (3) *Cum juſto enim, & legitimo hoſte res gerebatur*: (4) *adverſus quem & totum jus feciale, & multa ſunt*

(1) *Scite enim.*) Putat diſtinctionem à ſe falſam inter Pejerare & Falſum jurare comptobari poſſe Euripidis teſtimonio. Eſt ſanè inter hæc aliquod diſcrimen; Si enim aliquis non ex ſententia deferentis juret, ſine ullo ſuo dolo aut culpa, is ſanè falſum jurat; non enim ipſius mens cum mente deferentis convenit: ſed ſanè non pejerat. Ubi verò liquida & manifeſta eſt exigentis ſententia, liquidò etiam jurandum eſt, ſic ut non dare liceat ſine mente ſanum. Si itaque nulla ſit conjectura quæ ducat aliò, verba intelligenda ſunt ex proprietate, non tam Grammatica, quæ eſt ex origine, quam populari, ex uſu, *Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.* Grotius *d.c.n.2.ſeqq.*

(2) *Regulus verò non debuit.*) Non igitur, ut quidam exiſtimant, gloriosè tantùm fecit Regulus, ſed & quod debuit, ſeu, ad quod obligatus fuit. Nec obſtat illud Lyrici de eodem, *Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus Tortor pararet.* Nam & hoc fieri poſſe jam ſciebat, cum juratò promitteret. Ratio igitur à Cicerone allata alienior eſt, quod non latrones aut piratæ, ſed legitimi hoſtes eſſet Carthaginienſes; qua de re modo dictum eſt.

(3) *Cum juſto & legitimo.*) Putà, jus gentium quod attinet. Vid. omnino Grotius 3. *de J.B.P.c.3.n.1.*

(4) *Adverſus quem.*) De Jure feciali, aliisq; juribus

quæ

*sunt jura communia.* (1) *Quod ni ita esset, numquam claros viros senatus victos hostibus dedidisset. At verò T. Veturius, & Sp. Posthumius, cum iterum consules essent, quia, cùm male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub jugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his. injussu enim populi, senatusque fecerant. Eodemque tempore T. Numicius, Q. Mælius, qui tum tribuni pleb. erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitum repudiaretur: atque hujus deditionis ipse Posthumius, qui dedebatur, suasor, & auctor fuit. Quod item multis annis post C. Mancinus: qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex S. C. ferebant: qua accepta, est hosti-*

quæ nobis intercedunt cum hostibus, toto illo incomparabili Opere agit Hugo Grotius de Jure belli & Pacis, cumprimis Libro 3.

(1) *Quod ni ita.*) Deditio talis subditorum fit, si forsan contra pacta deliquerint, hostile quid tentaverint, aut cum hostibus depecti fuerint. Hinc nonnunquam ipsi imperatores & Consules fuerunt hostibus dediti, sponsionibus eorum forsan à Senatu improbatis: quales erant initæ ad Furcas Caudinas à Veturio & Postumio, aliisque, qui à Cicerone hic memorantur. Nam non idem esse sponsionem, pactionem, & fœdus, cum ex hoc Ciceronis textu, & Livio easdem historias narrante, tum ex eo intelligi licet, quod fœdus pactione, pactio sponsione firmior ac stabilior fuit. Legi hic meretur Grotius 2. *de J. B. P. c.* 15.

*hoſtibus deditus. Honeſtius hic, quam* (1) *Q. Pompeius: quo, cum in eadem cauſſa eſſet, deprecante, accepta lex non eſt. Hîc ea, quæ videbatur, utilitas plus valuit, quam honeſtas; apud ſuperiores utilitatis ſpecies falſa ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt.* (2) *At non debuit ratum eſſe, quod erat actum per vim. Quaſi verò forti viro vis poſſit*

*P. c. 15. toto*: & ſpeciatim *n.* 16. Nec non Car. Sigonius *lib. 1. de ant. jur. Ital. c. 1. p. m.* 122.

(1) *Q. Pompejus.*) Hic paulò antè cum iisdem Numantinis æquè infame fœdus pepigerat. Eſto jam C. Mancinum honeſtius egiſſe, qui lege accepta, dediſſe paſſus eſt. Quæritur autem an Q. Pompejus licitè deprecari deditionis legem potuerit, ſic ut nihil contra Honeſtatem commiſerit. Hoc verò ex hiſtorica facti narratione optimè conſtabit. Cicero ſanè 2. de Finib. acerbis verbis illum inceſſit: *Non de improbo, ſed callido improbo quærimus: qualis Q. Pompejus in fœdere Numantino inficiando fuit.*

(2) *At non debuit.*) Ἀνθυποφορὰ, ad ſuperiores objectiones pertinens. Excipiat enim quis, alia eſſe pacta jurata ſpontanea, in quę ultro conſentimus, alia violenta eſſe: iſtis nos obligari, his non item. Huic exceptioni Stoicè prorſus h. e. ineptè reſpondet, negans viro forti vim fieri poſſe. Hæc n. natio ſuum ſapientem facit ἀνώλυτον, ἀνεμπόδιστον, ἀπαραπόδιστον. Veras rationes jam ſuprà protuli, vi ac religione juramenti explicata. Oſtendi item ſupra, quę vi aut metu extorta ſunt promiſſa, naturaliter obligare. Quid n. aliàs opus fuiſſet reſtitutione in integrum à Prætore in Edicto exhibita? Præterea poterit vis metuſq; non injuſtus incuti, atq; ſic expreſſa pacta vel promiſſa tantò magis ſunt ſervanda. Grot. 2. *de J. B. P. c.* 11. *n.* 7. & alibi.

*Cur*

*possit adhiberi.* (1) *Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum præsertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo judicio stetit, sed suscepit caussam, ut esset judicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Pœnis redditi essent; ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriæ non utile putavit, idcirco honestum sibi & sentire illa, & pati credidit.* (2) *Nam quod ajunt, quod valde utile sit, id fieri honestum est: immo verò*

(1) *Cur igitur.*) Instant adversarii, quorsum referenda sit actio Reguli, ad Honestum an Turpe, ad Utile an Inutile, fueritne prudentiæ an stoliditatis? vel enim non suscipiendũ ab eo fuisse hoc negotium, vel certè ipsum dissuadendi autorem nõ debuisse esse. Sanè si eo id animo fecisset, ut fragile falsæ gloriæ choragium sibi compararet, uti A. ad Herennium loquitur, improbari hæc actio posset. Sed videtur hoc omne heroicæ illius maganimitati esse tribuendum; quod illo ævo ambitio & avaritia mores nondum ita infecerant. Proficiscendi multæ potuerunt esse causæ. Primò enim ipsi hostes ita decreverunt, ut ex captivis aliquis mitteretur: deinde ut præsens magis Senatum confirmaret in eo, quod Reip. utile visum fuisset: denique ut valediceret suis. Quod dissuaserit, non factum est, autoritate aliqua publica; non enim Senator aut civis tunc erat: sed privatim exposuit, quid Reip. maximè sibi videretur conducere. Sententiam dixit Senatus, non ille suum punctum contulit, quod postliminio non erat reversus. *l. 5. §. 3. ff. de capriv. & postlim.*

(2) *Nam quod ajunt.*) Novum jam argumentum antè objectum Stoicè & satis frigidè refellere studet.

Urget

*verò esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec, quia utile, honestum est: sed, quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius.* † *Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur, illis vuidem temporibus aliter facere non potuit.* (1) *Itaque ista laus non est hominis, sed temporum.* (2) *Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majo-*

Urget enim ille semper Utilitatis & Honestatis ἀνταπολόθησιν, de qua quid sentiendum sit, toties jam dictum est. Sanè quod illi dicunt, quod valde utile sit, id fieri honestum, non ita absurdum est, uti Cicero putat, si in thesi non in hypothesi consideres. Si enim dura multa suscipiantur propter magnam utilitatem, quæ hac semota non aliàs susciperes, fiunt honesta, hoc est licitè possunt peragi, ut nemo tibi opprobrium eo nomine meritò faciat. Quod si verò hoc de Regulo usurpes, ut, si ille salutis gratia pejeraßet, falsissimum hoc est; nec enim, quod sua natura turpe est, ulla utilitate, quantacunque ea fuerit, honestum fieri potest.

(1) *Itaque ista laus.*) Ita Libro 2. de Africano: *Quidni laudetur? sed in illo alia majora; Laus enim abstinentiæ non hominis est solùm, sed etiam temporum illorum.*

(2) *Nullum enim vinculum.*) Optimè. Atque hinc gravis pœna perjuris imminere nunquam non credita; ita ut posteritas etiam majorum sæpe delicta lueret. Et quamvis variæ legibus civilibus pœnæ iis sint determinatæ;

*majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in* (1) *Duodecim tabulis*, (2) *indicant sacra; indicant* (3) *fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones, animadversionesq;* (4) *censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant. L. Manlio, Auli filio, cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus pl. diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset. Criminabatur etiam quod Titum*

natæ; Deus tamen, cui apprimè juramentum præstatur, suæ iræ ac ultionis causam semper habet integram. Grotius *d.c.* 13. §. 1.

(1) *Duodecim tabulis.*) Verba illius legis non exstant. Gellius *lib.* 7. *c.* 18. *Jus jurandum apud Romanos inviolatè sanctèq; habitum servatumq; id & moribus Legibusq; multis ostenditur.* Dion. Halicarn. *lib.* 2. Polyb. *lib.* 6.

(2) *Indicant sacra.*) His enim sæpè diræ, imprecationes ac devotiones conceptis verbis accedebant. Solebant quoque aris tactis juramenta præstari: cujus rei multa testimonia autorum congesta legere licet apud Barn. Brisson. *lib.* 8. *de formul. p. m.* 720.

(3) *Fœdera.*) Hæc enim ubi constituebantur, sæpè & sacra, & juramenta adhiberi solebant, ut præsentiori quasi Numine sanctiùs fidem mutuò obstringerent.

(4) *Censorum.*) Vid. d.c. Gellii. Memorat Plinius *l.* 31. *c.* 2. quod amnis Olodræ gurgite perjuri patiantur velut flammam urentem. Add. Alex. ab Alex. *lib.* 5. *c.* 10. Apud Cœlium Rhodig. legitur, Erinnyas perjurii vindices fuisse quondam creditas. *Lib.* 22. *lect. antiq. c.* 10.

At

*Titum filium, qui Torquatus postea est appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset. Quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri; accurrisse Romam, & cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum; quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur; surrexit è lectulo, remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire.* (1) *At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque se illum statim interfecturum nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Iuravit hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit: docuit, cur sibi à caussa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jurisjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio consulatu Latini ad Veserim fusi, & fugati: magnus vir in primis: & qui perindulgens in patrem,*

(1) *At ille ut ingressus est.*) Luculentum hoc est exemplum, quo paret, juramenti rationem vel tum etiam habendam esse, si vel à latrone aut invasore per vim sit extortum: quod cum Cicero laudet, videtur superiori disputationi non parùm detrahere. Cæterum licet Pomponius justè causam non potuit urgere, eo tamen semoto, ex officio alii Judices potuissent rem, si tanti visa esset, cognoscere, ac sententiam ferre. Alb. Gentilis *lib. 2. de J. B. c. 5. p. m. 245.*

Sed

*patrem, idem acerbe ſeverus in filium.* (1) *Sed ut laudandus Regulus in conſervando jurejurando, ſic decem illi, quos poſt Cannenſem pugnam juratos ad ſenatum miſit Annibal, in caſtra redituros ea, quorum erant potiti Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent, ſi non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſſimis, qui tunc erant miſſi, novem revertiſſe, à Senatu re non impetrata, unum ex decem, qui paullo poſt, quam egreſſus erat è caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur: non rectè: fraus enim adſtringit non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit ſenatus,*

(1) *Sed ut laudandus.*) Reguli generoſo facto & ſanctitati opponit contrarium exemplum. Quia verò de hoc non idem omnes referunt, ut ipſe innuit Cicero, conſulendi erunt Hiſtorici. Ille quidem fidem ſequitur Polybii: cui tamen addi poteſt Gellius *l. 7. Noct. Att. c. 18.* Æquè ſtulto perfidiæ effugio uſi ſunt Locri, cum polliciti ſe pactis ſtaturos, quamdiu terram hanc inſiſterent, & capita humeris geſtarent; terram calceamentis injectam, & aliorum capita humeris impoſita abjecerunt, quaſi eo modo religione ſe poſſent exſolvere: quæ hiſtoria item apud Polybium l. 12. exſtat. Simile, quod Bœoti urbem polliciti reddere, non ſtantem ſed everſam reddidere. *Thucyd. l. 5.* Et quod Mahumedes Sultanus, Eubœa capta, eum diſſecuit trunco tenus, cui caput inco-

*natus, ut ille veterator, & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.* (1) *Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent à Paullo, & Varrone consulibus. Eos Senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri potuisset: ut esset insitum*

lume fore promiserat. Similis perfidiæ exempla etiam apud Polyænum legere licet. *Rediisse ad hostem non dicetur, qui clàm rediit, ut statim exiret; rediisse enim ita intelligi debet, ut in potestate hostium iterum sit:* verba sunt Grotii *l. 3. de J. B. P. c. 23. n. 13.*

(1) *Sed illud maximum.*) Alio exemplo comprobare vult, quomodo Romani spreta non exigua utilitate, maluerint octo millia hominum neci devovere, quam aliquam honestatis, ut ille putat, in sua generositate & fortitudine jacturam facere. Ego verò hoc non maximum, sed pessimum existimo, & contra omne officium, citra necessitatem tot animas inhumano planè more neci offerre. Vel enim tot milites capti sunt propter ignaviam suam, vel quod circumventi suam virtutem explicare nequiverint. Si posterius, paucorum ducum, aut forsan unius hæc culpa fuit Imperatoris. De his itaque paucis statui potuisset, quod justum esset. Sin prius, vel omnes eodem crimine æquè comprehenderentur, vel una aut altera cohors. Si hoc, redimi debuissent omnes, & præcipui quiq; pro re nata supplicio adfici: sin istud, decimatione potuissent justius uti, aut deligere fugæ ac timiditatis principes. Sic pœna ad paucos, exemplum ad omnes redundasset. Tot verò animas promiscuè neci tradere, non generosum, sed immane prorsus facinus est.

Nec

*tum militibus noſtris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Annibalis ſcribit idem, quod Senatus, populusque Rom. rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. Sic honeſtatis comparatione ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Attilius autem ille, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, plureis ait fuiſſe, qui in caſtra revertiſſent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eosque à cenſoribus omnibus ignominiis notatos. Sit jam hujus loci finis. Perſpicuum eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo fractoque fiant, quale fuiſſet*

Nec enim id ſemper locum habet, aut propoſitum eſſe debet militibus, aut vincere, aut emori. Multa enim inter victoriam & mortem media ſunt: quæ adſpernari, & hæc extrema ſemper ſequi, ingentis eſſet ſtoliditatis, nec ſine gravi crimine perpetrari poſſent. Sic enim nunquam deditio eſſet facienda caſtelli aut urbis, ſic nunquam ſe fidei victoris committere poſſet etiam fortiſſimus miles, ſed extrema quæque eſſent ſemper tentanda: id quod uti inhumaniſſimum, ita falſiſſimum eſt. Et verò hoc Romanorum factum tantò eſt deterius, quod tot animas parva pecunia, uti hic ait Cicero, redimere potuerint. Nota eſt de Mauritio Imp. hiſtoria, qui atrociſſima cum Cagano Avarum rege bella geſſit. Ceperat barbarus ad XII. millia Romanorum militum; ac dimidium numiſma in ſingula capita petebat, liberaturus eo pretio omnes. Obſtitit verò Mauritii avaritia, quo minus ei locum daret. Sed quomodo hanc inhumanitatem ulta eſt Dei providentia? Ipſe Mauritius à Phoca cum quinq; filiis ac tribus filiabus, ipſaq; Auguſta Conſtantina, gladio perculſus fuit Chalcedone. Spectato verò ſuorum exitio

*fuiſſet Reguli factum, ſi aut de captivis, quod ipſi opus eſſe videretur, non quod Reipublicæ, cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet, non eſſe utilia, quia ſunt flagitioſa, fœda, & turpia.* (1) *Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quidquam eſſe utile, quod ſit huic talium virtutum choro contrarium?* (2) *Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atque Annicerii Philoſophi nominati, omne bonum*

exclamavit: *Juſtus & Domine, & recta ſunt judicia tua.* Memorat Paulus Diaconus *l.* 17. viſum in ſomnis Mauritio Chriſtum in tribunali ſedentem percunctantemque, *Ubi vis reddam tibi, in hoc an futuro ſeculo?* eumque reſpondiſſe, *Amator hominum Domine, & Judex juſte, hic, non illo ſeculo.* Addatur Nicephorus *l.* 18. *c.* 35. *ſeqq.*

(1) *Reſtat quarta pars.*) Tranſit jam ad poſtremum honeſtatis fontem, Temperantiam, quomodo & hic idem ſit honeſtum & utile, nec quidquam utile eſſe poſſit, quod non ſit honeſtum, ſeu quod ſit inhoneſtum.

(2) *Atqui ab Ariſtippo.*) Ariſtippus Cyrenaicus princeps fuit ſectæ Cyrenaicæ, in voluptate ſenſum maximè titillante felicitatem collocans. Ex hac Schola trium aliarum autores prodierunt, Anniceris, Hegeſias πειοθάνατος, & Theodorus Ἄθεος cognominatus: unde Anniceria, Hegeſiaca & Theodoria natio. Ariſtippi ſententiam etiam Annicerios amplexos eſſe, teſtis hic eſt Cicero. Idem ſenſiſſe putat Epicurum; etſi alii aliter de hoc diſputent. Sed hoc jam agamus, & cum Cicerone expendamus, quomodo in hac Temperantiæ materia nunquam poſſit aliquid ceu Utile venditari, aut commendari, & ut idem tamen honeſto Temperantiæ ſit contrarium.

*Virtu-*

*bonum in voluptate posuerunt,* (1) *virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis, floret Epicurus, ejusdem fere adjutor, auctorque sententiæ.* (2) *Cum his, velis equisque (ut dicitur) si honestatem tueri, ac retinere sententia est, decertandum est.* (3) *Nam si non modo utilitas, sed vita*

(1) *Virtutemque censuerunt.)* Virtus est causa efficiens solidæ felicitatis ac honestatis: estque bonum laudabile. Quæ laudantur bona, sunt ad aliquid, uti docet Arist. 1. *Nicom.* 12. §. 3. Epicurei igitur & horum asseclæ adseverabant, Virtutem referri ad Voluptatem seu genuinum & ultimum finem. Jam si cum Cicerone voluptatem intelligas corporis, sensus titillantem, fœdius ac falsius nil dici potest. Rationes vide apud Arist. 1. *Nic.* 5. §. 5. & 6. Interim vera felicitas, quæ est εὐπραξία item est conjuncta cum voluptate, sed illa sincera, limpida, honestissima.

(2) *Cum his.)* Hanc Epicuri & obsoletorum ipsius (utitur hac voce hic Cicero, uti Suetonius sæpe) opinionem tam pestilentem esse ait, ut omni studio & ope sit oppugnanda.

(3) *Nam si non.)* Ex hypothesi sua Stoica, Nihil esse utile, quod non sit honestum, & viceversa, jam illos in hunc modum oppugnat. Si vitæ felicitas consistit in corporis εὐεξίᾳ, atque etiam spe ac securitate optimæ constitutionis, à qua non potest abesse voluptas; sequitur aliquid ipsis esse utile, quod tamen cum honesto pugnet: Falsum est posterius, uti ex illa hypothesi notum est: Ergo & prius. Cæterum cum illud principium Stoicum non possit eo sensu admitti, sed tum solùm, si per Honestum intelligatur quandoque saltem quod sit non

*vita omnis beata, corporis firma constitutione, ejusque* (1) *constitutioni spe explorata, ut à Metrodoro scriptum est, continetur: certè hæc utilitas, & quidem summa, (sic enim censent) cum honestate pugnabit.* (2) *Nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates?*

inhonestum, aliter oppugnandi erunt. Ita igitur lubet argumentari: Cujus rei qualitas ad aliud refertur, in eo non potest consistere beatitas vitæ: Corporis εὐεξία refertur ad aliud E. Propositio inde confirmatur, quod Beatitas expetatur simpliciter propter se, nunquam propter aliud, & ut ad illam omnia alia referantur. Assumptio item credo concedetur, nisi quis Epicuri de grege porcus animam propter corpus esse velit statuere. Jam verò quod ratione appetitus non ultimi finis locum obtinet, in eo licet aliqua sit utilitas, non tamen est summa. Interim verum est, quamcunque utilitatem attulerit vel ad corporis vel ad animi munia expedienda istius εὐεξία, eam non adversari honestati, uti ex falsa hypothesi Stoica Cicero concludebat.

(1) *Constitutionis spe explorata.*) Manifestè apparet, non potuisse Ciceronem vim Græcæ vocis satis plenè exprimere; maluissem itaque ipsam Metrodori vocem nobis dedisset, qui fuit γνήσιος Epicuri discipulus.

(2) *Nam ubi primum.*) Si, inquit, vitæ felicitas consistit in voluptatibus corporis, sequitur Prudentiam ad hunc finem omnes actiones disponere: Absurdum est consequens, E. & antecedens. Prudentia enim quæ est perfectio intellectus practici, & omnes actiones humanas ad suum debitum finem dirigit, quo solidius sit hoc animi bonum & perfectius, quî quæso corpori serviret,

&

*vitates?* (1) *Quam miſer virtutis famulatus ſervientis voluptati!* (2) *Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? Fac* (3) *nihil iſto eſſe jucundius: quid cogitari poteſt turpius?* (4) *Iam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum laborumque contemptio? Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus, ſicut hîc dicit, ſatis fortiter de dolore; tamen, non id ſpectandum*

& illius præcipuè emolumentum quæreret. Etſi enim proſpicimus, ut & corpori bene ſit, illud tamen ipſum eũ ad animum referendum eſt; Corpus enim eſt propter animam. Hujus imperio, iſtius ſervitio utimur. *Salluſt. bell. Catil.*

(1) *Quam miſer.*) Si beatitas vitæ conſiſtit in voluptatibus, ſequitur virtutes ſervire & ancillari voluptatibus; Nam ad beatitudinem non aliter perveniri poſſe quàm virtutum beneficio, communis notio eſt: A. abſurdum poſterius; quandoquidem Virtutes nos inſtruunt, quomodo voluptatum cupiditates aliosque adfectus refrenare debeamus: E. & prius.

(2) *Quod autem.*) Hoc ad ſuperius argumentum poteſt referri: Prudentiæ opus eſt bona & mala in vita rectè dijudicare, ac repudiatis his iſta eligere, ac debita ratione ad ultimum finem dirigere.

(3) *Nihil iſto eſſe jucundius.* Sc. in eo genere voluptatum. Nam aliàs quod ſimpliciter eſt jucundiſſimum, illud non eſt turpe, ſed honeſtum.

(4) *Jam qui dolorem.*) Ut acriùs Epicureos inſectetur, alia etiam conquirit, nonnulla repetit. Et verò rectè colligit, eum, qui Dolorem ſumum malum dicat, omnem

*Etandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore.* (1) *Vt, si illum audiam de continentia, & temperantia; dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua hæret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis.* (2) *Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem voluptates*

tollere Fortitudinem; quandoquidem hæc virtus molestiarum pleniſſima eſt, actiones ſi videas, etſi viro forti intuitu finis illæ ſint perjucundæ. 3. *Nicom.* 9. §. 3. *ſeqq.*

(1) *Vt, ſi illum audiam.*) Et hic bene diſputat, poſito hoc, Epicurum felicitatem in corporis voluptatibus conſtituiſſe. Qui ſummum bonum in promiſcua voluptate corporis conſtituit, ille tollit Temperantiam. Hanc propoſitionem confirmat, quod Temperantia libidinum inimica ſit. Sed & hic Cicero cum Stoicis latiùs progreditur. Nam aliæ voluptates ſunt neceſſariæ, veluti cibi, potus, veneris: aliæ non neceſſariæ ſed ſupervacaneæ & adſcitæ. Iſtis ſanè non ſimpliciter inimica eſt Temperantia, ſed ſolùm enormitati, & ei, quod eſt Nimium; hinc ego addidi aliquam voculam propoſitioni eo nomine inſerendam.

(2) *Atque in his.*) Ne nimis ſint abſurdi Epicurei, & protinus ab omnibus explodantur, aliquem tamen videri volunt locum dare Prudentiæ, Fortitudini & Juſtitiæ, etiamſi in rego Voluptatis habitent. Id quod harum virtutum deſcriptione ab illis tradita explicat.

*Etiam*

*tes, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendíq; doloris.* (1) *Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt: dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri.* (2) *Iuſtitia vacillat, vel jacet potius. Omnesque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, & in ſocietate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non plus, quam amicitia. Si hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem, utilitatemve referantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam eſſe docuimus,* (3) *quæ honeſtati eſſet contraria: ſic*

(1) *Etiam temperantiam.*) Inſerit jam & hujus qualemcunque delineationem ex Epicuri ſchola petitam, videlicet Temperantiam conciliare ἀπονίαν καὶ τὴν τῦ λυπῶντος ὑπεξαίρεσιν, uti Græci loquuntur. Voluptates commendat rarior uſus, ejuſque generis alia etiam præcepta ad Temperantiam ſuam referunt.

(2) *Iuſtitia.*) Si Juſtitia & reliquæ virtutes non expetuntur propter ſe, ſed quatenus utiles ſunt ad voluptates corporis impetrandas, ſequitur illas nullius eſſe momenti, & dignitatem illarum penitus jacere: Ex Epicureorum autem ſententia eo nomine & non propter ſe expetuntur. E.

(3) *Quæ honeſtati eſſet contraria.*) Bene hic loquitur, & ſi hujus explicationis ſemper memor fuiſſet, toties non impegiſſet. Aliud enim eſt quod ſua natura Honeſtum, aliud quod Honeſtati non contrarium eſt.

(1) *ſic omnem voluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam.* (2) *Quo magis reprehendendos Caliphonem, & Dinomachum judico: qui ſe dirempturos controverſiam putaverunt, ſi cum honeſtate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulaviſſent. Non recipit iſtam conjunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit.* (3) *Nec verò finis bonorum & malorum, qui ſimplex eſſe debet, & diſſimilibus rebus miſceri, & temperari poteſt. Sed de hoc hactenus: magna enim res,* (4) *alio loco pluribus verbis diſputata. Nunc ad propoſitum. Quemadmodum igitur, ſi quando ea, quæ videretur*

(1) *Sic omnem.*) Corporis ſine dubio intelligit. Sed numquid etiam moderatam, neceſſariam conſervando individuo, & propagandæ ſpeciei? Minimè gentium. Vix mihi tempero, inquit hic Wolfius, quin exclamem: *Os durum atque impudens.* Pertinent huc, quæ tradit Ariſtoteles 10. *Nicom.* 1. §. 8. *ſeqq.*

(2) *Quo magis.*) Immeritò hos accuſat, accuſandus ipſe uti jam intelleximus. Copulare honeſtatem cum voluptate, non profectò eſt cum homine pecudem conjungere; niſi tum demum, ſi ſint vel belluinæ voluptates, vel belluino more, ſine ratione & modo, expetantur.

(3) *Nec verò finis.*) Sed nondum hoc demonſtratum fuit, omnes omnino voluptates corporis, quocunque etiam modo uſurpatas, ita diſſidere ab honeſtate, ut tanquam contraria in eodem ſubjecto cohabitare neſciant.

(4) *Alio loco.*) Libris de Finibus. Interim vel uno verbo debuiſſet hic ſegregare voluptates diverſi generis,

animi

*tur utilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicatur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam ut tribuamus aliquid voluptati: condimenti fortasse non nihil, utilitatis certè nihil habebit. (1) Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem sententia, magnum: sed (2) perinde erit, ut acceperis, quamquam tibi hi tres libri Cratippi inter commentarios, tamquam hospites erunt recipiendi. Sed ut, si ipse veniſſem Athenas (quod quidem esset factum, nisi me de medio cursu clara voce patria revocasset) aliquando me quoque audires: sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporis, quantum poteris; poteris autem quantum voles. Cum verò intellexero, te hoc scientiæ genere*

animi à corporis voluptatibus: De his enim prorsus abjectè sentit: quod si animi quoque comprehensas intellexit, tantò gravior est error, multoque elleboro expurgandus. Videatur de Voluptate, & quomodo cum Honestate conveniat, nec ne, liber 10. *Nicom. capp. prioribus*, ubi rem omnem ex solidis principiis deductam cognoscere licet: nec non nostræ Dip. de Pœnis theses priores, ubi cernere licet, quem usum in moralibus doctrina de Voluptate rectè constituta habeat.

(1) *Habes à patre.*) Epilogus, quo hoc Opus magni muneris loco se scripsisse ac misisse testatur: & profectò tale est. Ipsis postremis verbis totius Philosophiæ practicæ studium ei diligentissimè, & sub paterni amoris arrha commendat.

(2) *Perinde erit ut acceperis.*) Modestiæ gratia hoc

*genere gaudere, tum & præsens tecum propediem ut spero, &, dum aberis, absens loquar. Vale igitur mi Cicero: tibique persuade, te mihi quidem esse carissimum: sed multo fore cariorem, si talibus monumentis, præceptisque lætabere.*

hoc adjicit, ne videatur meliora Scriptis Cratippi præcepta Filio tradere, se tanto Doctori præferre, & noctuas Athenas mittere velle.

Digitized by Google



Digitized by Google